VITA
VEN. FRANCISCI
DE HIERONYMO
E SOCIETATE JESU
MAJORIS SACERDOTIS
COLLEGII AUTHORE
CAROLO DE BONIS
EX EADEM SOCIETATE.

Bibliotheca Societatis Jesu
Regia ad S. Ignatium anno 1744.



Excudendum Opus Typis curabat Felix Musca Typographus Neapolitanus. Anno Æræ Christianæ MDCCXXXIV.
SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

PIO LECTORI
AUTHOR.

Quæ me potissimùm causæ ad Franciſci de Hieronymo Vitam, ac res gestas tertiò scribendas impulerint, in ipso hujusce operis vestibulo cupidus, opinor, statim Lector exquiret. Ingenuè dicam: eædem omninò, quæ me revocare ab incœpto debuissent. Sciebam equidem, duos ante me egregios Societatis Viros, eosque ingenii, doctrinæ, ac pietatis laude, & famâ conspicuos, Carolum Stradiottum, & Simonem Bagnatum adornandæ huic Spartæ jam sedulò, nec sine debito legentium plausu jampridem adlaborasse. Quid igitur actum agere, tractatumque ab ejusmodi notæ hominibus argumentum retractare, bonarum artium, cæteriſque Historicæ Authoritatis præsidiis destitutus ipse tentarem? Ad hæc, cum me à docendi, in quo versabar, munere illapsum repentè in oculos vitium, adjunctæque inanibus hujus morbi remediis ægritudines aliæ Medicorum judicio avocarent; quid ei me studio audacter addicerem, quod assiduâ legendi, scribendique exercitatione constare, vividâque proinde, non hebeti oculorum acie maximè indigere cognoscerem?

Digitized by Google

Scriptionis compendio majus visus dispendium ex eo conatu profectò fore suspicabar ; præsertim cum ob majoris damni metum non literariis modò me curis, verùm & quotidianâ diurnarum Precum lege solutum omninò agere juberent jam Medici.

Severis tamen horum decretis cum ad grave, ac permolestum vitæ genus me adductum mecum ipse dolerem ; ea animum subiit cogitatio, levari magnâ ex parte diuturni huiusce, quo me damnaverant, otii tædium posse, si ad Latinè scribendam Francisci Vitam, non contento quidem labore, ac studio, sed sensim, ac modicè pro virium modulo mentem traducerem. Bis illam quidem, sed Italicè Typis vulgatam ; Latinè conscriptæ suam tùm in Italiâ, tùm alibi gratiam fore, apud Germanos præcipuè, quos jam inde ab obitu suis sibi beneficiis mirè devinxisset Franciscus. Potuisse id quidem, posseque etiamnum (quæ immortales Deo gratiæ sint) à Nostratium plurimis elegantiùs, ac nitidiùs fieri : nondum tamen præstitum ab ullo hactenùs esse. Quin igitur, graviorum munerum causâ cessantibus jam aliis, huic ego labori succederem, quem mihi subortum ex adversâ valetudine otium intento veluti digito commonstraret ? Addebam duplex hujus, quod aggrederer, operis commodum fore. Primò enim ipsum, de quo scriberem, non difficilè mihi conciliarem Franciscum, ejusque patrocinio, quod maximè optabam, efficax læsis luminibus collyrium aliquod à Deo fortasse impetrarem. Si verò, prout hactenùs fuit, Divinæ Gloriæ, meæque æternæ salutis ratio aliud postularet, levi-ne mihi lucro apponerem, si vacuum à Scholæ, ac Diatribæ tricis animum piis, honestisque de egregiâ Francisci virtute cogitationibus pascerem : eâdemque operâ, & minori mœrore labentes tot dierum horas æger transigerem, simulque domestico hoc, quod propositum haberem, exemplo torpentem, ac desidem ad ejus me Sanctimoniæ imitationem incitarem ?

Hæ cum apud me cogitationes vincerent, atque

ad

Digitized by Google

ad ſcribendum vehementer impellerent, tentare opus ſubceſivis quibuſdam horis clàm omnibus cœpi. Quod tametſi aliis, aliiſve de cauſis intermittere nec ſemel neceſſe habuerim; fallentibus tamen incrementis nullo viſus detrimento adeò proceſſit, ut in juſtam molem opinione meâ citiùs illud jam excreviſſe demirari & ipſe debuerim. Me quippè aggreſſum id laboris eſſe ut primùm nonnullis innotuit, tot ſtatim tùm collectas anteà, tùm de novo penè quotidie exhibitas volutare me oportuit tabulas, ſchedaſque; ut iis, non dico ordinandis, regerendiſque, ſed legendis me parem fuiſſe ipſius, de quo ſcribebam, Franciſci beneficio tribuendum cenſerem. Perductum proinde ad umbilicum relictum hoc, totieſque interverſum opus cum video, non meæ id induſtriæ, ſed ſingulari Supremi Numinis Providentiæ tribuere neceſſe habeo.

Jam ut qualiſcunque hujuſce laboris mei prorſus ratio conſtet; hanc ego Hiſtoriam in partes ſex todidem comprehenſas Libris digerendam exiſtimavi. Ac Prima à Franciſci ortu ea complectetur, quæ uſque ad effœtam ætatem in Neapolitanæ Urbis oculis labore non intermiſſo Franciſcus geſſit. Altera Sacras ejuſdem extrà Urbem Excurſiones, Expeditioneſque exhibebit, quibus plurimas Neapolitani Regni Provincias ad Evangelicæ Legis normam excolendas ferè quotannis ſuſcepit. Potiſſimam hujus operis partem verſabit Tertia: præcipuas nempè Franciſci Virtutes, quarum adminiculo ſuæ, alienæque ſaluti advigilans ad Chriſtianæ Perfectionis faſtigium animum evehere in omni vitâ contendit. Eundem ſingularibus Dei Donis auctum oſtendet Quarta, quæ Vaticinum ejus ſpiritum, necnon patrata per ipſum inter mortales adhuc agentem Prodigia enarrabit non pauca. Pium ejus deceſſum, ac funeris celebritatem exponet Quinta, quæque ex eo tempore uſque ad hunc, quem agimus, vertentis ſeculi annum XXXIII. ejus apud Deum gratiam teſtata fuerint collata in plu-

Digitized by Google

plurimos beneficia, patratis persæpè supra naturæ ordinem miraculis exornata. Et quoniam ad Franciſci opem Sanctitatis, ac mirabilium rerum famâ excita ſemota etiam confugit Germania, Sextam addere neceſſe habui, quæ multiplicem ejus erga earum Regionum Indigenas Beneficentiam, prout ex datis inde tabulis, ac literis excerpere integrum fuit, ad Dei in amplificanda Famulorum ſuorum gloria admirabilis laudem exponet.

Hæc ſuſcepti à me operis Summa; cui non quidem Author, nec ſtylus, ſed una materiæ dignitas laudis aliquid conciliet. Atque hæc, ni fallor, potiſſimùm facit, ut, quòd tertius ego ad eandem metam contendere audeam, vitio mihi vertere nemo jam queat. Supervacaneum quippè quis reputet, ſi præclaro aliorum labori mea qualiſcunque ſuccedat induſtria, quò ad magnorum Virorum commendationem, qui laudari pro dignitate ſatis unquam haud poſſunt, ſcribentium numerus pro egregiæ virtutis magnitudine ſit? Si tamen quid prioribus aliis hæc ſcriptio præſtet ingenuè fateri odioſum haud ſit; Franciſci nomen, ac Famam Latina hæc multò latiùs propagat; quippè quæ non uni Italiæ, ſed Catholicæ Europæ toti, imò & cupidis, ut audio, hujuſce Hiſtoriæ Noſtratibus utriuſque Indiæ incolis integerrimæ vitæ exemplo prodeſſe quamplurimùm poteſt. Adde è prælectis à me accuratiùs tùm Authenticis Actis, tùm plurimis gravium Virorum manu exaratis Autographis, tùm editarum denique noviſſimè à Franciſco mirabilium rerum idoneis teſtificationibus uberem adeò indictorum hactenùs eventuum copiam mihi veluti ſub manus creviſſe, ut è multiplici geſtarum rerum notitiâ non quidem pulchrior, at tertiâ fortaſſe parte cæteris auctior, ac locupletior in lucem hæc prodeat Hiſtoria. At prolixior paulò eſt, at inconcinnior, nec conſuetis Hiſtoriarum lenociniis legentem oblectat. Non abnuo: at Commentarii ſaltem loco temporis proceſſu eſſe hæc aliis poterit, qui preſſiùs, limatiùſque hæc

ea-

Digitized by Google

eadem ſcribant, quique bonarum artium præſidio inſtructiores opus procudant, in quo nec brevitatem, nec elegantiam, nec ullas politè ſcribentium illecebras quiſquam deſideret. Interim ſi meum hoc minùs arriſerit, Lector; nil eſt, quod faſtidioſis manibus illud diutiùs teras. Ne tibi ſcriptum reputa: legendum iis relinque, qui mendum, ſi quod fortè inter ſcribendum irrepſerit, non cenſoriâ notandum virgâ, ſed Authori non de ſuâ, verùm de Franciſci laude ſolicito benignè condonandum exiſtiment.

Illud poſtremo hoc loco, quod admirationi pleriſque omnibus eſſe poterit, opponi huic operi optimè video: quod nullum ei ſcilicet Patronum adſciverim, nullius egregii Mecœnatis ſplendido nomine, ut fit, ejus frontem inſigniverim. Quantum enim laudis operi pereat neceſſe eſt, quod, cum nullius magni Viri gratia, atque authoritas muniat, intutum, indefenſumque Momi cujuslibet ſannæ, & ſcommatis patet? Optimè mones: at verò adeòne hebetem me, bardumve cenſes, ut id genus præſidia lucubrationi huic meæ me minimè conquiſiviſſe ſuſpiceris? Non inauſpicatò, mihi crede, ea ſanè naſcitur, ſed Magni, imò Maximi Nominis Patrocinio vallatur. Ac præfixum huic volumini, prout deſtinaveram, illud jam cerneres, ni, quò minùs id proderem, ejus me imperium cohibuiſſet. Modeſtiam qui pro Mecœnate mihi eſt, cæteris, quibus abundat, laudibus potiorem duxit: Nomenque idcircò, ac Beneficentiam, quâ opus juvit, latere cum juſſerit ſuam, hoc unum mihi teſtandum in limine hujus Libri reliquit, Virtutis ſcilicet humanâ laude majoris admirationem, immortalis Beneficii memoriam, ac nullo eludendam obtentu parendi neceſſitatem.

FIDE;

Digitized by Google

FIDE; AC PERPETUE FRANCISCI ACHATES,
EGREGIE MEDICE, ADMIRABILIS ANACHORETA,
CHRISTIANIQUE DOGMATIS MARTYR INCLYTE,
SANCTE CYRE,
OPUS HOC, QUOD TUUM ETIAM EST,
TUO TU PRÆSIDIO TUERE, AC FOVE.
TUUM JUGITER NOMEN,
SUAS UT TEGERET LAUDES,
PATRATIS A SE REBUS PRÆTENDIT
MIRUS TUÆ GLORIÆ AMPLIFICATOR FRANCISCUS.
EÆ SI PER TE LATIUS JAM, AC SPLENDIDIUS PATEANT,
ASSIDUO EJUS IN TE STUDIO OPTIMAM EXOLVES VICEM.
ITA ROGAT, VOVETQUE
TUI PATROCINII APPRIME CUPIDUS
HUJUSCE HISTORIÆ SCRIPTOR.

PRO-

Digitized by Google

PROTESTATIO AUTHORIS.

T Apoſtolicum Sacræ Congregationis Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis Decretum anno 1625. editum, & anno 1634. confirmatum integrè, inviolatèque juxtà declarationem ejuſdem Decreti à Felic. Record. Urbano Papa VIII. anno 1631. factam ſervari à me omnes intelligant; profiteor me in hoc opere, ita omnia, ac ſingula meis Lectoribus proponere, ut nolim ea accipi tanquàm ab Apoſtolica Sede examinata, atque approbata, ſed tanquàm quæ à ſola ſuorum Authorum fide pondus obtineant, atque adeò non aliter, quàm humanam Hiſtoriam. Quæcunque igitur præſagia futurorum, revelationes, arcanorum manifeſtationes, miracula, aut beneficia miſeris mortalibus divinitùs conceſſa videri poterunt, ea ità à me narrari omnibus pateat, ut nolim cultum, aut venerationem aliquam ulli arrogare, nec famam, opinionemve ſanctitatis inducere, vel urgere; ſed omnia in eo à me ſtatu relinqui, quem ſecluſo hoc qualicunque meo labore obtinerent. Hoc mei erga Sanctam Apoſtolicam Romanam Sedem obſequii, atque obſervantiæ ratio poſtulat; quippè qui ejus imperio ſubjici, ejuſque nutu in omnibus dirigi enixè cupio.

Errata, quæ Authoris, vel Typographi incuriâ in totius Operis decurſu exciderunt, Lectoris benignitas condonabit.

Digitized by Google

DOMINICUS MANULIUS

PRÆPOSITUS PROVINCIALIS SOCIETATIS JESU

In Regno Neapolitano.

CUm librum, cui titulus: *Vita Venerabilis P. Francisci de Hieronymo Societatis Jesu, Auctore P. Carolo de Bonis ejusdem Societate*; aliquot ejusdem Theologi, quibus commissum fuit, recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, facultate Nobis à Patre Nostro Francisco Retz Præposito Generali communicatâ concedimus, ut Typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has literas manu nostrâ subscriptas, & Sigillo Societatis munitas dedimus. Neapoli 20. Octob. 1733.

Dominicus Manulius.

Locus ✠ Sigilli.

Do

Digitized by Google

Dominus Canonicus Torno videat, & referat. Neapoli 14. Januarii 1733.

D. Antonius Can. Castelli Vic. Gen.
D. Petrus Marcus Giptius Can. Dep.

EMINENTISS. ET REVERENDISS. DOMINE

Historiam, præclara gesta, miraque opera Venerabilis Servi Dei P. Francisci à Hieronymo Soc. Jesu recensentem, Auctore P. Carolo de Bonis ejusdem Societatis, Em. V. mandante, perlegi eo mentis oblectamento, eoque fructu ob rerum momenta, factaque fidem fermè excedentia, sermonisque elegantiam, perspicuitatem, copiam, ut omnes, qui lecturi erunt, eodem dulcedinis sensu perfusum iri, egregiamque utilitatem percepturos fore fidenter dicere ausim. Disertissimus siquidem Auctor omne tulit punctum, resque ad homines omnium ordinum in Dei caritatem incendendos aptissimas sic enarravit, ut nullum ab elaboratissimo, purissimoque stylo Christiana simplicitas dispendium passuram se timeat; quinimmo assecutus est, ut cuncta, quæ exponit, vividiùs splendeant, & penitiùs mentem subeant; tantum abest, ut mirabilibus virtutum exemplis, prodigiisque, quæ describit, fucum faciat, elevetve illorum fidem. E' re igitur Christianæ Reipublicæ futurum est, ut Liber, qui in piis magis, magisque in Dei cultum inflammandis totus est, & impiorum ora obstruere magnâ vi potest, ad *Dei unius Majorem Gloriam*, nominisque Ven. Patris celebritatem propagandam in vulgus detur, quod ut, Em. V. favente, cui nihil antiquiùs, quàm hæc bona fovere, fiat, quàm humillimè summis votis exposco, efflagito, oroque supplex.

Datum Neap. xvi. Cal. Octobres, anno Epochæ Christ.

CIↃIↃCCXXXIII.

Em. Tuæ

*Devinctiss. Clien*s
Can. Julius Tornus

Attenta supradicta relatione Domini Canonici Torno Revisoris, imprimatur. Neapoli 20. *Novemb.* 1733.

D. Antonius Can. Castelli Vic. Gen.
D. Petrus Marcus Giptius Can. Dep.

Digitized by Google

Rev. Pater Matthias Persica videat, & in scriptis referat.

GIOVENE REG. VENTURA REG. CASTELLI REG.
PEYRI REG. PATERNÒ REG. LUCINI REG.

Provisum per S. E. Neapoli die 16. Novembris 1733.

Rinaldus.

EXCELLENTISSIME DOMINE

JUssu Excellentiæ Tuæ legi librum, cui titulus: *Vita Venerabilis Francisci de Hieronymo è Societate Jesu Sacerdotis, Authore Carolo de Bonis ex eâdem Societate*; atque in eo eximiam Venerabilis Viri Virtutem Authoris stylo in paucis eleganti ità depictam, ac veluti redivivam iterùm ob oculos positam admiratus sum; ut spem faciat, fore, ut in legentium animis non parùm Pietas foveatur. Quare Typis donandum censeo, hoc etiam nomine, quòd Cæsareo, Regioque Juri omninò nihil officiat. Ità censeo, si ità videbitur Excellentiæ Tuæ. E' Collegio Maximo Neapolitano Societatis Jesu 23. Novemb. Æræ Christianæ 1733.

E.V.

Humill., Addictiss., & Obsequentiss. Famulus
Matthias Persicus Societatis Jesu.

Visa Relatione imprimatur, verùm in publicatione servetur Regia Pragmatica.

GIOVENE REG. VENTURA REG. CASTELLI REG.
PEYRI REG. PATERNÒ REG. LUCINI REG.

Provisum per S. E. Neapoli die 24. Novembris 1733.

Rinaldus.

IN-

Digitized by Google

INDEX CAPITUM

LIBRI I.

CAP. I. *Francisci ortus, ac pia Educatio.*

CAP. II. *Francisci extrà Patriam Vita in seculo ducta.*

CAP. III. *Francisci ad Societatem vocatio, positumque in eâ Tyrocinium.*

CAP. IV. *Lupias mittitur Franciscus, inde Neapolim revocatur.*

CAP. V. *E' Studiorum Collegio ad Neapolitanam Professorum Domum transfertur Franciscus; primique in eâ ejus labores.*

CAP. VI. *Neapolitanæ Missioni præficitur Franciscus.*

CAP. VII. *Alii præter Missionem in Triremibus, in publicis Custodiis, ac Nosocomiis à Francisco susceptí Neapoli labores.*

CAP. VIII. *Spiritualibus Sancti Ignatii Exercitiis tradendis strenuam navat operam Franciscus.*

CAP. IX. *Alii extra ordinem labores Neapoli à Francisco obiti.*

CAP. X. *Ærumnæ, ac ludibria in procurandâ hominum salute Neapoli à Francisco tolerata.*

CAP. XI. *E' contemptis Francisci Concionibus, aut neglectis consiliis secuta in plurimos Neapoli funesta supplicia.*

CAP. XII. *Dissensionibus, ac rixis Neapoli sedandis animum intendit Franciscus.*

CAP. XIII. *Missionis Neapolitanæ relati à Francisco præclarissimi fructus.*

CAP. XIV. *A nefariis sceleribus plures alii admirabilibus per Franciscum revocantur.*

CAP. XV. *Nonnullis Deiparæ Virginis imperio, ac monitu resipiscentibus præstò est Franciscus.*

CAP. XVI. *In Fœminâ ad Deum adducendâ admirabilis omninò Francisci opera.*

CAP. XVII. *Deo reconciliatorum constantiæ mirè studet, nec*

alias

Digitized by Google

allas optimi Homologetæ partes omittit Franciscus.
CAP. XVIII. *Morituris adest Franciscus, ac piè, paratèque obitæ mortis nonnullis est Auctor.*

LIBRI II.

CAP. I. *Apostolicæ Francisci Expeditiones extrà Neapolim.*
CAP. II. *Missionum Neapoli finitimarum quædam eventa.*
CAP. III. *Sacræ in Æuariam Insulam Excursionis præcipua documenta.*
CAP. IV. *Quibus potissimùm rebus tùm Beneventana, tùm semestris alia in utramque recentis Samnii Provinciam memorabilis Francisci Excursio fuerit.*
CAP. V. *Hydruntinæ Provinciæ Expeditionum miri quidam, ac singulares eventus.*
CAP. VI. *Res à Francisco in Apuliæ Excursionibus gestæ.*
CAP. VII. *Extremus Francisci Excursus in Ditionem Cœnobii, cui* Mater Domini *nomen.*
CAP. VIII. *Quasnam Sacrarum Missionum causa à malis ipsis dæmonibus molestias subierit Franciscus.*
CAP. IX. *Sacræ Peregrinationes eximiâ pietate à Francisco susceptæ.*
CAP. X. *S. Martyris Cyri cultum Neapoli, alibique passim promovet Franciscus.*

LIBRI III.

CAP. I. *Francisci in Deum Fides, ac Spes.*
CAP. II. *Ejusdem in Deum Amor.*
CAP. III. *Caritas in Proximos.*
CAP. IV. *Modestia, animique demissio.*
CAP. V. *Corporis afflictatio.*
CAP. VI. *In animi affectus imperium.*
CAP. VII. *Paupertas, & Castimonia.*
CAP. VIII. *Obedientia.*
CAP. IX. *Severa Societatis Constitutionum, ac domesticarum Legum custodia.*
CAP. X. *Orandi studium, & assiduitas.*
CAP. XI. *In Deum Opt. Max. & Servatorem hominum Christum*

Digitized by Google

ſtum Dominum inſignis Franciſci Religio.
CAP. XII. *In Deiparam Virginem, ac reliquos Cœlites obſervantia, & cultus.*

LIBRI IV.

CAP. I. *Gratuitis Dei Donis, ac primò futurarum rerum prænotione ornatur Franciſcus.*
CAP. II. *Procul diſtantium rerum cognitio.*
CAP. III. *Occultarum penitùs rerum mira in Franciſco notitia.*
CAP. IV. *Occultas pariter cogitationes, abditaque animorum conſilia introſpicit Franciſcus.*
CAP. V. *Vitæ, vel Mortis prænunciata Ægris eventa.*
CAP. VI. *Quæ in* Comorum *Familiâ vaticino ſpiritu afflatus prædixerit Franciſcus.*
CAP. VII. *Sancti Cyri lipſana mirabilibus rebus patrandis à Franciſco adhibita.*
CAP. VIII. *Franciſci ipſius preces, attactus, voces plurimis non ſine prodigio ſalutares.*
CAP. IX. *Mortuos etiam ad vitam revocat Franciſcus.*
CAP. X. *Franciſci adhuc viventis res pro lipſanis miro ſucceſſu à quibuſdam adhibitæ.*
CAP. XI. *In res rationis, aut etiam ſenſus expertes mirum Franciſci imperium.*
CAP. XII. *Diſſitis in locis eodem tempore præſens agere non ſemel eſt viſus Franciſcus.*

LIBRI V.

CAP. I. *Vitæ ſibi finem imminere non ſemel prædicit Franciſcus.*
CAP. II. *Extrema Franciſci Ægritudo, & Mors.*
CAP. III. *Franciſci Funus.*
CAP. IV. *Multiplici prodigio Franciſci funus clareſcere ſtatim incipit.*
CAP. V. *Nobilis Puellæ ad Franciſci pheretrum adductæ mirabilis, ac repentina curatio.*
CAP. VI. *Alia Franciſci quâ promiſſa, quâ Vaticinia poſt ejus obitum ad unguem impleta.*
CAP. VII. *Complurium calamitatibus præſtò poſt mortem eſſe ſua-*

Digitized by Google

suarum reliquiarum adminiculo pergit Franciscus.
CAP. VIII. *Quadratus Francisci pileus multiplici prodigio inclaresceit, idemque in usurpatis ab eo Conspiciliis apparet.*
CAP. IX. *Videndum se ab obitu in plurimorum commodum præbet Franciscus.*
CAP. X. *Francisci Icones miris successibus nobilitatæ.*
CAP. XI. *Non paucis opem merè implorantibus præstò est Franciscus.*
CAP. XII. *Imperium in malos Dæmones, in Elementa, aliasque inanimas res exercere post obitum haud cessat Franciscus.*
CAP. XIII. *Animorum etiam saluti vel post mortem prospicere pergit Franciscus.*
CAP. XIV. *Morte etiam obitâ rerum admirabilium gloriam cum Sancto Cyro communicare contendit Franciscus.*
CAP. XV. *Vota Francisco felici successu à pluribus nuncupata.*
CAP. XVI. *Honores Francisci tumulo à multis exhibiti.*
CAP. XVII. *Trium Germanorum Francisci Fratrum Virtutes breviter perstringuntur.*
CAP. XVIII. *Quæ fuerint Hominum de Francisci Virtute in vita, & post mortem judicia.*

LIBRI VI.

CAP. I. *IN Germaniâ, eique conterminis Regionibus statim ab obitu Francisci nomen, ac fama inclaresceit.*
CAP. II. *Patratis in utrâque Austriâ, eique conterminâ Ditione prodigiis in Germaniâ post mortem celebratur Franciscus.*
CAP. III. *Beneficia in Bohemiæ Regnum pari Incolarum admiratione à Francisco collata.*
CAP. IV. *Impensi in Franciscum studii in Inferioris Rheni Provinciâ lætissimi successus.*
CAP. V. *Patrata tùm in Germaniæ Superioris Provinciâ, tùm in Belgio à Francisco post mortem prodigia.*

VE-

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

VENERABILIS
FRANCISCI DE HIERONYMO
VITÆ
LIBER I.
CAPUT I.
Franciſci ortus, ac pia Educatio.

CRyptaleæ (1), in Hydruntina (2) Neapolitani Regni Provincia, nobilis prope Tarentum (3) locus, Franciſci, cujus Vitam ſcribo, natale ſolum fuere. Ibi ipſum Joanne Leonardo de Hieronymo Patre progenitum Gentileſca Gravina legitimo ei matrimonio copulata XIV. Kalend. Januarias anno Repar. Sal. MDCXLII. primo partu in lucem effudit. Honeſta quidem ejus Parentum conditio fuit; at, quod rerum omnium caput eſt, pietati eximiè addicta. Quàm proinde diligenter in liberis Deo educandis conſenſerint, tum Franciſci ipſius, tum aliorum, quos ſuſcepere liberos, optimi indicarunt mores. Nam,

(1) *Vulgò* Grottaglio. *Meminit harum in ſua Italia Leander Albertus* pag. mihi 233. (2) *Terra d' Otranto.* (3) *Taranto.*

Digitized by Google

qui poſt Franciſcum natus eſt, Cataldus non levia pietatis edidit exempla: In ſeculari enim, ut loquimur, habitu Fratris lateri Neapoli adhærens, ſacras ejus expeditiones, voluntarius veluti miles, ſponte ſecutus, Divinam & ipſe Gloriam pro modulo amplificandam ſuſcepit. Qui tertio loco natus eſt Joſeph Maria, Societati nomen dedit, ac domeſtici Adjutoris ſorte contentus, religioſis virtutibus, ut ſuo loco dicam, ad extremum uſque vitæ diem conſpicuus fuit. Dominicum adhuc ſuperſtitem, ſi nihil aliud, ſpectata Germanorum Fratrum pietas ſatis commendat. Nec in Thoma poſtremo omnium fratre levia ſanctitatis eluxere veſtigia: Eccleſiaſticam quippe vitam amplexus Curionis (, Archipresbyterum, ſeu Paræciæ Curatorem apud nos paſſim vocant) Cryptaleis fervidè munus obiit, honeſtæ vitæ exemplis popularibus ſuis vel poſt mortem Venerabilis. Ex horum vero ſororibus, quatuor vix in lucem editas, ac baptiſmo luſtratas Cœlum recepit: duas vero alias, Eliſabeth nimirum, ac Tereſiam à familiæ moribus minime deſciviſſe concors, & conſtans eſt omnium fama.

Quàm porro feliciter Parentum culturæ in Franciſco præcipuè reſponderint jacta virtutum ſemina, vel ab ipſa ejus pueritia ſtatim apparuit. Ab ejus enim ætatulæ nugis abhorrens in Chriſtianarum virtutum palæſtra ad undecimum uſque vitæ annum ſe jugiter apud ſuos exercuit, in Templis, ac Sacellis frequentandis, in precibus fundendis, in aliorum puerorum turba Chriſtianæ Doctrinæ rudimentis imbuenda aſſiduus. Quæ res ut Civibus admirationi, ita Parentibus non levi incitamento fuere, ut eum, Samuelem veluti alterum, undecim vix annos egreſſum celebri Eccleſiaſticorum Sodalitio, quod *Communitas* vulgò Cryptaleis dicitur, adſcribendum offerrent. Illuſtrem hunc Sacerdotum cœtum jam inde ab anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum quadrageſimo primo Thomas Caracciolus Tarentinus Archiepiſcopus, ex illuſtri Teatinorum Ordine ad eam Inſulam evectus, ſub Sancti Cajetani Thienæi patrocinio ibi erigendum curaverat, nullis quidem Regularium votis obſtrictum; iis tamen regulis, ac ſanctionibus communitum, ut ſuæ, ac proximorum ſaluti indefeſſam in ea quiſque navaret operam: ac de ſuo licet viverent, in communem tamen animarum utilitatem vitam inſtituerent.

His adjunctus Franciſcus, ad veram virtutis normam ſeſe affa-

Digitized by Google

affabrè expolitum brevi tempore oſtendit. Mira in eo docilitas, morum ſupra ætatem gravitas, inſigni modeſtiæ velo protecta innocentia, ad res Divinas, Sacraſque ſupra quàm credibile eſt incenſa proclivitas. Conſuetis aliorum precibus, piiſque meditationibus alias de ſuo addere, atque ob id ſomnum contrahere: antelucanus clam Templum adire, ſtatâque ſurgendi horâ, ne alios hæc aſſiduitas adverteret, in cubiculum ſeſe recipere. Hæc, aliaque id genus à Sodalitii Moderatoribus non ſemel deprehenſa, eos impulere, ut a Tarentino Præſule, cui, quod ad res ſacras ſpectat, Cryptaleæ parent, tam bonæ ſpei adoleſcentulo primum Eccleſiaſticæ Tonſuræ honorem impetrarent; quod anno ejuſdem ſeculi quinquageſimo octavo ſumma cum omnium gratulatione eſt factum. Mox novo Clerico Franciſco Æditui ſimul, atque Cathechiſtæ munus eſt demandatum. Utrumque ipſe accuratè præſtitit: in pueris tamen, ac rudibus edocendis admiranda veteranis ipſis Sacerdotibus viſa eſt ejus ſolertia. Ea enim perſpicuitate altiſſima Chriſtianæ Religionis myſteria enucleabat, eo ardore legis præcepta inculcabat, ut alii *Angelum*, alii veluti per iocum *Patrem Franciſcum* jam ex eo tempore eum vocitarent: æqui vero rerum æſtimatores, qualis adulta ætate futurus eſſet, è tam præclarè poſito Clericalis militiæ Tyrocinio ſatis conjicerent.

At non Civium ſuorum inſcitiæ dumtaxat depellendæ, verum & eorundem inopiæ ſublevandæ non levis Franciſco vel à teneris cura fuit. Et in Sodalitio quidem agens, quidquid ſive pecuniæ, ſive aliarum rerum alicunde colligeret, in Templo pauperibus erogabat: utque hanc liberalitatem ad Evangelii normam occuleret, ſi quem ſtipis indigentem inibi nanciſceretur, poſt majoris Aræ latera ad ſe accedere juſſum, qua poterat ope, clanculùm ſolabatur. Domi vero, cum ſupra mediocres familiæ facultates panem, ac pecuniam à Franciſco profundi cenſerent Parentes, nimiam ejus largitatem olim obiurgavit Genitrix; atque ut miſericordiam ipſam non voluntate, ſed facultate poſtmodum metiretur, admonuit. Cui Franciſcus, Nil eſſe, repoſuit, cur adeò familiæ metueret, quæ in Divinæ Providentiæ infinitis opibus locuples haberet ærarium: certum exploratumque ſibi prorſus eſſe, domi eo temporis momento nec panem, nec pecunias deeſſe. Quæ libera filii verba, ac præter expectationem prolata expendens Mater, rem curioſius

Digitized by Google

indagat: armarium confeſtim aperit, atque admirabunda pane, pecuniaque refertum illud perinde invenit, ac ſi nihil earum rerum detractum inde unquam fuiſſet. Hinc filium attonita ſtatim advocat, ac ſeſe revocans, indictum vult eſſe quidquid paulò ante dixerat: pergeret proinde, ac domeſticas res pro libito pauperibus elargiretur: familiam Deo fretam, Deo curæ deinceps futuram eſſe ſeſe minime dubitare. Hæc ab ipſa Franciſci Matre ſe audiviſſe Dominico Antonio Tagliacotio pluries retulit Barbara de Hectore pia anus: pauciſque antequam mortem obiret horis eamdem iterùm rem ſuo teſtimonio firmavit.

CAPUT II.

Franciſci extra Patriam vita in ſeculo ducta.

NE vero literarum, bonarumque artium ſucco deſtituta, hæc, quæ in optimam hactenus ſpem ſuccreverat, Franciſci virtus, velut in herbis, langueſceret; è familiæ, ac patriæ re Parentibus fore eſt viſum, ſi celebriorem aliquam in Urbem miſſus, liberalibus ibi diſciplinis animum commodiùs eruderet. Hinc eorum juſſu proximam in urbem Tarentum principiò ſe confert: ibique apud noſtræ Societatis homines Philoſophiam audit. Quo tempore & magnam ſibi apud hos ingenii, ſingulariſque pietatis famam conciliavit: ac viciſſim ipſe noſtri Inſtituti mores, ac doctrinam explorans, Societatem tum primùm ſibi notam diligere incepit; ejus licet amplectendæ nulla tunc animum pulſaret cupiditas. Noſtrorum deinde ſuaſu, ubi ſe Minoribus, primiſque duobus Majoribus Ordinibus initiatum vidit, Neapolim adire ad altiora ſtudia addiſcenda deſtinavit. Nec invitis id Parentibus actum: qui abeundi venia ei libenter data, Joſephum ſimul Fratrem comitem tradidere; quò, dum literis ipſe operam daret, hic ſub ejus cuſtodia à præcellenti aliquo Magiſtro pingendi artem, prout optabat, ediſceret.

Et Neapoli quidem degentem Franciſcum ad Cæſarei, Pontificiique Juris ſtudia animum intendiſſe, atque à Benedicto San-

Digitized by Google

Sanchez de Herrera Puteolano Episcopo, XIII. Kal. April. anno supra millesimum sexcentesimo sexagesimo sexto, domestico in Sacello, Sacerdotii Ordine insignitum fuisse Italicè conscriptæ ejus vitæ Authores tradunt, a Tarentino Præsule Commendatitiis, seu *Dimissoriis*, ut vocant, Literis prius, prout opus erat, acceptis; atque ex Apostolicæ Sedis Diplomate ætatis non dum legitimæ sublato objice. In plurimorum vero superstitum memoria insidet adhuc Franciscum jam Sacerdotis in Collegio Nobilium, quod sub Nostrorum cura est, ad plures annos mora. Hanc ille sedem, tum quò religiosius, atque honestius a secularium hominum contubernio semotus vitam transigeret, a loci Rectore cupidè expetiit: tum quò Sacræ Theologiæ studiis in Neapolitano Collegio commodiùs animum excoleret. Quare inter Cubiculorum Præfectos adscitus, Josepho Fratri, ne ejus curam abigeret, eodem in loco hospitium impetravit.

In demandata porro sibi nobilium illorum Adolescentium cura eò cogitationes omnes intendit Franciscus, ut vitæ suæ exemplo potius, quam alia ulla re, ætatulam illam, quæ imitatione potissimum ducitur, ad meliora impelleret, urgeretque. Quare ubi ad scholas eundum de more esset, non tam authoritate, quam oris modestia, & gravitate incessus honestatem iis præcipere; ubi in cubiculo literis, vel sacris rebus navanda opera, debito vigilantiæ munere non intermisso, sese ad studiosi, vel pii hominis formam omninò componere. Insomnes præterea noctes orando sæpe tractæ, perpetuum corporis odium, atque afflictatio, secessus, ac solitudinis, quo ad ejus fieri poterat, ingens studium id effecere, ut in eo Collegio *Sanctus Sacerdos* passim audiret. Et hæc quidem de Franciscí moribus apud externos juxtà, ac Nostrates invaluerat opinio; cum ejus confirmandæ nova ex improviso oblata occasio est, quæ virtutem altissimas in ejus pectore radices egisse luce clarius patefecit. Equidem rem gravium Virorum prædicatione, ac testimonio memorabilem, ut ex authenticis ejus Actis ab oculato teste, ac per id tempus ejusdem Cubiculi Convictore Francisco Albertino Oratorii S. Philippi Nerii Sacerdote excerpsi, bona fide referam; tametsi paulò aliter totius facti seriem narrari ab aliis sciam.

A præscriptis Adolescentium disciplinæ legibus forte deerraverat è Convictoribus quidam. Nomini parco, ne in perpetuum

Digitized by Google

tuum familiæ dedecus horrendum facinus cedat. Collegii Œconomo crimen ex officii munere deferendum cenſuit Franciſcus. Arceſſitur ad ſupplicium Juvenis, obiurgatur, admiſſique de more dat pœnas; atque, ut erat à multa recens, ad ſocios lacrimabundus ſe recipit. Hujus enimvero gemitum indignè ferens Germanus frater, Præfectum illico adit, ac furore concitatus, quidquid probrorum, & contumeliarum præceps ei ſuggerit ira, in ipſum petulanter evomit; nec manibus temperans, alapâ ei incuſsâ puerilem fratris ploratum ulciſcitur. Ad atrox adeò, inopinatumque flagitium exhorruere Contubernales; partimque furentis adoleſcentuli ſacrilegium, partim innocentis, honeſtique viri calamitatem deteſtati, de reo è feneſtra in Collegii atrium præcipitando collatis inter ſe ſubitariis conſiliis agunt. Contra verò rei indignitate ne commotus quidem, ad furentis in ſe adoleſcentis genua provolutus Franciſcus, & maxillam alteram ad Evangelii normam ei percutiendam offert; & incitatæ multitudini ſolus obſiſtit, enixèque poſtulat, ne de animi impote ſupplicium ſumere ullum velint: qualemcumque illam injuriam condonatam ab ipſis etiam ei eſſe oportere, cui ipſe ex animo ignoſceret. Quieſcerent porro, caverentque ne ad Collegium, atque ad Collegii præſertim Moderatores ejus facti notitia permanaret. Hoc vero poſtremum, perinde atque optabat, impetrandum ab iis fore, nequicquam ſperare potuit Franciſcus. Quî enim rem in publico Juniorum convictu factam, quorum ætas rimarum, ut ajunt, plena eſt, ſilentio involuendam ſibi ſponderet; cum ne a provectioribus quidem in re præcipuè tanti momenti expectare id debuiſſet? Vulgata opinione celeriùs res eſt maxima cum Franciſci laude, ab eoque communem piorum hominum conditionem longo intervallo ſuperari jam tùm judicatum; quippe qui ſubitis in caſibus de primis ipſis animi motibus feliciter adeo triumpharet. Intelligique exinde ceptum, quam verè P. Bernardus Burſa in eodem Collegio rebus ſpiritualibus Præfectus identidem dictitaret: *Quæ, & quanta virtus in Franciſci pectore lateat, non dum ſatis conſtat: poſterorum notitiæ, atque admirationi hoc reſervatur.*

Quibus porrò donis hanc ejus in toleranda injuria fortitudinem, atque conſtantiam remuneratus ſit Deus, & quibus eam gradibus ad altius ſanctimoniæ faſtigium provexerit, enarrare jam pergo.

C A-

Digitized by Google

CAPUT III.

Franciſci ad Societatem vocatio, poſitumque in ea Tyrocinium.

HActenus, nec Societatis, nec Regularis ullius Inſtituti amplectendi ulla Franciſci animo obrepſerat cogitatio: à puero quippe Cryptaleenſi Sodalitio addictus, in ejus unicè commodum ſeſe effingere ſtuduerat. Quidquid proinde ſive doctrinæ, ſive alterius cujuſcunque facultatis alibi collectum in ſe haberet, id in Patriæ, ſuorumque civium utilitatem, peregrinas veluti merces, aſportare meditabatur. Cum præter expectationem, ſive cœlitùs injecta illi ea mens fuerit, ſive Noſtrorum aliquis adhuc deliberantem ad id opportune impulerit, in Societatem adſcribi enixè poſtulavit Franciſcus. Ejus petitionem in noſtri Ordinis emolumentum ſine dubio ceſſuram, nec *niſi* præter æquum & fas eum repelli poſſe Candidatum, vitam ipſius, ac mores edocti ſtatim cenſuere Moderatores. Ætate illum quidem paulò provectiorem videri, nec ſatis firma valetudine, prout ad Societatis labores adeundos opus eſſe conſtat: at Sacerdotio ex altera parte initiatum jam eſſe; Philoſophiam Tarenti, Theologiam apud Noſtros Neapoli non ſine ingenii laude tribus jam annis edidiciſſe: ætatem, tenueſque vires optime rebus hiſce compenſatum iri. Contra vero magno noſtri Ordinis detrimento ejus deſiderium retardari, quem omnium virtutum genere excultum ipſi probè noſſent, & egregia demiſſi, moderatique animi documenta, atroci nuper injuria fortiter tolerata, præbuiſſe perſpectum jam plurimis foret. Dignum Societate jam eſſe, qui eam, ſi minus alia re, tam inſigni certe ornaturus foret exemplo.

Verum dum de Franciſco admittendo, maturè diſcuſſa re, ita pronunciant Moderatores, ejuſque ad nos ingreſſum pro virili urgeri percupiunt; parum abfuit, quin & ſuo ipſe fraudaretur voto, & concepta de eo propediem ingreſſuro Noſtrorum omnium ſpes omnino præcideretur. Etenim, ubi quid conſilii Filius caperet, reſcivit Pater; confeſtim ad eum è Patria plenas benevolentiæ, & querelarum dat literas, quibus cum

de

Digitized by Google

de ſententia deducere conatur. *Huccine familiæ ſimul, & Patriæ ſpem uno impetu recidiſſe, quibus Sacerdos jam, ac doctrinis excultus non levi poterat eſſe emolumento? Quid ſibi cum Societate, cujus ſeveræ diſciplinæ tolerandæ provecta ejus ætas par eſſe nequiret? Satis multis primi ſubſellii hominibus refertum eum Ordinem eſſe, qui vel è ſuggeſtu dicant, vel è Cathedra doceant: inter quos in aliquo numero eſſe difficile nimis, ac laborioſum fore; in nullo vero, ſordidum juxtà, ac moleſtum. In Cryptaleenſi Sodalitio, ſecluſo harum moleſtiarum metu, omnia Societatis munia poſſe ab ipſo in animarum commodum pro libito exerceri. Poſtremò adeo-ne lapideum ei pectus eſſe, ut nulla eum Patris in ſenium vergentis, nulla duarum innuptarum hactenus ſororum miſericordia flecteret? Utrique puellæ, ſi humanitùs quid ſibi accideret, unum ipſum è Fratribus proſpicere poſſe, ut vel domi nempe decenter ſuſtentarentur, vel ad honeſtas nuptias tranſirent. Mutaret proinde mentem, ac perpetui ſuorum luctus, Paternique ſimul funeris accelerandi author jam eſſe deſineret.*

At vero nec paternis literis, nec amicorum eòdem collineantium conſiliis commotus quicquam Franciſcus, Deo ad Societatem vocanti, quàm cuilibet ab ea revocanti obſequi ſe malle reſpondit. Graviterque adeo, ac luculenter ea ſuper re ad ſuos reſcripſit, ut ad Divinas rationes pius cæteroqui Pater rem expendens, humanis affectibus quamlibet refragantibus, ampliſſimam Filio Societatis adeundæ poteſtatem fecerit. Et Divinis quidem Conſiliis hoc pacto acquieviſſe pœnitere ipſum potuit nunquam. Quin potius ubi multis poſt annis Franciſcum in Patriam revertentem aſpexit, ac melioris vitæ præceptis ſuos informantem Cives; tum vero longævæ ætati ſuæ gratulatus, ſingulari Divinæ Beneficentiæ munere id ſe voluptatis capere agnovit, ut de tartareis hoſtibus opima referentem ſpolia Filium ſuis cerneret oculis, ac de eodem in Chriſtianæ Reipublicæ bonum edito turmatim ſibi gratulantium amicorum voces ſuis ipſemet auribus vix ſui præ lætitia compos audiret.

Rebus igitur ita complanatis, cum libera jam Franciſco ad noſtrum Ordinem pateret via, ejus pro libito amplectendi copia à Moderatoribus ſtatim facta. Quare anno proximè elapſi ſeculi ſeptuageſimo, Kal. Julii, quæ dies Magnæ Matris Eliſabeth inviſentis feſtam antecedit lucem, ætatis ſuæ annum agens vigeſi-

mum

Digitized by Google

mum ſeptimum, ac ſuper hos ſeptimum jam menſem progreſſus inter Societatis Tyrones in Neapolitana Probationis Domo eſt cooptatus. Cujus ne rei in eo, unde abibat, Nobilium Collegio memoria intercideret, in Seminarii Diario, quod ſcribendum ſuſceperat, ita eam adnotavit, ſeu paulò ſuperius memoratus P. Bernardus Burſa, ſeu, ut quorundam opinio eſt, P. Marcellus Biba,

Kal. Julii.

Ingreſſus in Societatem eſt Domnus Franciſcus de Hieronymo Cubiculi Domini Jeſu Præfectus. Ei quinquennium ferè præfuerat, maximo Noſtrorum, atque externorum Juniorum exemplo. Tertio jam anno Sacræ Theologiæ operam dabat. Ingenio maximè valet, imo & manu; nam nec picturæ ignarus eſt, & teſſellatis palearum variè coloratarum ſegmentis (quod Hydruntinæ Provinciæ proprium eſt artificium) rerum figuras affabrè exprimit. Pyrobolis, miſſilibus, aliiſque id genus factitiis ignibus efficiendis mirè aptus. Optimus erit Societatis Operarius.

Verum enimvero fauſtiſſimum fore noſtro Ordini hunc diem Franciſci ad Societatem admiſſione ſignatum, antequam reipſa probaret eventus, perſentiſcere aliqua ratione viſus eſt, qui tunc Tyronibus præerat, P. Andreas de Mari; Vir tum generis ſplendore, tum eximiâ in Deum pietate, aliiſque virtutibus clarus. Hic dum domeſtico in Sacello ante Deiparæ Virginis Aram novum Candidatum extima noſtri Ordinis veſte de more inſignitum it, atque in ejus ſe inclinat amplexum, veræ virtutis ſimulacrum ſibi in eo ſuſpicere eſt viſus, ac cœleſtis cujuſdam voluptatis inſolito ſenſu perfundi. Quare in hæc verba paulò poſt erupiſſe fertur: *Hodie Sanctus nobis adjunctus eſt Sacerdos.* Sua vero ſe opinione deceptum minime fuiſſe paucis poſt diebus expertus eſt: in ejus quippe mores animum accuratiùs advertens, nihil in iis deprehendit à noſtrarum legum norma abhorrens, nihil non eximiæ pietatis lima expolitum.

Nec tamen ob hæc molliter eum tractandum cenſuit ſapiens, ut erat, animorum regendorum ipſe Magiſter; non uno ſcilicet exemplo edoctus, niſi ad duram ærumnarum cotem exacuantur, ſitui, ac rubigini obnoxias eſſe virtutes. Quam ob rem ſi difficilius quid domi agendum, id Franciſco præ cæteris imperatum; ſi quid abjectius urgendum, eidem ut viliſ-

Digitized by Google

simo omnium capiti demandatum. Ejus præterea publicè objurgandi occaſio de induſtria quæſita: vixque unquam accidit, ut ſuarum noxarum quiſpiam à Moderatore coargueretur, quin eodem verborum impetu ad increpandum Franciſcum declinaret oratio. Cumque hoc frequentiſſimè fieri Tyrones animadvertiſſent, ſicubi ad ſeveritatem compoſitum in ſua ipſorum vitia invehi Rectorem cernerent, tacitis ſecum cogitationibus reputabant, tum eam denique remiſſuram procellam, cum in Franciſcum detonuiſſet.

Hæc de ejus Tyrocinii rebus, à noſtra cæteroqui memoria ſemotis, generatim memoraſſe ſatis ducerem; niſi duo, tamquam à fide dignis accepta, à poſtremo ejus vitæ Scriptore referri perſpexiſſem; quorum utrumque ejus animi demiſſionem, atque aſperis in rebus tolerantiam mirè commendat. Ac primò eorum illi Tyronum, qui ad domeſtica officia in *Coadjutores*, ut ajunt, *Temporales* aſſumuntur, curam demandatam fuiſſe ferunt. Jam horum aliquis Sacerdotii fortaſſe dignitatem in eo reveritus, ex ima parte domus, ut eum illùc accedendi labore levaret, aquam quotidie tergendis manibus afferebat. Delata ad Rectorem res eſt, qui Franciſcum atrocis veluti criminis reum accerſens: *Præclarè vero*, inquit, *agis, qui Societatis vix initæ admittere ea audeas, quæ vix, ac ne vix quidem in ſenioribus tolerari fas eſt. Poſthac, ſi ſapis, in ea te familiæ vitam degere cogites oportet, quæ famulatum aliis exhibere quidem amet; exhibitum verò, niſi neceſſitas cogat, conſtantiſſimè reſpuat.* Ad hæc, ut parem delicto pœnam injungeret, ad ſutlonis officinam ſingulis eum diebus accedere juſſit, ibique ſordida ea aqua, qua linea ſupellex mundatur, os, manuſque abluere; eo enim in loco aquæ ei affatim fore. Id porrò, ut imperatum fuerat, diu exequi adeo non detrectavit Franciſcus, ut alacrem ejus animum ad imperata facienda contemplatus Magiſter, inflictæ eum pœnæ moleſtia tandem liberaverit.

Acriùs vero ejus animum divinis penè rebus innutritum pupugit alterum, quod de ejus virtutis gradu ſumendum ſibi Moderator duxit, experimentum. Rem eum Sacram quotidie facere vetuit; ter dumtaxat ſingulis hebdomadis ad Aras operari permiſit. Hanc quoque calamitatem à ſe amoliri, Cœleſtis licèt Epuli fame, atque obſequii Deo præſtandi cupiditate vexatus, ne cogitavit quidem Franciſcus. Suo ſibi vitio id potiùs

Digitized by Google

tiùs accidiſſe ratus, multò acriori ſupplicio ſe dignum dixit; quàm ut à Sacra Menſa aliquoties tantum arceretur. Quatuor proinde diebus, quibus Sacro cum aliis Tyronibus adſtare ex Moderatoris ſententia debuit, in lacrimas effuſus ſacram Synaxim ſi minus re, ſaltem ardentis animi voto ſuſcipiebat. Prudens porrò Tyrocinii Rector, ubi nec refractarium, nec pietatis obtentu tumidos foventem ſpiritus Franciſcum agnovit; ejus probitatis periculum ulterius facere deſtitit, atque abrogato interdicto ad quotidiana eum Sacra revocavit.

Præter hæc, ejus animi demiſſionem quali munere dignatus ſit Deus, Franciſci ipſius verbis deſcribere juvat, qui piæ cuidam fœminæ, quæ ad uberiorem animi ſui profectum ejus utebatur conſiliis, proprio nomine diſſimulato rem ita aperuit. Ad ſanctitatis metam non æquabili, prout opus erat, curſu contendere ſe angebatur illa; &, *Quid hoc*, ajebat, *quid tandem hoc rei eſt, Pater? Vehementius in Deum nunc tendere mihi videor, atque inter cœleſtes verſari delicias: nunc, reflante veluti vento, ab eo recedere, deſertis veluti, arentibuſque ſcopulis illiſa Navis. Ejus opem imploro; at illum à me veluti avulſum experior. Tales cur patiar vices, diſertis mihi verbis ediſſeras, rogo.* Pluribus eam ſciſcitari pergentem his verbis interpellavit Franciſcus. *Rem à me petis, quam tibi hæc, quæ non præter rem videtur hiſtoria, optimè opinor declarabit. Noſtram Probationis Domum Sacerdos quidam ingreſſus eſt, cui ex Magiſtri edicto non niſi ter ſingulis hebdomadis divinum rem facere licebat. Huic miſero, quibus diebus animi tantum affectu cœleſtis Epuli famem depellere integrum erat, Servator humani generis Chriſtus Jeſus, Sacerdotis ſpeciem præferens, ac duobus Cœleſtibus Geniis velum acu Phrygia pictum ſerentibus hinc inde ſtipatus, ſui deguſtandi Corporis copiam faciebat. Cum ex improviſo hæc omnia ſibi ſubtrahi non ſine animi ſui dolore expertus eſt. Profudit ubertim lacrimas miſerrimus Tyro, ingemuit, exclamavit, diligenter interim explorans ſuo-ne aliquo vitio, animive labe, jucundiſſimo illi cœleſtium deliciarum rivulo viam præcluſiſſet. Agnovit tandem, conſuetâ quotidianæ relaxationis horâ inutilium verborum neſcio quid ſibi per iocum excidiſſe: & criminis veniam toto triduo precatus audiit tandem, in Divinæ Matris gratiam ejus ſibi delicti veniam dari, atque ad intermiſſas Euchariſticæ Menſæ delicias, atque illecebras ſe revocari Jam*

Digitized by Google

ut ad te redeam: ſatis ex hoc facto intelligis, magna vigilantiæ opus eſſe; cum quædam ſint noſtro quidem judicio levia; quæ tamen Divinam nobis familiaritatem ſæpiſſime eripiunt.

Hæc ſibi à Franciſco dicta piiſſima ea mulier teſtata eſt, quam mentitam fuiſſe perperam quis ſuſpicetur; cum ſe id audiviſſe, jurisjurandi fide firmaturam ſe, ſi opus foret, receperit. Tali vero narratione nullum alium à Franciſco, niſi ſe, indicari potuiſſe, ex duabus conjecturis colligi prudentiſſimè poteſt. Prima eſt, quod rem exactè adeo retulerit, quæ ſi ad alium quempiam ſpectaſſet, non ita de facili explorata ipſi eſſe potuiſſet, qui regendis Tyronibus nunquam præfuit. Altera à nominibus illis *Infelicis*, ac *Miſeri* petitur, quibus eum Tyronem, ac Sacerdotem appellavit: hæc quippe vocabula uti ſibi ipſi adſcribere conſuetum, ac familiare ei fuit; ita alios iiſdem vocibus appellare ab ejus circumſpecta ſemper loquendi ratione perquam alienum.

CAPUT IV.

Lupias mittitur Franciſcus, inde Neapolim revocatur.

PRimum probationis annum in Tyrocinii Domo hæc agens expleverat Franciſcus; cum toto biennio, ut plerumque fit, inibi ipſum detineri haudquaquam opus eſſe cenſuerunt Moderatores, quem ad Societatis munia obeunda jam tùm ſatis idoneum eſſe perſpexerant. Antequam igitur ſimplicia Scholaſticorum vota ritè ederet, ſuorum laborum primitiis luſtrandam Hydruntinam ei tradunt Provinciam; ac Lupias, Urbem vaſtiſſimæ ejus ditionis caput, eum ire jubent, in cujus Civitatis Collegio ex veteri præſcripto duos perpetuò Societas Sacerdotes alit, qui Pagos, Oppida, adjectaſque Provinciæ vicinas Urbes Apoſtolicis expeditionibus magna anni parte circumcurſent. Id ſibi muneris, ac laboris obtigiſſe ſummopere gratulatus eſt Franciſcus; tum quòd Tyroni ſibi novi alterius Tyrocinii opportunitatem oblatam cerneret, qua ad Indicas, quas optabat, Miſſiones oppidò difficiliores animum compararet; tum quòd eo ſub Collega, ac Duce prima novæ militiæ veluti

veluti ſtipendia meriturum ſe intelligeret, à quo ejus officii optima ratione præſtandi artem, ac methodum ediſceret. Erat is Pater Agnellus Brunus Neapolitanus, morum ſuavitate, religioſis virtutibus, lucrandarumque Deo animarum ſtudio eximius; quem in Domus Profeſſorum Templo, in pœnitentiæ Tribunali ſedentem Nonis Junii anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum octogeſimo octavo, ipſo Pentecoſtes pervigilio ingens terræmotus ruina oppreſſit, ac vivum è ruderibus extractum paucis poſt horis maximo cum omnium dolore exanimavit.

Qui verò fructus ab exantlatis in ampliſſima ea regione ab utroque viro laboribus obvenerit, literis exactè conſignatum in Neapolitanæ Provinciæ tabulario minimè reperitur. Maximos eos fuiſſe generatim, atque obſcurè tantùm aſſerunt. Eos inde tamen in Apuliam, conterminam Hydruntinis Provinciam, ad Divinum in ea Cultum promovendum divertiſſe peculiariter memorant. Ac dum Vigiliis (1), celebri Tranum (2) inter Melphictumque (3) Urbe, incolas ad Cœleſtis Patriæ amorem verbis, probæque vitæ exemplis incendere ſatagerent, de iis interrogatam quamdam cœleſtibus donis illuſtratam Mulierem, illicò quid cenſeret aperuiſſe: *Illos nimirum Divini Verbi Præcones cœleſtes ſibi duos Genios videri*. Addunt denique in utroque ita appellando multarum Urbium populos ſuis acceſſiſſe ſuffragiis; præſertim cum ſeſe anteactæ vitæ pertæſos egregiâ eorum operâ ad Chriſtianæ legis ſtudium traductos perſpicerent.

Præter hæc tamen negligenter admodum eo tempore perveſtigata, illuſtriora oppidò ſunt, quæ ex ipſâ Hydruntina Provincia, octennio poſt Franciſci obitum à Nicolao Thoma Farina ex illuſtri Prædicatorum Familia tranſmiſſa perlegi. Qualem enim, quove cœleſtium rerum lumine, atque afflatu imbutum jam tùm in ſuis caſtris Societas Tyronem aleret, cernere indè perſpicuè cuique licet. Neritum (4) igitur, in ſatis nobilem Salentinorum Urbem per ea ipſum tempora cum Bruno divertiſſe conſtat: ibique ad exploranda nobilis cujuſdam puellæ ambigua adhuc de religioſæ vitæ ſtatu conſilia à Neritino tùm Antiſtite Thomâ Brancatio adhibitum, perſpicacem illam, qua divinitùs floruit, in rebus occultis ad unguem penetrandis præ-

(1) *Biſceglia.* (2) *Trani.* (3) *Molfetta.* (4) *Nardò.*

Digitized by Google

præſenſionem affatim prodidiſſe. Lydia Cajetana de Adamis hæc erat, quæ deindè aſſumpto Tereſiæ à Jeſu Neritinæ nomine, prioris illius Abulenſis ſeverioris Carmelitarum diſciplinæ Reſtauratricis virtutes æmulata, novi ſub eadem regula Aſceterii Inſtitutrix Neriti fuit. Egregiæ igitur ſpei adoleſcentulam, ac ſingularibus Dei donis, ut legere in ejus vita eſt, jam indè à teneris auctam, cum nonniſi unico, quod ea tùm Civitas habebat, Sanctæ Claræ aſceterio adſcribi tùm Brancatius Antiſtes cuperet, tùm Religioſæ Perfectionis ſtudio, ac fama ſatis celebris Clara de Amato multò ardentius exoptaret, alloqui ſuper hac re è pœnitentiæ ſubſellio pluries Franciſcus debuit. Cumque ad ſeverius duntaxat Carmelitarum Inſtitutum arcano quodam inſtinctu allici ſe hæc experiretur; id autem conſilii vel interroganti Franciſco puellari quodam pudore victa aperire refugeret; cœleſti jam epulo mane quodam refecta hæc ſibi ab ipſo dici præter expectationem audiit: *Age jam, filia, in hæc Franciſci peccatoris dicta animum defigas velim. Non Sanctæ Claræ, ſed Sanctæ Matris Tereſiæ Regulam profiteri te jubet Deus. Vin' plura hic peccator addat? en illa: Ærumnis nec paucis hic tibi conatus ſtabit. Quod tum porrò? deſinent ærumnæ, ac prævaluiſſe Dei conſilium tandem ſenties. Tereſiana eris, Tereſiana, Tereſiana.* Hæc hominis dicta cœleſtis quidem voluptatis plena ſibi prima ea ætate accidiſſe teſtata hæc poſtmodum eſt: è præſcia tamen futuri mente ea profluxiſſe non niſi ex facto adultior deindè animadvertit.

Ab introſpectis præterea animi ſui latebris admirabilem jam tum viſum ſibi Franciſcum fuiſſe hæc eadem aſſeruit. Amittendæ quippè divinæ familiaritatis metu per id tempus exagitata, cum nec id Franciſco mane detegere à natura inditus ſineret pudor; dubitantem ſe his verbis ab ipſo interpellari mirata eſt: *Divini amoris jacturam tu mane ante orandum ſubverita, quin eum, qui te anxiam habuit, metum ultrò narras? At verò de his à me rebus admonitam te fuiſſe, caveſis ulli prodas.* Nec minorem in ſimili re ejus perſpicaciam experiri huic Virgini iterum obtigit, cum importunis contra Catholicæ Fidei veritatem cogitationibus integro die obluctata, nec multò poſt domi à Franciſco, ecquid ageret? interrogata; cum in exequendis Dei juſſis verſari ſeſe ipſa repoſuiſſet; *Benè igitur habet*, ſubjungi ab eodem audiit: *Quod enim ſtructas ad tuam labefactan-*

Digitized by Google

tandam Fidem à malo Dæmone insidias forti animo in Dei obsequium feras, pulcherrimum hoc certè est. Arcanos porrò mentis suæ sensus uni Deo cognitos rescire undenam posset huic demiranti, hæc tandem ipse: *Macte animo Filia, nam victa abscedet bellua.* Quibus sanè verbis optatam Virginis animo tranquillitatem ita restituit, ut, veluti repentino suavis auræ afflatu, omnem ex ejus pectore molestam nubem abegerit. Suam etiam orandi, pièque commentandi methodum dum ipsi die alio Teresia exponeret; ità subridentem ipsum dixisse testata deindè post ejus obitum est: *At videsis, quæ tibi Franciscus peccator jam præcinit. Abstrusos animi tui super hac re sensus temporis progressu nec tuis explicare Moderatoribus pro voto poteris: maximaque angorum hinc tibi subnascetur seges. Quòd sanè modò quamvis ne percipias quidem, tempore tamen magistro optimè disces. Ardenter interim, strenuèque te Deo famulari ne pigeat: Tanti quippe est, pulcherrima illa, quæ repromittitur, Cœli felicitas.*

Demum mirabilibus etiam, quas postmodum patravit, rebus in eâdem hac Virgine præluisse ibi ipsum apparuit. Eam enim morbo nescio quo domi detentam, nec nisi summo manè in Templum ingressam, postquam Eucharistico Epulo accumbere jussit Franciscus, multa ei de patientiæ præstantia, ac suavitate præfatus, mox, Quî valeret? præter morem scitatus, non insciam se ejus ægritudinis affatim prodidit. Cumque meliorem suo merito valetudinem experiri se modestè reposuisset Teresia; *Atqui*, subjunxit statim Franciscus, *doloris hujusce molestiâ equidem te levatam velim.* Doloremque reapse ex hominis voto repentè desiisse demirata eo die Teresia, non nisi eo deprecatore id sibi beneficii obtigisse suo deinde testimonio firmavit.

Hæc admirabilis hujus Virginis vitæ à Farina haud ità pridem inserta, equidem memoranda hoc loco eò æquius duxi, quò primorum Franciscí operum peculiare aliquod monumentum vetustati eripi, contractamque ab ipso è reliquis eorum temporum laboribus laudem ex unica hac velitatione æstimare tùm gratius, tùm facilius cuique est. Quæ suis deinde Homologetis ætate, ac virtute provectior retulerit de ipso Teresia, exponenda commodiùs alibi erunt.

Jam ut ad historiæ ordinem redeam; cum de Francisco ad qua-

quatuor votorum Profeſſionem ſuo tempore, ut par erat, promovendo Provinciæ Præpoſitus cogitaret; cumque Theologicæ facultatis addiſcendum ei reſtaret aliquid, ut doctrinæ ſuæ rationem ex integro reddere valeret; ad id opportunè præſtandum è Lupienſi Collegio Neapolim revocandum eum duxit; quod anno elapſi proximè ſeculi ſeptuageſimo quarto factum eſt. Quo anno è Japygiæ, Apuliæque Concionatore, ac veluti Magiſtro in Scholaſticorum ordinem redactus eſt Franciſcus. Porro in Neapolitano Collegio ſeriò licet, conſtanterque in Theologiæ ſtudia animum ipſe intenderit, atque ab arrepta religioſæ virtutis ſemita ne hilum quidem deflexerit; veterem tamen Sacrarum Excurſionum uſum intermiſſum à ſe eſſe voluit, non omiſſum. Profeſti igitur dies Theologicis Commentationibus, feſti vero ſacris Concionibus, qua parandis, qua publicis in compitis ad populum habendis ab ipſo continenter dati: idque ea diligentia, animique ardore præſtitum, ut ſi ejus muneris cura ad ipſum præcipuè ſpectaſſet, majorem in eo ſedulitatem, ac ſolertiam perperam quis deſideraſſet.

Quod vero tàm ejus anni ſpatio, quàm toto univerſim ejus vitæ curſu mirandum omnibus fuit, illud in primis eſt, quod nec doctrinæ famam ipſe affectarit unquam, nec ingenii vim aliquando oſtentare viſus fuerit; doctrina quanquam non mediocris, nec vulgare in eo, ſicubi harum rerum uſu ad Dei Gloriam opus foret, ingenii acumen eluxerit. Certè inter ſcholaſticas Theologiæ occupationes, ea, quæ à Præceptoribus fuſiùs tradita, memoriæ cauſa, in Epitomen ipſe redegerat, placuiſſe adeo Condiſcipulis reperio; ut ubi annui examinis de more tempus appeteret, accuratâ eorum codicum lectione profeciſſe ſe alii, diuturnioris laboris tædium ſeſe effugiſſe alii fatentur. Univerſim vero poſteaquam è paleſtra ad ſuggeſtum gradum facere eſt juſſus; ſive in Templo dicendum ei foret, ſive apertis in compitis, ea arte, ac judicio elaboratæ ſemper ejus apparuere Conciones, ut, Rhetorum licet floſculos ſtudioſè refugeret; boni tamen, atque à præfixo ſibi ſcopo nunquam aberrantis Oratoris partes expleret omnes. Ex tempore illum ad inſcitæ plebis captum dicere opinabantur plurimi; at ubi ab ejus morte in ejus arculis accuratè deſcriptæ ipſius non paucæ repertæ ſunt Conciones, illum meditatè ut plurimùm è ſuggeſtu locutum fuiſſe eò mirabilius apparuit, quò eum aſſiduis diſten-

Digitized by Google

ſtentum curis ad id præſtandum temporis aliquid nanciſci potuiſſe minus credibile fuit. Cumque id diurni laboris opus eſſe minimè potuerit; nocturnarum vigiliarum negotium fuiſſe agnitum eſt. Quo tempore quicquid à precibus, corporiſque cruciatu ſupererat, ſomno detractum, parandis, exſcribendiſque piis ad virtutem adhortationibus inſumere conſueverat: quas nempè non tàm ex humanæ artis præceptionibus, quàm ex inexhauſto Divinæ Sapientiæ fonte derivatas, ad eluenda animorum vitia in alios ferè quotidie transfuſum ibat.

CAPUT V.

E ſtudiorum Collegio ad Neapolitanam Profeſſorum Domum transfertur Franciſcus: primique in ea ejus labores.

EMenſo jam Theologicarum facultatum curriculo, ex domeſticarum legum præſcripto integrum ferè ſeptennium expectandum Franciſco fuit, donec inter quatuor Votorum Profeſſos cooptaretur. Imò Joanne Paulo Oliva Generali Præpoſito ſub ejus temporis finem vita functo (veterum Comitiorum Decretis apud nos tunc ita ferentibus) nonniſi poſt Caroli de Noyelle Succeſſoris creationem ad eam Profeſſionem ſolemni ritu emittendam ipſe cum aliis extra ordinem admitti potuit, VI. Idus Decembris, anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum octogeſimo ſecundo, die Conceptæ ſine labe Virgini Deiparæ ſacro.

Interèa in languorem, atque otium deflexura vivida Franciſci indoles videbatur, ſi maximis oneribus ſupportandis jam ſatis per ſe idonea, aliquâ levioris momenti curâ in minoribus Collegiis diſtineretur. In Neapolitanam igitur Profeſſorum Domum ſtatim à ſtudiis gradum è Collegio facere jubetur; ubi præter aſſiduam laborum ſeriem ſingulis deſtinatam, nova ei præcipuè viribus, animoque præpollenti, in dies, imò in horas rerum gerendarum ſeges veluti ſub manibus pullularet. In eam vix Domum perpetuus Dei Conſilio ejus incola futurus an-

Digitized by Google

no ejus ſeculi ſeptuageſimo quinto ipſe perrexit ; cum ad menſtruam Synaxim noſtro in Templo ſuſcipiendam, ex veteri noſtri Ordinis ritu Romanorum Pontificum Indulgentiis, ac Privilegiis firmato, populos generatim evocandi grave ei munus ſtatim demandatur. Cui provinciæ, optimè jampridem ab aliis ante ipſum procuratæ, quid de ſuo addiderit Franciſcus, ſuo loco pleniùs dicam. Ex quo verò eam ſuſcepit, multiplici gravium Virorum teſtimonio conſtat, hunc in ea adminiſtranda ordinem fuiſſe ab ipſo ſervatum.

Ut maximâ, quoad ejus fieri poſſet, populi frequentiâ noſtro in Templo Euchariſticum Epulum celebraretur, decem ferè, qui tertiam ſingulorum menſium Dominicam lucem præcedunt, dies populis ad Cœleſte Convivium evocandis dabat. Quare, præter præcipuas Urbis partes duplici ſupplicantium agmine, præcedenti Dominico die, ad Synaxim indicendam, partim per ſe, partim noſtrorum Juniorum opera peragratas : præter duas alias à ſe ductas proximè præcedenti biduo deſtinatorum ad id ſuorum Sodalium ſupplicationes ; aliquo è noſtris ſocio ipſe ſtipatus, ampliſſimæ hujus Urbis fora, compita, plateas, vicos, angiportus, ac ſuburbia indefeſſus obibat omnia; omneſque paſſim tintinnabulo excitatos brevibus quidem, at fervidis concionibus ad animi ſordes eluendas, atque ad ampliſſimam delictorum Indulgentiam dicta die obtinendam adhortabatur. Porrò eundem hominem quadragies, eòque amplius, eodem die ad populum, firma ſemper voce, ac lateribus dicere potuiſſe, atque ex eo labore, perinde atque ex otio, integris viribus ſe domum ſub meridiem, ac ſub veſperum recepiſſe, prodigii loco habitum ſemper fuit. Verùm nec anguſtis hiſce limitibus contentus, Neapolitanæ prætereà, atque Averſanæ Urbis pagis excurrendis, nulla ferventis æſtatis, nulla nimboſæ hiemis ratione habita, biduum inſumebat. Ac principio quidem pedes id exequi conſueverat ; deinde quò ruſticos, ac paganos plures Divinæ Beneficentiæ Theſauris locupletaret, aſello prius, mox conducto etiam equo vehi minimè renuit, ut Evangelici Præconis more ad triginta circiter, quos percurrere facilius poterat pagos, idem beneficium ſuis concionibus protenderet.

Tàm ſedulo verò ſtudio, ac labore concitatos paſſim homines Divini Epuli, ac Cœleſtis Indulgentiæ cupidos ad præſti-

tu-

Digitized by Google

tutam diem catervatim ad noſtrum Templum accedere gratulabatur. Accedebant verò compoſito agmine, ſuiſque decoratæ inſignibus plurimæ hujus Urbis Sodalitates. Nec abſimili ordine è ſuburbiis, pagiſque viri, ac mulieres eòdem confluebant, partim Mariani ſerti, partim ſacri alicujus cantici modulatione, ſeu intimæ pietatis ſenſum foventes, ſeu etiam itineris tædium lenientes. Nec ſine ſpectantium lacrimis cernere inter hos erat pueros, ac puellas, qui floreas, quas verno tempore geſtabant, corollas è capite detractas ante Aram certatim projicerent, quò Chriſto Domino ſub Euchariſtico tegmine latenti ſuum, ut poterant, teſtarentur obſequium. Interea loci nec circumfluentem multitudinem ipſe pertæſus, multoque minus laborem ne temporis quidem momento intermiſſum averſatus, ab ipſo lucis initio ad meridiem omnibus, ac ſingulis præſto eſſe, atque adventantes modò gratiarum actione, velut in ſe beneficos, excipere, modò dulciſſimis alloquiis Deo ſiſtere, modò homologeſi expiare, modò denique brevi concione ad ſacram Synaxim puriùs, atque ardentiùs ſuſcipiendam parare. Ita matutinis horis inter hæc pietatis officia continenti ſtudio tractis, ad alios, ſi opus foret, à prandio repetendos labores, in cubiculum ſeſe liquidiſſima animi voluptate perfuſus recipiebat. Quibus rebus præſtandis quadraginta annorum ſpatio parem ipſum ſingulis menſibus fuiſſe ſatis admirabile per ſe fuit: Majo vero, quo ob Sancti Cyrj Martyris cultui dicatum diem, necnon Octobri, quo menſe ob Sanctos Martyres, qui noſtro in Templo coluntur, longè majoribus Civium, convenarumque concurſibus noſtra celebratur Ædes, ſexdecim, & quandoque octodecim hominum millibus ſatisfacere ipſum potuiſſe, admirationem omnem exceſſit.

Neque vero ob hæc felicibus adeò initiis adminiſtrata, expleri in ipſo valuit lucrandarum Deo animarum cupiditas. Quin majoribus in dies compendiis inhiantem ea ipſum hoc tempore ſubiit cogitatio, alias ſibi quærendas eſſe barbaras Regiones culturæ magis indigas, in quibus aut utiliùs laborare, aut fuſo ſanguine ſuum Deo amorem, atque obſequium teſtari uberiùs poſſet. Cumque in Japoniam Evangelicæ Legis Præconibus penetrandi novam affulgere ſpem inaudiſſet; quò priſcis Majorum noſtrorum, maximèque Neapolitanæ Provinciæ Alumnorum inibi impreſſis inſiſteret veſtigiis, re ſecum maturè deliberata, è

Digitized by Google

Societatis Generali Præposito eò se mitti per literas postulavit. Earum exemplum inter ejus schedas post mortem repertum ex Italico fideliter ita verto.

Cum ab ipso mei in Societate Tyrocinii exordio, sudoris, ac sanguinis effundendi, ad Infideles, atque improbos peccatores ad salutis viam traducendos, vehemens mihi Deus desiderium injecerit; cumque majora in dies incrementa ea cupiditas acceperit è Terrarum orbis consideratione in interitum penè ruentis, atq; ob id spiritalis opis inopiâ summoperè laborantis, prout in Sacris Missionibus toto quadriennio continenter obitis experiri mihi integrum fuit; cum denique Patrum ex hac Provincia ad Mexicanam profectione meum animum eâdem super re vehementiùs inflammari senserim; molestus licèt Paternitati Vestræ sim, supplex tamen rogo, ut iis, quibus Divinus Spiritus me ad id enixè desiderandum urget, stimulis obsecundet. Hoc enim Cœlesti afflatu non semel quotidiè sanguinem, ac vitam offerre Jesu Christo jubeor, ad ejus gloriam manifestandam, & ad salutis lucem hominibus cæca Gentium caligine involutis afferendam. Quamvis verò non nova hæc sit cupiditas: tamen occasione Mexicanæ expeditionis supplices Paternitati Vestræ literas dare duas ob causas destiti. Prima fuit, ut Theologiæ studiis finem imponerem; quod quidem proximè sequentis anni mense Majo futurum spero. Altera, quòd Mexicana Provincia magnarum ærumnarum occasionem minimè sufficit, imò nec magnæ alicujus opis eget, quæ præstari Infidelibus possit; cum & culta satis ea Regio sit, & Collegiis abundet, quæ nostris Operariis, & solatio esse possunt, & levamento. Mihi verò nostrum Apostolum Xaverium imitari cupienti novum terrarum Orbem ad Ecclesiam pertrahere in votis est, assiduisque laboribus, ærumnisque interèa premi, imò & omni solatio carere, præter illud, quod in suæ gloriæ incrementum liberaliter impertiri volet Dominus meus Cruci suffixus. Trigesimum secundum ætatis annum ago, à Societate adita quintum, integra valetudine, ac viribus. Dei Optimi Maximi, Sanctique Francisci Xaverii ope confido (annuat modò meis votis Paternitas Vestra) me barbaros inter, atque Idololatras vitam absumpturum, inter compedes nimirum, macharasque, ad gloriam Domini mei Jesu pro mundi salute Crucifixi. Hæc supplex, ac flexis genibus peto, eaque me à Paternitate Vestra impetraturum spero, cujus precibus,

Digitized by Google

bus, ac sacris me enixè commendans, salutem, ut debeo, plurimam precor. Neapoli &c.

Hæc datis ad Generalem Præpositum literis Franciscus. At verò re maturè discussa, consultisque Neapolitanæ Provinciæ Primoribus, eidem Societatis Universæ Moderatori longè opportunius fore visum, si honestæ adeò, piæque petitionis repulsam acciperet. Eidem proinde rescriptum, *Neapolitanam Urbem, ac Regnum ei Indias fore*. Qua voce intellecta, ut erat parendi cupidissimus, omnem Indiarum, & Japoniæ cogitationem sibi abjiciendam ratus, sese ad destinatam sibi messem longè majori studio deinceps excolendam ita comparavit, ut eâdem operâ,& Majorum dictis morem gerere,& barbararum Regionum labores,molestiasque in procuranda hominum salute,non in semotis tantùm Neapolitani Regni Provinciis,verùm & in ipsa Urbe nanciscì abundè posset. Quam sanè Urbem experimento deinde ipse edoctus vasto, ac profundo mari, magnisque piscibus referto, ingentemque proinde piscatoris conatum exposcenti familiaribus in colloquiis comparare consuevit. Qua verò ratione ad id agendum se accinxerit, referendum mox erit.

CAPUT VI.

Neapolitanæ Missioni præficitur Franciscus.

HÆc illa provincia est, quam prioris curâ minimè abjectâ, toto vitæ spatio administrandam, triennio post, anno nimirum elapsi proximè seculi septuagesimo octavo, non minus ex Divinæ Providentiæ placito, quàm ex Moderatorum imperio suscepit Franciscus. Atque in ipso præ cæteris huic muneri præficiendo deceptum se minimè iri probè ipsi jam viderant, quibus qualis, quantusque in Neapolitanorum commodum adoleseeret Divini Verbi Præco, ab ipso susceptæ operæ initio, paucis ante annis liquidissimè apparuerat. Cum enim Civili Messanensium bello quateretur Sicilia; cumque ob auxiliares Gallorum copias illùc advectas ejusdem belli metus Neapolitanum Regnum perceIleret; publicæ huic calamitati avertendæ,

Ca-

Digitized by Google

Caroli II. Hiſpaniarum Regis admonitu, publicas Neapolitanis Civibus preces, criminumque expiationes octonis diebus peragendas indixit Innicus Caracciolus S.R.E. Cardinalis, idemque Neapolitanus Archiepiſcopus. Quod opus, ut excitatis ad pietatem animis vehementiori ſtudio populus urgeret, ſancivit, ut diebus ſingulis Regularium Ordo aliquis pœnitentium ritu, atque habitu, compoſito per Urbem incedens agmine ad Majorem Eccleſiam ſupplicans accederet; ibique inſignis aliquis ejus Inſtituti Concionator ad imminens utrique Siciliæ diſcrimen deprecandum, graviſſimis Cives verbis cohortaretur. Qua igitur die Noſtris id muneris ex Antiſtitis præſcripto obtigit, Franciſco, inter Juniores licet agenti, populum, ſicubi in majoribus compitis frequens adeſſet, ad pietatem, ac pœnitentiam, brevibus identidem Concionibus alliciendi partes datæ. Ad populi verò multitudinem in Cathedrali Templo collectam alloquendam delectus quidem fuit Joannes Andreas Samblaſius, totius penè Italiæ judicio celeberrimus Concionator, atque ad excitandos animorum affectus egregiè factus. Verùm vaſtâ ejus Templi mole confertim confluentium turba jam oppletâ, ſupervenienti undique multitudini nullus illùc introgrediendi patuit locus. Ad eam proinde Templi foribus, ſatiſque amplo, quod ei adjacet, ſpatio circumfuſam, ne Divini Verbi audiendi ſpe fruſtrata domum regrederetur, ad eam, inquam, è ſuperiore loco ex tempore dicere habuit Franciſcus: eâque re utrique multitudini tàm intra, quàm extra Sacram Ædem agenti eodem tempore duplici concione factum ſatis. Et Samblaſium quidem, multarum, ut ajunt, palmarum Oratorem, graviter ita, appoſitèque dixiſſe, ut nemo audientium unus à lacrimis temperaret, mirum non fuit. De Franciſco verò concionandi munus vix dum aggreſſo, pergratum juxtà, ac mirabile omnibus accidit, fervidè ipſum adeò, eloquenterque dixiſſe, ut incertum reliquerit, major-ne intrà, an extrà Templi ambitum agentis populi mœror, ac luctus extiterit. Utrobique verò rem proſperè adeò ceſſiſſe ſibi piiſſimus Antiſtes gratulatus, utrique multitudini animi ſordes lacrimis, atque ejulatibus ex animo deteſtatæ bene precatus, eam purioris vitæ, atque innocentiæ cupidam, atque optima quæque à Clementiſſimo Numine ſperare juſſam in ſuas domos remiſit.

Quem igitur in primis velitationibus tùm hìc, tùm alibi ſtre-

ſtrenuè adeò pugnaſſe viderant, maximum hunc ſacri belli Ducem evaſurum non abs re conjecere, qui ad arduum hoc munus deligendum eum eſſe cenſuerunt. Igitur præter menſtruæ Synaxeos indicendæ, procurandæque onus, duplex aliud ſub unico Miſſionis Neapolitanæ vocabulo Franciſco impoſitum: quorum primum eſt ſingulis diebus feſtivis ad populum publicis in compitis conciones habere, in foro præcipuè Arcis, ut vocant, Novæ, ubi frequentior populi multitudo turpi langueſcens otio mimis, atque hiſtrionibus audiendis ſacras feſti temporis horas peſſimè terit. Alterum eſt, pio Artificum cœtui præeſſe, qui à profeſtorum dierum laboribus feſta luce otium nacti, Patribus comitandis, atque ad concionem habendam deducendis vacant, ex quo *Sodalitii Miſſionum* nomen accepere.

Et à primo quidem labore nunquam ſibi quadraginta circiter annorum ſpatio feriandum duxit Franciſcus, niſi ſi fortè ex Moderatorum nutu extra Urbem ad alia Regni loca ad pietatem traducenda, aut Verni jejunii tempore ad conciones aliquo in Templo eâdem hora habendas avocaretur. Harum ab eo concionum intermiſſionem non attritæ ſenio vires, non ſuprema ipſa ægritudo impetravit. Imò cum in ægro Sene nimiam hanc dicendi aſſiduitatem Majorum imperio coercendam prudentiſſimi quique cenſerent; concionis nihilominus per Urbem ſubinde habendæ ab iis, qui præerant, veniam ipſe lacrimis extorſit ſuis: ac febri vexatus licet, tertia tamen ſingulorum menſium Dominica luce adventantium ad Synaxim turmas excipiendi, eaſque frequentibus alloquiis ad cœleſtis Epuli reverentiam excitandi copiam ſibi fieri, tanquam nullius negotii opus, ab iiſdem impetrare faciliùs valuit. Id genus certè colloquia publicè in Templo loquentis Franciſci ſupremæ voces fuere. Videre ergo erat feſtivo quoque die Miſſionis Sodales longo ordine præeuntes Dei, ac Deiparæ Virginis opem precibus implorare, vel in Divinas laudes pio aliquo modulamine effundi: piumque illud agmen à Franciſco noſtris Junioribus ſtipato claudi. Ipſe verò Junioribus hiſce pro locorum, ac temporum opportunitate in alia, atque alia compita ad concionandum diſtributis; ubi frequentiſſimum adeſſe populum cerneret, è ſuperiore loco vehementer adeò collectam multitudinem affari, ut complurimos ſeu æterni ſupplicii metu exterritos, ſeu Divinæ Clementiæ ſpe illectos, ſupplicantium more in Profeſſorum Domum ſecum reduceret.

Ibi

Digitized by Google

Ibi verò in ampla Pœnitentium Oratorii, ut vocant, Aula collectos ad anteactæ vitæ ſcelera lacrimis abolenda, eademque flagris adhibitis ex parte ulciſcenda graviſſimis hos verbis excitabat, quò penes paratos eodem in Templo Homologetas nullâ morâ interjectâ, noxas omnes depoſitum tandem irent.

Ubi verò ampliori aliquo in Foro à mimis, & circumforaneis ludiis parum pudicè hiſtrioniam exerceri, procaceſque ab his mulierculas in theatrum produci animadverteret; tùm verò ad hos è ſtatione deturbandos ardenti protinus ſtudio accurrere, arreptaque Cruce, veluti gladio, in fugam conjicere: concione etiam ſtudioſè protractâ omnem illis in theatrum redeundi ſpem adimere: aliquando item ex improviſo nil tale cogitantes ſacra concione indicta adoriri, quò hanc hominum perniciem, ac peſtem de Chriſtiana Republica peſſimè meritam ex Urbe pro viribus abigeret.

Et cum Franciſci conſtantia, lucrandæ pecuniæ cupiditate horum quidam incenſi contendere pertinaciter auſi, ei quidem ſacris de rebus ad populum dicturo, ut par eſt, loco plerumque cedere non dubitarunt. At cum brevi hominem dicendo defatigatum iri quodam die ſperarent; ſcenicis veſtibus minimè abjectis, intra theatri ſiparium latuere, quò impuras artes illicò à concione repeterent. Callidè id quidem ab ipſis factum; non ita tamen, ut Franciſci perſpicaciam latuerit. Quare verſutorum homuncionum conſilia eluſurus, concionem ad multam noctem de induſtria protrahit. Atque, ut perſpectam ſibi eorum fraudem jam eſſe cuncti intelligerent, cerea duo funalia ad Crucis latera incendi jubet, firmiſque lateribus, ac voce ad quatuor penè horas dicere pergit, donec ad lucri ea die faciendi deſperationem adactos ſuſcepti fruſtrà conſilii pudere miſeros homines cogat. Qua in re admirabile illud eſt, quod ipſum ad quatuor, plus minuſve, horas dicentem, nec vox, nec laterum firmitas; circumfuſam verò multitudinem ipſius audiendi patientia minimè defecerit. Ac ne ſimilium rerum aliò traducta narratione faſtidium legentibus crem; par huic, aut non abſimile id fuit, quod anno labentis ſeculi decimo quinto Surrenti accidiſſe memorant. Ex Medicorum præſcripto, quò ſupremæ ægritudinis violentiam tùm laborum intermiſſione, tùm purioris Cœli beneficio ſub ipſum morbi initium frangeret, Maſſam Lubrenſem transferre ſeſe juſſus fuerat Franciſcus. Moram

dum

Digitized by Google

dum illîc trahît, Surrentum, proximam in Urbem, fortè divertit; ibique in mimos, ac meretriculas in Foro agentes offendit, populum ad vitia non minori impudentiâ, quàm olim Neapoli fecerant, pellicientes. Substitit ipse aliquantisper: mox Urbis Proepiscopi veniâ impetratâ, Crucem, ac tintinnabulum flagitat: quo vix pulsato, Circulatoribus statim valere jussis ad Franciscum è regione loquentem statim accurrunt Surrentini: nec infelicibus scurris lucrum aliud, præter contemptum, atque ignominiam, ibi locorum eo die obvenit.

Hæc ipse ad id genus hominum procaciam debellandam, quò in Christianæ Reipublicæ perniciem debacchantia scelera in publicum tandem prodire desinerent. Ubi verò se suis artibus, ac labore nihil proficere animadverteret; Urbis tùm Magistratus adire nil morabatur, ut male adeò de Christianis auribus, atque oculis meritam publica ipsi authoritate compescerent audaciam. Perperàm porrò naturali cuidam hominis severitati, atq; ab omni facetiarum specie alienæ per se indoli id quisquam attribuat. Nam & familiaria colloquia modestis jocis, ac salibus hilarè aspergere nec unquam refugit ipse; neque in hos homines asperius aliquid est unquam aggressus, nisi in iis humaniter præmonendis suasiones omnes, atque enixas etiam preces in irritum prorsus cadere conspexisset. Cœterùm si quos in publico lepidè quidem, sed non impudicè agere, si mulierculas Theatro se abstinere in Divinæ Legis obsequium comperisset; horum ipse inopiam corrogatâ à piis hominibus pecuniâ singulis mensibus liberaliter sublevabat, ne ad turpe illud ministerium victus quæritandi studio incitari se infelix hæc mortalium natio prætexeret.

Cum verò nihilo internecinum minus à pellicibus, & scortis Christianæ Reipublicæ bellum immineat; eumque proinde, ex veteri Majorum nostrorum instituto, non minori studio ei, qui Missionibus præest, curandum sit, ne hac etiam ex parte æterna, seu Civium, seu advenarum felicitas periculum subeat; ad hujus mali vires si minus prosternendas, saltem imminuendas, nihil, quoad ejus fieri potuit, sibi intentatum relinquendum esse constituit Franciscus. Quare nec in suis castris securè agere procaces has fœminas passus, earum lustra, ac lupanaria subinde diebus festis adire, Æternique Judicis iram ipsis interminari; bacchanalibus etiam feriis sublecta nostrorum Juniorum manu comitatus ex omni eas latere aggredi, quò infausti-

Digitized by Google

ſtis illis diebus ſcelera ſi minus ceſſare, liberè ſaltem vincere minimè poſſent. Et quamvis in difficillima ejus belli alea operam, ut ajunt, atque oleum ab ipſo perdi exiſtimarent non pauci; à propoſito tamen dimoveri conſtans ejus animus haudquaquam potuit. Quin vetus optimi Parentis Ignatii effatum mente revolvens, *Et ſuos ſcilicet, inſtitutæque à ſe Societatis univerſæ labores in horum vel una aliqua à criminum cœno aliquandiù extrahenda optimè collocari*; ſummo ardore, ac ſtudio id operis pro virili urgere in omni vita perrexit.

Nec pœnitendus ejus laboris fructus fuit, quod diſcurrentem per ea loca amaſiorum, ac lenonum turbam, indicta vix concione, ad ſcelerum objurgationem declinandam partim in fugam adegerit, partim ad ſe audiendum traductam Deo monenti morem gerere, atque ad inolitas criminum ſordes detergendas accedere lætiſſimo exitu pluries aſpexerit. Proſtitutæ verò mulierculæ, atque in peccandi libidine obſtinatæ, quamvis officii æquè, ac pietatis immemores domi concluſæ foribus, ac feneſtris obſeratis, ab ejus ſe vocibus abhorrere ſignificarent; invictâ tamen dicentis conſtantiâ edomitæ, iiſdem mox reſeratis, pronas eidem aures accommodarunt. Itàque factum ſæpenumero eſt, ut quâ perennium pœnarum metu, quâ Divinæ Clementiæ recordatione, in ſingulos penè dies, earum aliquæ miſerum impudicitiæ jugum excuterent, atque, ut in Æterni Regis gratiam reciperentur, Franciſcum adirent. Factum etiam identidem, ut octonæ aliquoties, quandoque etiam denæ paſſo capillo è domibus in publicum prodeuntes *Chriſti Soteris* pedibus advolutæ reſectos crines, veluti pœnitentiæ ſuæ teſtes, Cruci appenderent, profuſiſque ubertim lacrimis anteactæ vitæ veniam interea implorarent. Ac nobili huic à vitiis ad honeſtatem transfugio favens Franciſcus, id genus mulierculas benignè exceptas, ſuorumque Sodalium agmen ſequi juſſas, quò ipſarum ſecuritati conſuleret, in honeſtam aliquam domum, aut in Gynecæum aliquod adductas volebat, donec vel Religioſæ vitæ inſtitutum in Pœnitentium Aſceteriis amplecterentur, vel in matrimonium collocatæ, atque è corrogatis ſuâ, vel piorum hominum operâ pecuniis aliquatenùs dotatæ, omni procul impudicitia vitam deinceps tranſigerent. Quot porrò ad meliorem frugem quadraginta annorum ſpatio Franciſcus traduxerit, cum numerum percenſuerit nemo, conſtare haudqua-

quam

quam poteſt. Illud certè conſtat earum plurimas ita conſilia in melius commutaſſe, ut non minora ſanctimoniæ in Clauſtris ediderint exempla, quàm impietatis in ganea, & luſtris exhibuerant documenta. Et quaſdam ſanctiſſimè jam diem obiiſſe, quaſdam hodieque vivere, ac perfectioris vitę ſtudio intentas cęleſtem penè vitam in terris agitare, compertum jam eſt; è quibus decem, plus minuſve, adjacens Inſanabilium Noſocomio Gynecæum numerat, quod *S. Mariæ à Populo* nomen ſortitum eſt. Conſtat pręterea non leve Franciſco negotium plurimarum jam nuptui traditarum inconſtantiam faceſſiviſſe. Nam & viris quædam ob domeſticas rixas offenſæ iis reconciliandæ nec ſemel fuere: & inopiam, atque egeſtatem cauſatæ, ne ad vetera relaberentur flagitia, quæſitâ denuò pecuniæ ſummâ impertiendæ fuere, quò omnis meretricii obtentus præcideretur. Quibus in rebus adeò nulla difficultate vinci ſe unquam paſſus eſt Franciſcus, ut ſi quas præterea alias interim in eodem ſcelerum cœno eò liberiùs, quò ſecretiùs volutari, vel alias oblato hinc ab procis auro, inde rerum inopia ad vulgandum corpus, junctis veluti viribus, ſolicitari admonitus fuiſſet; vigili ſemper cura, collectæque pecuniæ præſenti largitione, & illis flagitio, & his flagitii periculo eximendis indefeſſus accurreret.

Denique ut ex ipſis infelicium harum fœminarum calamitatibus præſens aliquod, aliiſque profuturum erueret pharmacum; ubi harum aliquam infauſto exitu ſupremum clauſiſſe diem inaudiret; hujus ipſe funeri comes additus Divini Judicis veluti præconem agebat. Ac dum vili impoſitum aſello cadaver inter piceas tædas per Urbem ad ignominiam circumduceretur profano inferendum ſepulcreto; parem aliis exitum inſtare, vicatim clamabat, ni citò reſipiſcere decernerent. Dein ex illa cadaveris ignominia deſumpto de æternis cruciatibus differendi argumento, ſalubrem Divinæ Ultionis formidinem omnibus, quotquot ſpectaculum illud inſpicerent, incutere ſatagebat.

Hic primus, iſque præcipuus Neapolitanæ Miſſionis eſt, quem Franciſcus ſuſcepit, labor. At non levior alter, licet contractior paulò ſit, qui in Miſſionis hujuſce Sodalitio ritè adminiſtrando verſatur. Atque ad hos quidem, fidos cæteroqui piarum expeditionum comites, ſingulis Dominicis, aut etiam Deiparæ ſacratis diebus in deſtinata eorum conventui Aula de Chriſtiana virtute; ad alios verò ſeptuaginta duos, qui inter

Digitized by Google

Sodales ipſos perfectioris vitæ rationem ſecuti Sodalitatis ipſius veluti flos quidam dici poſſunt, bis ſingulis menſibus de Chriſti Soteris cruciatibus dicere habuit. Cum enim hos, & aleatoribus ludi intermiſſionem, & mimis, circulatoribuſque à ſcenicis actibus ceſſationem indicere, & omnes univerſim ad ſacram concionem in foro habendam advocare inſtituti ſui ratio poſtulet; atque ob id delecta ſacræ expeditionis phalanx dici non abs re poſſint; ardentiori ſtudio in Chriſtianæ vitæ palæſtra exercendos eos eſſe ambigat nemo, quò modeſtè quidem, ſed Chriſtiana, ut par eſt, libertate præſtare hæc omnia valeant. Hos proinde Franciſcus ut ad Sanctitatis Evangelicæ normam effingeret, & optimis imbuere præceptis, & ſtatis diebus pœnitentium habitu ad ſe accitos amanter priùs corrigere, tùm ad leviuſculæ alicujus noxæ mulctam ſuſtinendam adigere, omnibus verò terga flagellis cædenda communiter imperare, &, quod caput eſt, iis omnibus modeſtiæ, animi demiſſionis, atque arctioris vitæ luculentis exemplis præire. Erant præterea, ad laboris auctarium, privatim advocandi identidem ex iis aliquot, iique vel ad torporem abigendum, vel ad animi mœrorem deponendum, vel ad noxam aliquam latenter admiſſam corrigendam excitandi. Quanquam verò pluribus aliis, iiſque non levis momenti curis nullo non die occuparetur; tanti tamen Sodales ſuos facere viſus eſt; ut nec eorum ulli ægritudine aliqua domi preſſo adeſſe unquam omiſerit; nec ſi unum ex iis aliquem ad vitia ſenſim deflectere, ac Sodalitio idcircò abſtinere reſciſſet, ulli pepercerit operæ, quouſque errantem oviculam ad Cœleſtis Paſtoris prata traduceret, eamque mutatis in melius conſiliis ad intermiſſum ſacrorum Myſteriorum deſiderium, & ad veterem Sodalitii amorem impelleret.

Hi profectò, curſim licet enarrati, Franciſci labores fuere, quibus creditam ſibi Miſſionum provinciam procuravit. Quibus profectò pro dignitate obeundis defatigari vel plurium hominum induſtriam potuiſſe experientia non ſemel edocuit. Verùm longè majores ipſum ſpiritus ad hæc, imò & ad longè difficiliora ſuſcipienda geſſiſſe, tempus jam eſt ut enarrem.

CA-

Digitized by Google

CAPUT VII.

Alii præter Missionem, in Triremibus, in publicis Custodiis, ac Nosocomiis à Francisco susceptí Neapoli labores.

DIvinæ Gloriæ, animorumque salutis pro virili parte procurandæ cupidissimus ut erat Franciscus, nullas labori suo metas præscriptas voluit. Hinc quamcunque sibi ad hæc præstanda viam aperiri animadvertit, constanter illam ingredi non unquam neglexit. Ac si præruptam eam, atque asperam, atque ob id aliis inaccessam vidisset, cœlestis Gratiæ viribus fretus animum adeò non despondit, ut ipsa potiùs rerum difficultas ad opus vehementiori curâ urgendum eum acuerit.

Ac primò hujus generis esse censuit iis ad pietatem excolendis manum admovere, qui Judicum sententia Neapolitanarum triremium remo affixi admissorum ibi criminum pœnas exolvunt. Genus id hominum est ex vitiis, ac sceleribus pænè coalitum, ferox, refractarium, capitalibus odiis in eos præcipuè coquendis assuetum, quos calamitatis suæ authores opinantur, nefariis denique in Deum, ac Superos vocibus, ubi ira suggesserit, emittendis minimè temperans. Facturum se igitur operæ pretium existimavit Franciscus, si rudes, atque impolitos horum animos, quibus præsens calamitas omnem futuræ felicitatis cogitationem adimere solet, Divinæ Legis præceptis eruditos in æternæ salutis spem erigeret. Ac triginta annorum spatio constanter id præstitit, ut ab hac hominum fœce longè sordidiorem flagitiorum sentinam exhauriret.

Hos igitur situ, & squalore obsitos afflictæ fortunæ homunculos sæpissimè invisere, comiter salutare, blandè alloqui, Filios, ac Fratres appellare, suis identidem officiis, collectaque stipe juvare; Magistratus etiam, naviumque Prætores in ipsorum gratiam sæpè adire, atque ab his, ne ultra præscriptum tempus eorum distraheretur supplicium, impetrare; Celeustas denique, ut vel verberibus abstinerent, vel in sumendis pœnis quàm mitissimè agerent, non semel enixè rogare. Quibus rebus eo-

Digitized by Google

eorum ferociam ita deliniit, ut ipſum æternorum ſuppliciorum recordatione ad meliora excitantem conſilia non audire, eoque viſo talorum, alearumque luſu non ſibi è veſtigio interdicere, ingrati animi vitio ut minimùm ducerent.

Quantâ verò apud hos gratiâ,& authoritate polleret Franciſcus, Quadrageſimali, ſi unquam aliàs, tempore potiſſimum apparuit. Per eos quippe dies criminum expiatione, annuoque ad Sacram Synaxim acceſſu ex Eccleſiæ præcepto vix indicto,quicquid ad hæc Myſteria ritè obeunda agendum jam eſſet, ab ipſo libentiſſimè accepere. Ipſoque Prætoriam primùm, deinde alias ex ordine naves edocente, ſibi ipſis iraſci, crimina profuſis gemitibus deteſtari, deque iis corrigendis ſeriò ut plurimùm cogitare non detrectabant. Poſtquam verò animi ſordes apud ipſum, vel ex noſtris alios, quorum opera ad id utebatur, Homologetas jam ſinguli eluiſſent; pridie diei ſacro Epulo deſtinatæ, ſacra veluti Ædicula in ipſa navi ex tempore extructa Aram excitari jubebat, ad Deiparam Virginem, vel eum è Cœlitibus, cujus ſub tutela triremis eſſet, cereis facibus, aut accenſis lampadibus devenerandum. Mox ipſa ſacri Epuli luce appetente, è tranſtris eductos, atque in ſupplicantium morem ritè diſpoſitos,in Ædem *Sanctæ Mariæ à Remedio* nuncupatæ, quæ Neapolitani Navalis Portæ adjacet, translatum ibat: ibique coram expoſito ipſorum venerationi Euchariſtico Ferculo, ſolemni pompa celebrato intereſſe Sacro,& Cœleſti Pane refici eos jubebat;piiſque ipſe interim alloquiis eorum animos ad pietatis officia excitabat. Actis indè Deo de more gratiis, inter ſymphoniacorum concentus, eodem quo venerant ordine, ac pompa in ſuam triremem ejus juſſu regreſſi, ad idem officium pari religione præſtandum affixos aliis triremibus remiges veluti invitabant.

Hæc ab id genus hominibus ad unguem quotannis præſtita; ut Franciſci nempè dictis morem gererent, quem communis omnium Patris nomine appellare non abnuebant. Ipſe verò, ut ſupremam maritimæ huic expeditioni manum imponeret, ex onerario navigio triremibus obverſo, lineâ veſte, ſericâque infula (*Stolam* paſſim dicimus) indutus ad vitiorum fugam, DivinæqueLegis obſequium benè longa oratione eos cohortatus,iiſdem melioris jam vitæ ſtudio ſuccenſis erecta in ſublime Cruce benè precatus cunctorum delictorum veniam ad Apoſtolicæ Miſſionis normam indulgebat. Mox in ſingulas triremes regreſſus, veluti

ac-

Digitized by Google

accepti alicujus à se beneficii gratiam relaturus, piis Imaginibus, sacris Numismatis, precatoriis Deiparæ sertis, aliisque id genus munusculis remiges impertiebat. Postremò in proximum, quod in ipso Navali remigibus positum est, Nosocomium divertens, ex morbo decumbentibus eorundem sacrorum Mysteriorum allatâ ope, pio labori coronidem imponebat. Equidem hæc idcircò fusiùs narranda duxi, quòd, cum iisdem ritibus, ac cæremoniis sacro eo tempore à Nostris ea omnia hodièque exerceantur, æquum esse censuerim, ut piæ hujusce institutionis authori Francisco accepta referenda ea esse quisque intelligat.

Præter institutæ narrationis ordinem, at non præter arcanum Divinæ Providentiæ consilium humanæ salutis ordinem, ac seriem mirè disponentis est, quod hìc in Triremibus olim factum subnectam. Ut remigum animos ad criminum veniam impensiùs à Deo petendam inflammaret Franciscus, in se, tanquam in omnium sceleſtissimum caput, nautica resti arreptâ desæviebat. Hac porrò sibi è manibus per pios quosdam homines vi extractâ, enixè ab omnibus petere, ne se suppliciis longè gravioribus dignum è triremi impunè abire paterentur: in os proinde pugnis, atque alapis pro libito involarent. Quæ hominis verba, tamquam indignum Christiano homine facinus, excqui cum auderet nemo; captivus, qui ea fortè audiit Turca, ad petentis votum examussim præstitit; ac, veluti roganti morem gesturus, alapæ cupidum alapâ ex improviso aggressus est. Quam genæ inflictam sibi gratulatus Franciscus, in genua provolutus parem alteri genæ injuriam ab eodem nullo negotio jam extorsisset, ni repentè exortus omnium clamor impium hominem flagitio prohibuisset. Verum nefariè omninò se egisse hic statim ex dolore agnovit, quem in brachio ad scelus perpetrandum admoto acerrimum expertus est. Quare postero die accito ad se Francisco suum crimen stolidè excusans, *Equidem*, inquit, *tuo rogatu, non mea sponte te depalmavi: tuum nunc est, ut afflicto vehementer brachio debitam curationem adhibeas.* Ita verò locutum hominem benignè ipse complexus, seorsim abstractum ter adhibito Crucis signo, dolore illicò levat; eundemque insigni adeò beneficio sibi conciliatum ad Christianæ Religionis amorem ita allicit, ut ad veteres Mahometis superstitiones ejurandas, ac Baptismi Mysterio animum expiandum non longo post tempore adduxerit. Ita ex ipso indigno hominis ausu, & Francisco virtutis augendæ, & sceleris authori æternæ salutis capessendæ occasionem,

Digitized by Google

nem, admirabili, ac noſtris mentibus impervio artificio, Dei Sapientia contexuit.

Nec minori præterea benignitate eos ſibi complectendos eſſe cenſuit, qui in publicis Regiæ Curiæ cuſtodiis clauſi ſuorum criminum causâ infelix ævum inter vincula agitant. Nihilo minor horum ex Urbe, ac Regni Provinciis illùc traductorum, quàm remigum numerus; nec diſpar indoles, vitæque conditio. Eorum tamen pædorem, ac ſordes neutiquam pertæſus Franciſcus, omni eos humanitatis, ac beneficentiæ ſignificatione eſt proſecutus. His enim pro modulo opitulari tùm apud Judices, tùm apud Creditores non deſtitit: rerum omnium penuriâ laborantibus pecuniam ſæpè, aut cibaria ſuppeditavit; ſæpe in ſecretiores, eòque ſqualidiores cuſtodias deflectens ad mæroris levamen eorum querelis audiendis operam dedit; quò his rebus conciliati multò juſtioribus Dei objurgationibus audiendis aurem ipſi accommodarent, atq; è graviſſimis flagitiorum vinculis animos ſaltem in libertatem vindicarent.

Præter hæc, ne catenati laboris ſeries ullo abrumperetur otio, ubi temporis aliquid à curis aliis vacuum nanciſci poſſet, & nactus eſt ſæpè; id omne frequentandis Noſocomiis libentiſſimè inſumebat. Cumque inter hæc præclaram Chriſtianæ Charitatis, & Patientiæ officinam illud potiſſimùm Valetudinarium eſſe jam noſſet, quod Inſanabilium Domus Neapoli appellatur; illùc ſe ſtudioſiùs conferre, atque inſtructa tam viris, quàm mulieribus hoſpitia per vices inviſere conſueverat, ut morbo afflictos ſuis ipſe verbis, atque officiis erigeret, utque homologeſeos cupidis aures præberet, ut eos denique, qui in vitæ exitu eſſent, ad piè obeundum ſedulò hortaretur. Inter mulieres porrò miſerrimarum ægritudinum cauſa eò loci adductas offendit plurimas, quæ ævo in lupanaribus ſceleſtiſſimè ducto pias ejus artes non ſemel eluſerant. Quas ipſe non minus animo, quàm corpore vetera ob flagitia deformatas Divinæ Benignitatis memor ad crimina comploranda, atque ad peſſimam vitam optimo fine claudendam excitabat. Quæ cum non fruſtrà ejus operâ fieri ejus loci Moderatores conſpicerent; triplicis, quod ei Domui adjectum eſt, Pœnitentium mulierum Gynecæi patere aditum voluere; tùm ejus ſcilicet, quod à meretricio recèns emerſis ad Tyrocinii ſpeciem primum patet; tùm alterius, quo ſub mitiori Sancti Franciſci Regula plures clauduntur; tùm tertii denique, quo ſeverius ejuſdem Seraphici Patriarchæ inſtitutum complexæ plures aliæ detinentur.

CA-

Digitized by Google

CAPUT VIII.

Spiritualibus Sancti Ignatii Exercitiis tradendis ſtrenuam navat operam Franciſcus.

QUoniam nulli unquam mortalium cœtui ſuam operam denegare fixum, ratumque Franciſco jam erat; opportuniſſimè præſtari id à ſe poſſe exiſtimavit, ſi nullam ſpiritualium Sancti Ignatii Exercitiorum octonûm, aut denûm dierum ſpatio tradendorum occaſionem ſibi elabi permitteret. Id verò potiſſimum in noſtræ Profeſſorum Domus ampliſſimo Templo octo iis, qui ejuſdem Parentis Optimi Ignatii natalem lucem præcedunt, diebus, cum ingenti omnium ordinum concurſu, publicè præſtitit. Nullumque præterea ferè Neapoli fuit Sodalitium, Collegium, Aſceterium, Gynecæum, Seminarium, Contubernium, quod æternis de rebus eum diſſerentem minimè audierit. Longum ſanè eſſet ſingula numerare: ea tantûm hìc perſequar, quæ ob præclarum aliquid ad Dei Gloriam in aliquo ex iis locis geſtum tanquam peculiari memoria digna ſummæ fidei homines ad nos tranſmiſere.

Ac primas in hac re meritò ſibi vindicat partes Clericorum Seminarium, quod ab ipſis promulgati Concilii Tridentini initiis Neapolitanorum Antiſtitum curâ erectum eximios pietate, ac doctrina Eccleſiaſticos Viros in publicæ rei commodum protulit, profertque. Hùc à Petro Tavano Cathedralis Eccleſiæ Canonico ejus Convictus Rectore ad pia hæc Exercitia ſuis adoleſcentulis enucleanda advocatus, & hominis authoritate, & loci dignitate permotus accedere non renuit Franciſcus. Quamvis verò ejus operam non niſi in impiis, Divinæq; Legis perduellibus hominibus edomandis continenter verſatam ad optimè excultæ Juventutis mores conformandos minus utilem fore cenſerent nec pauci; falſos tamen eos animi fuiſſe ex eventu liquidiſſimè patuit. Etenim non ſine ingentibus lacrimis meditandi tempora ipſo edocente tranſacta; & eorum animos is corporum afflictandorum pervaſit ardor, ut adultioribus ſe publicè flagris in Triclinio cædendi veniam ſponte flagitantibus annuendum prorsùs eſſe cen-

ſuerit Rector: ac denique, prout eidem ſe ad unguem præſtituros ea occaſione receperant, à ſuſcepto ſanctioris vitæ propoſito nec longo annorum ſpatio evoluto receſſere. Extrema quippè pii ſeceſſus die Euchariſtico Epulo, ut moris eſt, jam jam reficiendi, porrecturi illud ex Altari Rectoris, Franciſco præeunte, genua complexi Adoleſcentes, pedeſque exoſculati, ignoſci ſibi, ſi quid anteà contrà loci leges parum modeſtè admiſſum fuiſſet, plo ſinguli gemitu cupivere: morumque correctionem ex animo polliciti ſacrum illud opus præclaro fine clauſerunt. Vivunt ex iis adhuc non pauci, quorum animis grata adeò inſidet earum rerum recordatio, ut eas teſtari ſine lacrimarum pia redintegratione non poſsint.

Nec diſpar in eo, quod Noſtrorum curæ ſubeſt, Nobilium Collegio eorumdem Exercitiorum exitus fuit. Ter ibi eorum adoleſcentium animos iis commentationibus excolendos Quadrageſimalis Jejunii tempore, ut ejus loci mos eſt, ſuſcepit Franciſcus. Quanquam devexa dum ætate jam tertiò inibi id ſatis vividè exequeretur; febri, ac pleuritide ex inopinato correptus, penè abſolutum opus alteri perficiendum reliuquere coactus fuerit. Cæterùm nec primo, nec altero ejus labore ſubacti ab eo ejus agri pœnitendus unquam extitit fructus. Præter enim uberes plurimorum lacrimas, ob quas communi menſæ accumbere integrum quibuſdam non fuit; alii aſperrimis in ſeipſos verbis publicè invehi, arreptis alii flagris humeros publicè cædere, quidam etiam cruentare. Fuitque inter hos, qui, quem contra ſe uncialibus literis ſcripſerat, famoſum libellum publicas iturus in ſcholas veſtibus aſſutum geſtare meditatus; juvenili conſilio nulli anteà ſignificato, ex alto literarii ludi, quem occupare conſeverat, loco condiſcipulorum oculis legendum objecit, quò idoneas eo dedecore de ſuis criminibus pœnas ſumeret. Conceptus porrò ea occaſione ſecularium rerum contemptus, ac cœleſtium amor non citò exaruit: ex iis enim quindecim eo anno fuere, qui partim Societati, partim aliis Regularibus Ordinibus invictâ conſtantiâ nomen dedere. Non abſimili pietatis ſignificatione ea item Exercitia tranſacta, quæ anno labentis hujuſce ſeculi ſecundo ab eodem Franciſco iterum accepere. Imò cum per eos dies ingens terræmotus Urbem totam concuſsiſſet; in communi Civium trepidatione ab omni metu alieni adeò Convictorum animi fuere, ut nulla fugæ, nulla periculi declinandi eos inceſſeret cogitatio.

Pe-

Digitized by Google

Petendum potiùs à Deo existimarunt, ut quando & lacrimis, & criminum confessione animorum labes jam eluissent, superiacruentium tectorum ruinæ eos opprimerent: cum præstare id mortis genus vitæ novis criminibus obnoxiæ ex æternarum rerum meditatione satis agnoscerent. Hæc in eo Convictu in singulis Contuberniis per eos dies passim audita. Super hæc præclarius aliquid ea occasione moliri voluerunt inter eos quidam natu grandiores. Ut enim alios non minùs religione, quàm ætate antecederent; audito Franciscum cinere conspersum Urbem peragraturum, trepidisque Civibus criminum pœnitentiam publicè indicturum, per se minimè stare testati sunt (sinerent id modò loci Moderatores) quin prælatâ Cruce eodem habitu, eo ritu & ipsi ei comites adessent; ut novo eo exemplo, quæ vellet, efficaciùs populo insinuaret. Quanquam quo minùs ita, ut fervidi adolescentes petebant, fieret, justis de causis obsistendum esse visum est; satisque eorum pietati, ac virtuti augendæ fore judicatum, quod ita Dei causâ ex animo voluissent.

Præterea vix ullum ex iis est, quæ plurima Neapolis habet Orphanotrophia, in quo tùm statis Spiritualium Exercitiorum diebus, tùm aliis subindè, atque aliis anni temporibus Divini Verbi sementem Franciscus minimè jecerit. Novalibus scilicet aratro recens subactis non absimilem esse ratus adolescentiam, ubique ei ad pietatem excolendæ eò alacriùs insudabat, quò uberiores ex ea virtutis fruges se collecturum sperabat. Ac laborì messem optimè respondisse conjicere inter cætera ex eo licet, quod à *Sancti Honuphrii Alumnis* ipso auctore præstitum memoratur. Ibi enim adolescentulos musica imbuendos vix allocutus, caverent omninò, ne obscœno aliquo modulamine, aut lascivo carmine os, atque animum contaminarent; ingentem hujusmodi librorum farraginem ex eorum manibus statim abstraxit. Quos ipse musicos modulos ad unum omnes ad flagitiosi cantus horrorem incutiendum, tanquam peste afflatos, aut veneficiis imbutos, nullâ interposita morâ, flammis absumendos dedit. Universim verò plurimi fuere, hodieque sunt, qui iis in locis educati, ejus hortatu, vel Clericalem amplexi sunt vitam, vel humanis rebus valere omninò jussis ad asperrima Regularium Claustra convolare non dubitarunt.

Jam inter multos, qui eum iisdem æternis de rebus differentem audiere hujusce Urbis Cœtus, dignum quod præcipuè

Digitized by Google

memoretur illud eſt, quod in Neapolitano ſtudiorum Collegio floret, Sacerdotum Sodalitium. Erectum id circà proximè ſuperioris ſeculi annum undecimum cura, & ſtudio Franciſci Pavonii egregii noſtræ Societatis Viri, à quo & appellationem traxit. Ex eoque tempore inſignibus ſemper pietate, doctrina, ac dignitate hominibus abundavit: inter quos, præter Antiſtites, ac Romanâ Purpurâ decoratos plures, Romanos Pontifices recenſet duos, Innocentium XII., ac Benedictum XIII. Adſcriptum ſe huic Cœtui ante initam Societatem fuiſſe tanti apud Franciſcum fuit, ut datis ad ipſum ſemel atque iterùm quotannis de more literis ſuum erga veteres Sodales obſequium teſtatus perpetuò fuerit. Ad ipſos verò cœleſti Exercitiorum doctrina imbuendos acciri ſe, diù licet in Societate verſatum, ſtrenuè detrectavit; neque enim ſe rudibus, vel ſceleſtis hominibus edocendis hactenus aſſuetum ea pietate, ac doctrina pollere cauſatus eſt, qua tantorum ſe virorum conſeſſui probabilem exhiberet. Quò minus tamen oblato ſe muneri ſubduceret Moderatorum effecit authoritas. Qui etiam ſubveriti ne intempeſtivâ modeſtiâ ingenium, ac literaturam de induſtria eo in loco vel negligeret, vel occultaret; pro imperio edixere, ut ſicubi ad res explanandas opus eſſe intelligeret, doctrinam nulla ex parte diſſimularet, atque in doctorum hominum conſeſſu doctè, atque eruditè dicere pro virili ſtuderet. Paruit porrò dictis Franciſcus; ſacraſque Sancti Ignatii Meditationes ita apud ipſos eſt interpretatus, ut pietatem non minus, quàm literas ejus dicta redoluiſſe diffiteretur nemo; & ingenii vires non pro ſuæ, ſed pro Divinæ dumtaxat Gloriæ ratione à Sodali ſuo Franciſco temperari, vel exeri exinde non ſine animi gratulatione omnes intelligerent.

Celeberrima in primis Neapoli eſt jam inde ab Anno à Partu Virginis MDLXXIX. Sanctæ Trinitatis Sodalitas, à magnifico, quo advenas lautè excipit, Xenodochio, *Peregrinorum* dicta, quæ Sancto Philippo Nerio Inſtitutore, vel Auſpice jure, ac meritò gloriatur. Hæc annuam ejuſmodi Commentationum conſuetudinem ut diù intermiſſam reſumeret, operi redordiendo non niſi à Franciſco manum admoveri voluit: immenſâque ejus laborum mole nequicquam reclamante, anno labentis ſeculi IV. tandem impetravit. Jam verò ut non Sodalibus modò, ſed omnibus ea res eſſet emolumento, (prout ex eo tempore ad hanc diem

ſit)

Digitized by Google

fit) Sodalitii Aulam omnibus nullo discrimine per eos dies patere loci Præfides jusserunt. Igitur Franciscum inibi de æternis rebus verba facturum vix fama vulgavit; cum confertim irrumpentium multitudini excipiendæ satis per se amplum Conclave angustum illicò est visum. Ac vix è suggestu descisentium à Deo hominum proteriam est insectatus, vix paratam his æterni ignis acerbitatem exposuit; cum ingentes audientium lacrimæ, atque ejulatus ita dicentem interturbarunt, ut donec ea vis aliquantisper remitteret, orationem abrumpi necesse fuerit. Resumpto tamen spiritu firmis adeò lateribus operi urgendo institit Franciscus, ut redintegratum vehementiùs clamorem, ac gemitum Stentorea penè voce superarit. Cæterum nec inanes hæ fuere lacrimæ, neque, ut plerumque fit, citò exaruere. Infelix quippe, quæ vulgato corpore quæstum fecerat, muliercula, ut dolentis animi exemplo iis, quos veteri improbitate offenderat, prodesse inciperet, publicè ibi resipuit: eique ut in tuto aliquo pœnitentium Asylo innoxiè in posterum viveret, pia adstantium liberalitas non mediocri collecta pecunia opportunè providit. Ac præter hanc, plures etiam alios ex vitiis, & criminibus penè coalitos ad veteris vitæ detestationem suis verbis ibi excitatos Franciscus habuit, qui pristinas noxas omnes apud ipsum deponere, salutisque viam ipso duce ingredi voluere. Ipse vero omnes Cœlesti Mensæ accumbere jussos, impetratis à Romano Pontifice criminum omnium Indulgentiis locupletatos dimisit; iisque in pias lacrimas plenè solutis exculpto affabrè Christi Infantis simulacro faustum apprecatus, utili adeò labori finem imposuit.

Ob hæc tam egregie, ac supra omnem expectationem gesta, necnon ob singularia tùm in Sodales ipsos benevolentiæ, tùm in Peregrinos eximia inter ipsos Concionum labores Christianæ Caritatis, ac demissi animi exempla, summo in honore apud illustris ejus Cœtus homines Francisci esse nomen cœpit. Ipsum proinde quotannis ad hæc inter ipsos renovanda accedere impensissimè optassent: verum non nisi sexto post anno impetrare iterùm potuere. Quoniam verò cum secuturis deinceps annis frustrà sperari hæc posse compertum ipsis jam esset, illud saltem obtinere ab ipso contenderunt, ut quinta sanctioris Hebdomadæ Feria in Sodalitatis Aulam regressus de Christi Soteris cruciatibus, ac morte apud ipsos differere ne gravaretur. Eo die Franciscus se

pu-

publicæ ſupplicationi, conſueto quotannis more, interfuturum receperat, qua Neapolitanum Sancti Ignatii Collegium ejuſdem paſſi Servatoris Hiſtoriæ ſimulacra Foro nundinario veneranda proponit; ut frequentiſſimum ibi populum piè, ac religiosè iſthæc ſpectare ſuis verbis edoceret. At verò ne optimè de ſe meritæ Sodalitati quicquam negare videretur, utrumque munus eo anno aggredi, quàm alterutri deeſſe maluit. Et ad Trinitatis Sodales quidem ad ſeſqui horam flexis ſemper genibus dixit: ſatiſque per ſe ad luctum pronos ſuis ipſe lacrimis potiùs, quàm vocibus ad uberiùs flendum ea die provocavit. Mox rectâ ad amplum Mercatus Forum profectus, ad ſingula, prout objiciebantur, patientis Chriſti ſpectacula, & ferreo in ſe deſæviit flagello, & circumfuſæ multitudini aptiſſimis verbis tandiù fletum elicuit, donec noſtrum in Templum regreſſo ſub veſperum ſupplicantium agmine, tàm eos, tùm alios, qui eò confluxerant, plurimos ad jugiter recolendum Divinæ Mortis beneficium benè longa oratione iterum cohortatus, ad multam noctem in Profeſſorum ſe Domum recepit, ſub poſteræ lucis initium duo Virginum Aſceteria eâdem ſuper re ſeorſim allocuturus.

Injecta hæc Sacrarum Virginum mentio tantiſper ad alia digreſſum me ad inſtitutum revocat. Equidem harum, ſeu Aſceteria, ſeu Collegia tàm crebris per Verni Jejunii dies Concionibus, tàm præcipuè eâdem Spiritualium Exercitiorum operâ à Franciſco exculta paſſim fuiſſe comperio; ac ſæpè ternis, ad minimum binis eodem tempore ſacrarum Mulierum Familiis ad ſanctioris vitæ rationem provehendis, expedito ſemper animo, ac viribus ab ipſo inſudatum. Acceptiſſimum verò his Franciſci nomen, ac doctrinam accidiſſe ex eo liquet, quòd apud ipſum pluries vitæ noxas, vel mœrentis animi angorem deponere aliæ voluerint; aliæ ejus nutu, & conſilio vitæ rationem inſtituere: nec paucæ fuerint, quæ ejus Epiſtolas tanquam demiſſa è Cœlo reſponſa, aut ſacra lipſana reſervarint. At præter hæc, ejus iterum, atque iterum audiendi, vel in Pœnitentiæ ſubſellio alloquendi copiam ſibi fieri tùm à ſuis, tùm à noſtris Moderatoribus petere nullo unquam tempore eædem ceſſarunt. Qua in re cum & petentes repelli, & nimio Franciſcum labore opprimi anceps juxtà, atque aſperum noſtris Moderatoribus videretur; Franciſci ipſius, qui petebatur, arbi-

trio

Digitized by Google

trio ſtaturos ſe eſſe ſignificarunt; ratum proinde, ac firmum ipſis fore quicquid in alterutram partem ipſe decerneret. Hujuſmodi verò ſententiâ, perinde atque causâ ſibi adjudicatâ voti ſe compotes fore, nec fruſtrà cenſuerunt petentes. Franciſcum quippe religioni ſibi ducturum, ni Divinam Gloriam, animorumque utilitatem ſibi propoſitam, & privatis ſuis commodis, & vitæ ipſi antehaberet, ſatis jam intellexerant. Jam verò extinctæ in his locis mutuæ diſſenſiones, abolita cum profanis hominibus indiſcriminatim colloquendi licentia, amatoriæ fabulæ igne abſumptæ, inducta ſeverior domeſticarum Legum cuſtodia, inita familiarior cum Deo conſuetudo, aliaque id genus non pauca, aſſiduæ Franciſci agricolationis aſſidui fructus fuere. Quæ ſi forte levia, nec Apoſtolicis digna lacertis Ariſtarchus quis reputet; is primum ſciat levem laborem inerti otio longè præſtare: deinde nec leve eſſe, quod, qualecunque ſit, nunquam ceſſat opus: denique Apoſtolicam manum cum laude agere, ſi vacuas à ſalebroſi ſoli arationibus, ac foſſionibus horas, ne nihil agat, Cœleſtis Domini Areolis ſarculo diligenter expurgandis attribuat.

Ne multa: placuiſſe Deo impenſus hic ab eo erga pios Mulierum cætus adeò labor eſt viſus, ut ad horum aliquem peculiari Cœleſtis Providentiæ conſilio miſſum eum fuiſſe, cùm inſolita acceſſus ratio, tùm firmatum eventu vaticinium prodiderit. Profectò Neapolitano Gynecæo cuidam ignotum omninò uſque ad annum evoluti proximè Seculi LXXXIV. Franciſci nomen fuerat; cum præter omnem expectationem apud ejus loci incolas hac ratione ſtatim innotuit. Junio menſe, quartæ Feriæ manè quodam peractis jam Sacris, cum mundandis peniculo Aris fortè occuparentur Æditui, patentis Templi ipſe valvas nactus eò pedem intulit, ſalutatâque ibi pro ſuo more Euchariſtiâ, crebro, inſuetoque tintinnabuli pulſu ad rei novitatem indagandam Gynecæum omne facilè adduxit. Eas porrò in Odæi clathros confluxiſſe omnes ut primùm è majori Arâ conſpexit Franciſcus; adoratâ iterum prono in terram vultu Euchariſtiâ; *Proh nefas*, inquit, *veſtris omnium lacrimis nunquam ſatis deplorandum! Una aliqua veſtro in hoc cœtu eſt, quam in infernum carcerem linei unius ſudar ioli turpe lucrum detrudet.* Id adeò, nec ſemel ab homine eo die prolatum, cum omnium animos improviſo metu percelleret, ro-

gan-

gandum eodem die Franciſcum cenſuit Antiſtita, ut Gynecæi ſui miſeratus vicem, ei potiſſimum, cujus in ancipiti verſaretur ſalus, qua vellet ratione proſpiceret: paratas jam ſe imperata facere; nec ullam in tanti momenti re, quaſcumque diceret leges, detrectaturam. Ingenti earum pluribus emolumento eum terrorem fuiſſe celerrimè eſt agnitum. Ab inducto quippè ibi annuo ſpiritualium Commentationum more adeò dives brevi extitit fructus, ut ſub vitæ finem felicium ſucceſſuum conſcius hoc præ ceteris Gynecæum ſucceſſori ſuo enixè commendatum reliquerit Franciſcus. Sed tamen, (ut ex novem degentium ibi Seniorum Virginum recenti teſtimonio liquet) non ex vano comminatum eo die ipſum fuiſſe, ſeſqui anno evoluto, miſerrimum educatæ ibi adoleſcentulæ exitium oſtendit. Sublectam enim è Sacrarii ſupellectile lineam laxatis manicis tunicam cum tradito ſibi à puellarum altera ſeu ſtrophio, ſeu ſudariolo hæc commutaverat: latuitque aliquandiù res, donec deprehensâ certis indiciis fraude, compertam ſe furti jam eſſe ex abalienatis à ſe ſociarum animis, nec non è mordacibus quarumdam dictis animadvertit. Patefacti proinde criminis pudore victa, ne deſperato conſilio occurri ullatenùs poſſet, in Gynecæi ciſternam ſeſe clàm omnibus præcipitem noctu infelix egit. Reapſeque non niſi primo manè ex audito indidem tetrico quodam ſeu ululatu, ſeu ſtrepitu atrox factum innotuit: properatiſque ad eam educendam ſcalis, ac funibus, extinctæ dumtaxat cadaver ex aqua extrahere integrum fuit, deforme adeò, ac luridum, ut incuſſo ſpectantium fœminarum oculis horrore, prænunciatæ olim à Franciſco calamitatis memoriam vividè repræſentarit.

Ne verò, quibus præcipuæ Urbis Matronæ ante Sanctioris Hebdomadæ Ferias imbui ſingulis annis conſuevere, ſpiritualia Exercitia tacitus præteream; horum etiam in Franciſcum authorem potiſſima redundat laus. Nam præterquam quod ea primus ipſe in Maximi Neapolitani Collegii Templo, & paucis poſt annis in Profeſſorum Domus Templi Sacrario, aptiſſimâ earum vitæ methodo optantibus ipſis explicuit; nec levibus, nec paucis, quæ in hac re ad exitum perducenda ſeſe ingerebant difficultatibus exuperandis animum, ac ſtudia ſolertiſſimè intendit. Ipſe tempus, locum, tradendi ritum, & quæ nobilibus fœminis præcipuè vitanda, vel agenda forent ſedulus exco-

Digitized by Google

excogitavit: omnia demum ita complanavit, ut Exercitia audire cupientium Matronarum numerus ad hanc diem singulis penè annis excreverit.

Ac primo, quo id operis aggressus est, anno, ne injectus earum quibusdam nimiæ ejus severitatis metus delicatiores aliquas à pio eo secessu frequentando arceret, solicitè cavit, ne ulla verborum asperitate, in ea, quæ in nostrates Matronas irrepserant, vitia vehementiùs invehi videretur. Christianæ tantùm Fidei, ac Legis satis per se salubria Axiomata quotidiè explicuit, eo vocis tenore, ea dicendi affabilitate, quæ blanditiis potius, quàm terrore ullo earum animos ad corrigendos mores inflammaret. Postremoque secessus die, de abolendo nocturnarum vigiliarum more nonnihil dicturus, hoc sese artificio in causam piè callidus insinuavit. *Mirari vos credo*, inquit, *me vestrâ patientiâ tot diebus abusum nihil hactenùs de inducto apud primæ notæ Matronas nocturnarum vigiliarum more, quod in rem esset, disseruisse. Jamque non paucas mihi audire videor, quæ meam hac super re sententiam efflagitant. Quid porrò? quid censes? Pervigilare-nè noctu Matronas, ut positum in more jam est, tute permittis? Equidem, ni mea me fallit opinio, vigilias hasce, nocturnosque cœtus universim damnare non ausim; præsertim cum eas ab ipso nascentis Ecclesiæ exordio apud Christianos in usu fuisse considerem. Vigilatum primis illis temporibus ad Martyrum sepulchra est, uti Sacræ me docent Historiæ. Vigilant etiamnum Chartusiani, & quotquot iis suppares sunt severioris disciplinæ Monachi, ac Regulares, qui in persolvendis Deo laudibus noctes traducunt insomnes. Vigilant & alii, quos precibus, aut piis vacantes studiis exoriens manè lux invenit. Has ego vigilias Matronis non indicendas quidem censeo: at nec permittendas esse adduci minimè possum, ut sentiam. At, at toto Cœlo aberras, Francisce; ita me vestrum aliqua jam interpellat: Non enim de id genus vigiliis, verum de his agas oportet, quas nostri seculi mos ex exteris Regionibus acceptas in hanc Urbem induxit. Immunes-ne vitii, ac noxæ has esse existimas? Profectò ita me interroganti quid reponam non habeo: neque enim audax adeò sum, ut de incognita mihi re sententiam ex tempore proferre non dubitem. Christianæ Vigiliæ quanam sint cum satis jam intelligere mihi videar, Christianis eas Matronis quidni permittendas existi-*

Digitized by Google

vem? Si quæ verò aliæ ſunt extrà Chriſtianam conſuetudinem vigiliæ, de iis, ubi eas probè noveritis, veſtrum, Chriſtianæ Matronæ, eſto judicium. Nec plura eo anno de ea re Franciſcus, ne minùs molliter tractatos earum animos à recens ſuſcepto annui ſeceſſus propoſito abalienaret.

Ex hac porrò Matronarum pietate multiplex & in ipſarum familias, & in totam Urbem promanavit utilitas. Eodem enim tempore, quo coram expoſito Euchariſtico Orbe ſaluberrimâ Chriſtianæ Theologiæ documenta meditari ipſis eſt integrum; duplex aliud Conclave, alterum honorariis ephebis, auliciſque cubiculariis, alterum famulis, ac ſervis à pedibus ibi aperitur; ubi iiſdem è fontibus ſalutares hauſtus pro ſuo quiſque captu, vitæque ratione ſeparatim delibet, ac proximè imminentibus Reſurgentis Chriſti Feriis non perfunctoriè, ſed Chriſtiano ritu celebrandis vacuum criminibus animum præparet.

Adjectum eâdem occaſione utiliter etiam illud, quod ſuorum curruum aurigis, agaſonibus, ac mediaſtinis nihil unquam Divinis de rebus toto anni ſpatio audientibus, ne una ipſorum æterna ſalus negligi omninò videretur, noſtrorum petitionibus ſolicitatæ veniam Matronæ primùm, mox earum exemplo nobiliſſimi quique paſſim conceſſerint, ut Majoris Hebdomadæ diebus, omiſsâ ad ſeſqui horam equorum, curruumque cura, & cuſtodia, in Neapolitani Collegii Maximi ampliſſimâ Aulâ primo mane de vita ad Æternæ Legis præſcriptum inſtituenda erudiantur; atque ut ipſâ Paſchalis celebritatis luce ſupplicantium ritu ad annuam Synaxim accedentes Eccleſiæ eam præcipienti morem gerant.

Ne verò conceptum ſacro eo tempore rectè vivendi ſtudium, ſive humanæ inconſtantiæ vitio, ſive obrepentium animis curarum multitudine ſenſim diſpereat; ad Matronas, earumque familias in officio continendas, poſtremis hiſce annis illud excogitatum, ut extremâ ſingulorum menſium quintâ feriâ pomeridianis horis tùm Matronæ ipſæ, tùm pro ſuo quique gradu ſtipantes has famuli in ejuſdem Profeſſorum Domus ſeparatas Aulas conveniant; ibique ad pietatem, cæteraſque virtutes eo menſe exercendas, rebus æternis in memoriam iterùm aptâ adhortatione revocatis, roborentur. Menſtruo huic ſeceſſui inchoando curam, atque operam adhibuit P. Carolus Lobellus

do-

Digitized by Google

domo Lupiensis, Oratorum, quos Italia tulit, suo tempore nulli secundus, acerbo nimis, ac præpopero lethi genere non sine bonorum omnium luctu nobis ereptus. Tantarum verò rerum originem, quas certè non leves esse vel nostri obtrectatores fateantur oportet, uni Francisco, egregio veluti operis totius Architecto, adscribendam esse inficias iverit nemo.

CAPUT IX.

Alii extra Ordinem labores Neapoli à Francisco obiti.

HActenùs ex professo certis, ac definitis strenuè vacantem laboribus Franciscum exposui. Nunc, quæ præter ordinem, seù gravium Virorum petitio, seù repentina aliqua Urbis calamitas eidem ex tempore agenda obtulerint, commemorabo. Plurimorum linguis celebratur adhuc extraordinaria ipsius in Regiam Arcem, quam Novam appellant, excursio: quæ quidem Arx præsidiariorum Militum, aliorumque incolarum multitudine, latèque protenso situ pluribus Regni oppidis suppar est. Jam ii, qui in Regio Navali remiges acriter, ardenterque Deo reconciliantem viderant Franciscum, ad idem officium vicini ejus Castri inquilinis præstandum iteratis precibus adduxere. Hanc porrò expeditionem non solum multi à vitiis, ac sceleribus abstracti memorabilem reddidere, verùm etiam secuta brevi post tempore in eos supplicia, quibus ipse obnoxios eos fore, nisi oblatâ eâ resipiscendi occasione mores corrigerent, disertissimis fuerat verbis comminatus. Duo tamen præ cæteris singulari Dei beneficio ad Francisci voces expergefacti recensentur. Alterum enim Divinæ ultionis metus ita percelluit, ut & comam sibi publicè à Francisco detonderi voluerit, & inde ad severissimum Sancti Petri de Alcantara Institutum amplectendum sese pœnitentiæ causâ traduxerit: quem inter eos Regulares optimè adhuc vivere Italicæ Francisci vitæ Scriptores perhibuere. Alter omni flagitiorum genere contaminatus, impotentium cupiditatum æstu abreptus furere magis, quàm aliud quid agere videbatur. Inditum inde misero

Inſani nomen, quem ignominiæ titulum per ſummam amentiam laudi ipſe ſibi, & gloriæ ducere non dubitabat. His verò omnibus Franciſco æquè ignotis, accidit, ut in ipſo perorandi æſtu oculis in hujuſmodi hominem fortè obverſis in hæc verba erumperet: *Quouſque tandem Inſane? Deo-ne etiam illudere te poſſe tute confidis?* Caſu-ne, an occulto Dei monitu locutus ita fuerit Franciſcus, incertum. Illud certum, perditum illum hominem ſe iis verbis appellari, ſe ſcelerum coargui judicaſſe; ac veluti divinitùs accepto cœleſti quodam elleboro ad mentem ita rediiſſe, ut *Inſani* nomen, ac mores omninò abjecerit.

Repentinæ prætereà, quæ noſtrâ memoriâ Neapolim preſſere calamitates, incredibile dictu eſt, quantam ei præter ordinem laborandi materiam ſuffecerint. Neque enim unquam ſibi ipſe parcere viſus, ut publica mala in publicam animorum utilitatem detorqueret. Fecit hoc primò Anno à Virginis Partu MDCLXXXV. cum violentus adeò terris, ac mari ingruit turbo, ut è domorum faſtigiis tegulas per Urbem paſſim disjiceret, & oneraria navigia frementium impetu fluctuum partim inter ſe colliſa, partim objectis in portu molibus illiſa ad miſerabile naufragium adigeret. In communi quippe pavore omninò ipſe interritus, prælatâ manu Cruce, totâ paſſim Urbe circumvolitans, ipſum Civium metum ſi minùs perficiendi, certè inchoandi officii magiſtrum adhibuit; atque obvios quoſque ad iratum Numen pœnitentiâ placandum non ſegniter eſt adhortatus. Fecit & anno MDCLXXXVIII., horribili terræmotu, ſecutiſque Junio menſe in Campania, & Samnio cladibus memorabili. Ac Neapoli quidem præter fatiſcentium domorum nuſquam ferè non apparentes rimas, tùm noſtræ Profeſſorum Domus venuſtiſſima Ædes Tholi ruinâ deformata, tùm Teatinorum Templi Divo Paulo Sacri exterior ex antiquiſſimo marmore facies fœdè proſtrata Civium terrorem in tantum auxerant, ut attonitis potiùs, quàm trepidis ſimiles per Urbem omnes incederent. Hos verò ut ad implorandam Divinam opem erigeret, nihil non egit Franciſcus. Intrepidus proinde Urbem obambulans omnibus impetrandæ à Deo pacis ſequeſtrum ſe exhibere; nobileſque juxtâ, ac plebejos his verbis perpetuò adhortari. *Divinæ iræ imponi modum optatis? At vos eidem criminibus laceſſendæ modum tandem imponite.* Fecit deni-

Digitized by Google

denique IV. Non. Auguſti, Anno hujus Seculi VII.; quo tempore è Veſuvii vertice cinerum nimbus erumpens, vento propulſus in Neapolitanam Urbem, & agrum ſeſe exoneravit, ac Civibus juxtà, Accoliſque omnibus vix flexo in veſperam die lucis uſuram omnem, atque obtutum eripuit. Noctis adeò ſubitæ terrorem auxit tùm ſaxorum è Monte devolutorum auditus ſubinde fragor, tùm ignea veluti miſſilia in aëre per vices intermicare viſa, quibus tota Urbs impeti, atque ab hoſte aliquo oppugnari videbatur. Ad conſuetam in Divæ Mariæ à Conſtantinopoli dictæ Concionem habendam eo temporis perrexerat Franciſcus. At verò vacuum ibi auditoribus Templum nactus, ad Campanam Portam repentè ſe proripit; ibique ne hæc Divini honoris promovendi opportunitas ſibi intercideret, ubicunque in metu perculſam Civium turbam incideret, eos de placanda Summi Numinis irâ confeſtim admoneret; atque offuſum illum tenebris qualibet nocte denſioribus diem indicans, compoſito ad mœſtitiam vultu, ita fermè exordiri: *Heus vos, quota hora eſt? aut quotam nunc eſſe creditis, Cives?* Mox ea uberiùs ſubdere, quibus ad luctum, & lacrimas omnium animos excitaret. Nec ab incepto deſtitit, donec progreſſa cum Cardinali Archiepiſcopo Franciſco Pignatello, atque Georgio Adamo Mattinitz Prorege ad Campanam eam Portam gementium Civium ſupplicatio Sancti Januarii Tutelaris Caput Monti objecit: cujus præſenti ope poſt ingentem mugitum flammas ſtatim comprimi, lenique aſpirante aura cinereum turbinem, caliginemque paulò poſt diffiari, optatamque Cœlo ſerenitatem reddi ſumma omnium gratulatione conſpexit. Atque hæc Neapolitana calamitas illa eſt, quam, diſſimulatâ Sancti Januarii deprecatoris mentione, ſtante dumtaxat ſub noctem vento fortè fortuna diſcuſſam, non ſatis quidem piè memorare Hiſtoricus quidam non multis ante annis eſt auſus. Cum tamen inclyti Apotropæi beneficio depulſam eam fuiſſe teſtatus ex eo uſque tempore fuerit Senatus, Populuſque Neapolitanus, monumento intra pomœrium, unde ad Veſuvium proſpectus patet, erigi juſſo, in quo ſub cœlato in marmore Sancti Januarii ſigno hæc legere cuique licet.

DI-

Digitized by Google

DIVO JANUARIO
Urbis Neap. Indigetum Principi
Quod Montis Veſuvj anno CIↃIↃCCVII. *cum maxima*
Ignis eruptione facta dies complureis magis,
Magiſque ferociret, jam ut certiſſimum Urbi, totique
Campaniæ incendium minaretur, ſacri oſtenta
Capitis in Ara heic extructa excidioſos impetus
Extemplo oppreſſerit, & omnia ſerenarit.
Neapolitani
Ejus Divini beneficj, uti & innumerum
Aliorum, quibus à bello, fame,
Peſtilentia, terræmotu Urbem
Civitatemque liberavit, memores
P. P.

Sed ad Franciſcum jam redeo, cujus hic ſupereſt præter ordinem labor, non publicâ quidem causâ, ſed ſingulari, ut videtur, Dei admonitu ſuſceptus, totiuſque rei exitu memorandus. Obrepſit Franciſci animo nocte quadam ſubita hæc cogitatio, tempus jam eſſe protinùs in publicum ad concionem prodeundi. Vanum ei, & imprudens viſum primò conſilium, ac proinde neglectum. Verum quò cautiùs illud ſemel, atque iterum aſpernatur, ac rejicit, eò acriùs ad idem exequendum incitari ſe experitur. Nefarius-ne ſpiritus ſibi illudat, an Cæleſtis imperet, animi dum pendet, Domus Præpoſito injectam ſibi mentem aperit, ejus dictis auſcultaturus. Conſulentis hic ſe hominis virtute, atque authoritate fretus, tacitis illis vocibus parendum, ac prodeundum ad Concionem omninò eſſe pronuntiat. Quare ſocio adjutore ſtipatus hàc, illàc Urbem intempeſta nocte pererrat Franciſcus; quò tenderet, ad quosnam, & quo fine dicendum ſibi foret omninò ignarus. Tandem in trivii cujuſdam angulo concioni congruum eum locum eſſe tacitè admonitus interſiſtit. Ac dicendi materie veluti ab alio commonſtratâ, dedere ſe Deo ſceleſtos ſtatim debere multis ſuadet; extremam quippe ejus invitationem extremo vitæ momento ità ſæpe conjungi, ut ſpes reconciliationis in poſterum illis nulla ſuperſit. Quibus diù, multumque inculcatis, tanquam confectâ re, quantum in ipſo erat, Domum regreditur. Poſtero verò mane nihil eum fruſtrà noctu egiſſe patuit: nam gemitu madens, paſſoque capillo mulier noſtram Ædem ingreſſa accito

ad

Digitized by Google

ad se Francisco totius rei seriem, atque exitum exponit. Ac propè suas ædes fuisse enarrat, ubi proxima nocte in scelestos acerrimè ipse declamasset. Se quidem eo tempore parum pudicè versatam cum amasio fuisse; ejus tamen objurgationibus exterritam abstinere se à crimine voluisse; facturamque ita fuisse, ni suis cupiditatibus, quam suadenti Deo impotens animi amator morem gerere maluisset. Contemptæ porrò Cœlestis iræ hunc fructum ab ipso relatum, quod paulò post animam infelix in ipso scelere repentè exhalarit. Hujus sibi exitium incitamento jam esse, ut confessione detersis anteactæ vitæ flagitiis ità in posterum agat, ut atrox illud mortis genus, secutumque inde æternum supplicium prorsùs evadat. Hæc lacrimans fœmina, nocturnâ illa Franciſci concione, ac miserandâ amasii morte animo in diversum mutata.

CAPUT X.

Ærumnæ, ac ludibria in procuranda hominum salute Neapoli à Francisco tolerata.

PRo Æterni Regis ditione quà tuenda, quà amplificanda strenui Militis partes egisse videtur Franciscus in Regni hostes egregiè ubique dimicantis. Verum ut profanæ, ita & sacræ militiæ ea conditio est, ut non qui justiùs, iidem semper & feliciùs pugnent. Imò toleranda sæpè fortissimo cuique in bellis, ac prœliis occurrunt plurima, quibus vel iter sibi ad victoriam sternat, vel certè nullis fractam malis fidem, & constantiam Imperatori suo probandam exhibeat. Equidem non dissimili lege in campum ita Franciscum prodiisse invenio, ut nullum penè Apostolicum munus in omni vita obeundum ei fuerit, quod gravis alicujus molestiæ, injuriæ, aut contumeliæ genere eidem stare minimè debuerit.

Et quidem ipsa populorum è vicinis Pagis ad menstruam Synaxim evocat io, quanquam per se hominum probris, ac maledictis obnoxia minimè sit; ac præterea ipsum, tanquam demissum è Cœlo hominem, ut plurimùm Pagani suspicerent; non de-

defuere tamen plures moribus magis, quam conditione ruſticani, qui labori ipſorum causâ ſuſcepto ſcommata, ac ludibria rependerent; & quicquid apud ipſos diceret, ageretve, palàm riſu, ac jocis exciperent. Quorum impudentiam exporrectâ ad hilaritatem fronte, eorum contumeliis ne commotus quidem, eludere ipſe conſueverat.

Nec minori in mendiculorum inopiâ ſublevandâ animi moderatione ei opus fuit. Horum ſæpè turbâ importunè circumſeptus, quamdiù comparata ad hunc uſum à piis, ac locupletibus pecunia ſuppeteret, neminem à ſe ſpe fruſtratum abire patiebatur. Ubi verò poſt diviſos viritim nummos, nihil jam ſibi, quod ſupervenientibus aliis largiretur, ſupereſſe cerneret; eorum vicem miſeratus conceptum dilatæ in alium diem ſtipis mœrorem, blandiſſimis, ut poterat, verbis lenire amantiſſimè ſatagebat. Hoc verò ipſum gravatè adeò à viliſſimis hiſce capitibus acceptum, ut aſperrimis alii dictis, alii obtrectatione, aut apertis contumeliis ejus modeſtiam laceſſere haud vererentur. Quibus ipſe rebus haudquaquam perturbatus, animoque ad eorum calamitatem quaqua poſſet ope, atque induſtria levandam parato, parum æquis ſucclamantium querimoniis fruſtrà audiendis, aliud potiùs acturi, quàm contemnentis ſpecie ſeſe expeditiſſimè ſubtrahebat.

Pœnitentiæ quoque ſubſellium inexpectatas ipſi quidem, ſed graviores ejuſdem exercendæ virtutis occaſiones obtulit. Qua in re memorabile præ cæteris eſt, quod erga ſtolidè ferocem trioboli hominem Chriſtianæ patientiæ edidit exemplum. Ad ſacram Synaxim noſtra in Æde ſumendam tertiâ cujuſdam menſis Dominicâ luce acceſſerant fœminæ è Neapolitanis paludibus duæ. Hæ, quod omnium maximè ab Urbe diſtarent, quò ad repetendas familiæ curas tempori ſe domum reciperent, ſuis confeſſionibus aures ut quantocyùs præberet, Franciſcum rogaverant. Ambarum porrò petitioni indulgendum ipſe eò æquiùs eſſe cenſuit, quòd floribus Sancti Cyri Hierothecæ exornandæ deſtinatis ſedulam toto anno operam utraque in ſua palude navarent. Quare ad infimæ ſortis hominem neſcio quem, qui confeſſionale ſubſellium prior occupaverat, humaniter obverſus, loco tantiſper ut cederet rogavit, dum fœminæ utriuſque neceſſitati conſuleret. Ab iis ſibi omnium primo ad confeſſionem aditum actutùm fore. Injuſtè hic ſecum

Digitized by Google

cum agi ratus, asperrimis repentè, atque inurbanis in rogantem dictis excanduit. Cui serenâ fronte Franciscus: *Atqui*, inquit, *utriusque harum hortus floribus mihi excolendis assiduè vacat: quos millibus passuum ambæ ab Urbe absint, non ignoras: quid justius proinde his faciam, quàm ut citissimè utrique hoc die faciam satis?* Locum, non iram ad humanissima hæc verba efferatus homuncio deposuit: atque hæc abscedens in Franciscum procaci ore effutire ausus est: *Fœminæ scilicet sunt: eas priùs audire proinde placet.* Stultissimum petulantis hominis convicium, tametsi impacto in os colapho dignum, modesto risu tacitus dissimulavit Franciscus: eumque ad mentem redire impensâ ipsi humaniter operâ coegit: fœminis quippe vix auditis ad accommodandas homini aures animum perinde adjecit, ac si insigni alicui ejus in se beneficio par gratia rependenda jam foret.

Longè verò majoris, ac multiplicis virtutis officina in Mondragonii, ut dicunt, Secessu Pœnitentiæ Tribunal eidem extitit. Res inde ortum habuit. Ingressuram in illustre illud nobilium fœminarum Gynecæum ad mulcendas cantu aures, atque animos suspectæ famæ cantricem inaudierat Franciscus. Id nobilem Matronam ejus loci hospitam, seù propriæ, seù communis oblectationis gratiâ obfirmato animo cupere, ac, nisi pravo molimini opportunè occurratur, propediem executuram. Pii domicilii sanctitati, nobiliumque incolarum honestissimis moribus dissonum id ipse reputans, ejus loci Antistitam repentè admonuit, ne indecoræ adeò petitioni exorabilem se ulla ratione præstaret: secus si faceret, Divinæ Ultioni turpem ejus vecordiam, hominum verò ludibrio obnoxiam ejus famam fore. Ne verò ad retundendam ferocis ab ingenio fœminæ cupiditatem sibi constantiæ parum, facilitatis verò plurimum inesse hæc causaretur; posse ipsam, addidit, ejus consilii authore propalato, repulsæ invidiam è suo capite magna ex parte depellere. Franciscí proinde nomine, ac, si vellet, etiam jussu se postulatis abnuere liberè, ac pro libito diceret. Frustratæ voto Matronæ offensionem, atque odium se libentissimè subiturum. His porrò ad Matronæ aures perlatis, quibus Franciscí causâ omnem adducendæ in Gynecæum mulierculæ spem intercidi videbat, vehementi in ipsum exarsit iracundiâ; nec satis sui potens ad alloquium ipsum accersit. Tametsi verò contumeliæ causâ ab ea se acciri intelligeret, ad eam pergere haud recu-

 savit

Digitized by Google

ſavit Franciſcus. Ut igitur acceptam injuriam, quibus poſſet verbis in præſentia ulciſceretur, fœmineo furore percita hæc ipſum aggreditur: atque in eum conviciis oneratum acerbitatis ſuæ virus omne evomit: auditæque procul inter confuſas furoris voces eæ in ipſum minæ: *Non impunè ſcilicet id ipſi ceſſurum: eam ſe rem Cardinali Archiepiſcopo delaturam, nec querelis temperaturam, donec à Gynecæis id hominum genus prorsùs abſtineatur, quod eorum tranquillitati, injectis ineptè religionibus, officiat potiùs, quàm conſulat.* His porrò, aliiſque id genus plurimis in ſe invectam pacatus audiit Franciſcus. Ubi verò ſatyræ ab ea modum imponi jam vidit; *Adeò-ne pauca*, repoſuit, *quæ in me congeras, habes? At longè pluribus, ac potioribus abſtinuiſſe te video. Addendum ſcilicet & hoc erat, Plebejum, Ruſticum, Illiteratum, Inſcium, Imprudentem eſſe Franciſcum.* Nec aliis ignominiæ titulis onerare ſe deſiiſſet, niſi hæc hominem audiendi convicii longè cupidiorem, quàm congerendi ejuſdem ipſa fuiſſet, relinquendum eſſe conſuiſſet. Revocato tamen non ita poſt multò ex irâ animo, ejus, quem acerrimè inſectari voluit, virtutem demirari, ac prædicare haud unquam hæc deſtitit. Nec contrà in ejus honorem propenſus minùs Franciſcus, ut acceptas ab ea contumelias inſigni aliqua officii ſignificatione rependeret; ubi hanc in ſuam patriam reverſuram hoſpitii cauſa ex itinere in eundem divertiſſe locum agnovit, in quo Sacram ipſe Expeditionem obibat, donatos ſibi tempeſtivos fructus, obſequii causâ eidem dono ſubmiſit, nimiæ in audiendis plurimorum confeſſionibus occupationis excuſatione additâ, quæ à majoribus, ut optaret, obſequiis ei exhibendis invitum arceret.

Nihilò verò his leviora, quæ in ipſum ſuæ Miſſionis Sodales moliri aliquando ſunt auſi. Cum enim contrà Sodalitatis leges ipſorum quemdam deliquiſſe compertum jam eſſet, ex iiſdem legibus è Sodalium albo expungendus hic fuit. Verùm hominis, eâ re, veluti infamiæ notâ perculſi, ſubita pœnitentia, demiſſæque preces Franciſcum citò placabilem reddidere. Dum de ejecto tamen in priſtinum locum reſtituendo apud Sodalium ſeniores agit, duriſſimam ſibi obveniſſe provinciam è veſtigio experitur. Omnium acerrimè is ei Decreto interceſſit, qui poſt Franciſcum Sodalitio præerat. Etenim hic cæteros ad ſe vocatos in eam pertraxit ſententiam, ut ſicubi inconſulte

Fran-

Digitized by Google

Franciſci pietati nulla alia obſiſtendi ſupereſſet via, Sodalitatem ſe Duce omnes deſererent. Subitam hanc dilectorum ſibi capitum conjurationem averſatus quidem eſt, ut debuit, Franciſcus; verùm illatæ ſibi injuriæ omninò immemor, hanc conſpirationis evertendæ rationem iniit. Poſtero die iniquæ defectionis authorem domi convenit; eique blandis quidem, ſed efficacibus edicit verbis, ut proximo die feſto ad Sodalitium ipſe cum aliis de more ſe conferant, à meridie conſuetæ Miſſioni præſtò futuri. Tum ejuſdem audaciâ, & contumaciâ breviter, ac perpaucis caſtigatâ aliò divertit. Sive hominis ſanctitatem reveriti, ſive injuriam obſequio compenſaturi, præter æquum, & fas fore collatis inter ſe conſiliis cenſuere omnes, ſi dicto audientes non eſſent. Quare nihil cunctandum rati ad præfixam horam in Sodalitatis Aulam ſeſe conferre non dubitarunt. Eos verò ad obſequium rediiſſe conſpicatus Franciſcus, humaniter quidem omnes accepit: verùm ne criminis impunitas exemplo noceret, in unum ejus architectum hanc mulctam decrevit; ut quoniam inter Deiparæ famulos prima occupans ſubſellia ejus deſerendæ author aliis fuiſſet, in infimo Aræ gradu ſeorſim ab aliis tandiù ſederet, donec demiſſi, conſtantiſque animi exemplo à ſimilibus perpetrandis ſatis alios abſterruiſſet. Non diuturna hæc tamen in mitiſſimo homine ſeveritas fuit: vix enim ſemel, atque iterum à reo id præſtitum; cum in Sodalitii medium procedens Franciſcus, poſitis genibus ad jam ſatis, ſuperque ſuo judicio mulctati hominis pedes oſculandos accedit. Tùm, aliis ejus virtutum admiratione defixis, aliis in pias lacrimas eo ſpectaculo reſolutis, manu apprehenſum priſtino eum gradui, atque honori reſtituit. Ita conflata à Sodalibus in ſuam ipſorum perniciem procella, eximiâ Franciſci virtute diſſlata detonuit. Cæterùm hominem hunc factioſum, moribus aſperum, ingenio inurbanum, ac pluries ſibi adverſari auſum majori deinceps benignitate eſt proſecutus. Pauciſque poſt annis rei familiaris penuriâ ad inopiam redactum, quibus potuit pecuniis juvit, veteres injurias novis ſemper beneficiis remuneratus.

At levia hæc item, uti & quamplurima, quæ partim ab iiſdem Sodalibus, partim ab eo, quem Socium habuit, Adjutore Laico, nimii laboris impatientiâ in ipſum ſubindè aſperè invecto, tolerare ad Dei gloriam neceſſe habuit, ſi cum aliis

Digitized by Google

acceptis alibi injuriis conferantur. Neque enim Orphanotrophia, ac Gynecæa ærumnis, ac contumeliis vacua univerſim expertus eſt. Et quidem Neapolitani cujuſdam Orphanotrophii adoleſcentulos ſpiritualibus Exercitiis inſtituendos olim ſuſceperat. Bonâ illùc eum fide accedere juſſerat loci Rector; niſi quod eorum, qui ejus loci regimini plures numero præerant, uni dumtaxat eam rem indicare neglexerat. Suam verò à Rectore authoritatem contemni hic arbitratus, ad locum ſe iratus confert, ubi admotam tùm primùm operi à Franciſco manum nactus, Rectorem non tàm negligentiæ, quàm audaciæ aſperrimè inſimulat, quod ſcilicet inſciis Præfectis novas res ſponte ſua moliri videretur; atque è Societate hominem (hæc verba iratus effutiit) in commiſſum ſuæ curæ Orphanotrophium induceret. At verò plura eum dicere meditantem genibus ſubmiſſis, atque in ſe culpam detorquens interpellat Franciſcus: neque enim Rectoris, ſed ſuo dumtaxat vitio eam negligentiam adſcribendam eſſe pronuntiat: ſe ruſticum, ſe inurbanum fuiſſe, qui eorum dignitatem debito honoris officio proſequi neglexiſſet: quare longè acriori objurgatione ſe plecti æquiſſimum eſſe. Hac inexpectatâ Franciſci demiſſione, ac modeſtiâ perculſus Præfectus, versâ in comitatem iracundiâ, & cœptum Exercitiorum opus probavit, & pluribus poſtmodum annis eodem loci Franciſcum, ut ad eundem regrederetur laborem cupidè expetiit.

His inurbanius, atque aſperius aliquid à cujuſdam Gynecæi fœminis perpeti debuit. Cum enim à loci Præſidibus apertè hæ diffidere haud vererentur; cumque ad ea, quæ pullulaverant diſcordiæ ſemina radicitùs evellenda nullus Franciſco commodior Præſidibus ipſis videretur; verni Jejunii tempore ad eas ut dicturus accederet, multis tandem precibus eſt impetratum. Primo tamen acceſſu in furorem actas nil non audere fœminas patuit. Obſeratis enim cratibus eum nullo reſpectu expellere, & Concionatorum copiam ſuo Collegio minimè deeſſe veluti per contemptum addere non dubitarunt. Immodeſtè adeò, atque inverecundè ſe ab iis repelli ne verbo quidem apud eas conqueſtus eſt Franciſcus: loci Præſidibus tantùm eâ de re admonitis ad longè majoris momenti curas animum libentiùs intendit. Eædem porrò longo poſt tempore, mutatis in diverſum animis, Franciſcum & in Pœnitentiæ ſubſellio conſulere, & Sancti

Cyri

Digitized by Google

Cyri reliquiis munitum ad sibi benè precandum accedere nec semel voluere. Quem laborem earum causâ suscipere haud unquam renuit expulsus olim Franciscus; laudatâque apud alios sæpissimè earum pietate, perinde cum iis egit, ut acceptæ anteà injuriæ omninò immemor videretur.

His oppidò feracior ærumnarum ea seges fuit, quæ in ipso Apostolicarum Missionum campo asperrima ei pullulavit. In his enim palàm confligentem cum universo vitiorum exercitu hominem Tartareus veterator ita per suos apertè repellere aggressus est, ut vel injuriarum atrocitate, vel periculorum magnitudine deterritum ab infestandis suis copiis perpetuò, si posset, arceret. Inter hos porrò mali Dæmonis emissarios censendi meritò sunt impii Circulatores duo. Et unius quidem publicas contumelias, atque improbè dicta facilè elusit anno circumacti Seculi octogesimo septimo. Plurima enim, atque atrocia in se effutire ausо illud unum pacatissimè genibus positis reposuit: *Nihil esse, cur sibi tantoperè succenseret: se quidem palàm locutum: Auditorii proinde totius testimonio constare jam posse, an ipsius bonorem ullo unquam verbo læsisset.* Quo virtutis spectaculo & diremptum illicò jurgium, & histrionis ne hiscere quidem contrà ausi fracta lenitate petulantia, ut in Francisci commendationem, ita in ipsius ingentem ignominiam cessit. Longè verò difficiliùs, atque asperiùs cum altero Circulatore certamen fuit. Hic lucello suo inhians, dum ingenti otiosæ plebeculæ turbâ stipatum se feriato die esse gratulatur, ad concionem in suo tabulato habendam appropinquare Franciscum procul aspicit. Dumque & loco sibi cedendum esse, & pecuniæ captandæ opportunitatem intercidi secum reputat, impotentis iræ æstu abreptus, ligneam, quà ascendere Franciscus jam cæperat, scalam eo impetu in transversum egit, ut eum retrò impulsum ad terram deturbarit. Horrendum illicò circumfusæ multitudini flagitium visum; fremituque passim excitato omnes accurrere, in malè sanum scurram atrocibus verbis invehi; nec manus ab eo quidam abstinuissent, ni concitatæ multitudinis impetum pacatissimo, quo erat animo, ac nec minimum quidem eo lapsu læsus sedasset Franciscus. Ad nefarii quippe histrionis pedes ipse advolutus; *Equidem*, inquit, *nihil, quod in tuam perniciem cederet, agere voluisse mihi videor: Verùm, si quo fortè re offensum te mihi jure putas, ea*

veniam ſupplex efflagito. Quo lenitatis, ac modeſtiæ exemplo omnium animos ex irâ in admirationem extemplò convertit. At verò ad flectendos ad miſericordiam Regiorum Judicum animos ejus prætereà beneficentiâ in ea re opus fuit. Cum enim vulgato ſacrilego facinore audacem mimum in vincula hi conjiciendum curaſſent; ac ſeveriſſimè in eum legibus agendum cenſuiſſet, qui pro Rege eo temporis præerat; peſſimè de ſe meriti hominis patrocinium ſpontè ipſe ſuſcepit, nec operæ pepercit ulli, donec magnæ authoritatis hominum defenſione imploratâ miſero illi & vitæ, & libertatis impunitatem obtinere ſe potuiſſe gratulatus eſt. Non omittendam hoc loco hanc, quæ ad meas manus venit, ejus epiſtolam cenſui pro Circulatore alio, decimo penè ante obitum menſe, ab ipſo ſcriptam, ut qualem erga infenſos ſibi homines animum gereret, in ea, tanquam in ſpeculo, intueri cuique evidentiùs liceat. Loco ei cedere nugax hic nebulo apertè renuerat; cumque in ſacram concionem vicino è loco aggreſſum maledictis, ac ſcommatis, non ſine affuſæ multitudinis offenſione, ac ſtomacho haudquaquam temperaſſet, audacis contumeliæ pœnas publicâ in cuſtodiâ luere Urbani Prætoris imperio compulſus jam fuerat. Intortis verò in ſe conviciis hanc vicem ſupplicibus ad Judicem literis, de hominis ærumna ut primùm admonitus eſt, reddidit Franciſcus.

Illuſtri, ac Nobili Viro Ignatio Tauro Maguæ Curiæ Judici.

Miſerum illum Circulatorem è Foro Arcis Novæ, quòd verbis nonnullis meum læſerit nomen, publicam in cuſtodiam detruſum audio. Equidem quod, ut debes, Crucifixi pro nobis Domini, atque infelicium, quos inexplebili fame malus Dæmon devorat, animorum partes tueare gratias habeo, atque ago maximas: nec tantum honoris ſui ſtudium ſuo præmio fraudabit Deus. Per has ego tamen literas, (quod coram me facere conſuetæ occupationes non ſinunt) tuis advolutus pedibus enixè flagito, ut illum in mei gratiam educi è cuſtodia jubeas, ignoſcaſque audaciæ, quam modicum, quod in eo eſt, mentis lumen excuſat. Id ego à te etiam, atque etiam maximis, quibus poſſum, precibus peto. Si ſuo ille theatro fœminas poſthàc tuo juſſu abſtineat, ſatis ſuperque hoc erit. Cæterùm ut malorum crimi-

Digitized by Google

minum reis veniam ex animo petentibus exorabilem se præbet Clementissimus Deus; ita ad Clementiæ suæ imitationem tantæ Benignitatis exemplo nos provocat. Hinc & misero illi lubens ignosco, eumque ut dominum, ac fratrem ex animo complector. Interim, hujus meæ petitionis felicem ut exitum fore confidam, egregia animi tui benignitas facit. E' Professorum Domo. IV. Idus Junias, Anno MDCCXV.

Verùm enim verò avaritiæ deditos id genus homunculos eò audaciæ progressos mirandum minus fuit; cum ei, quod obtrusis facetiis quæritabant, compendio Franciſci conciones incommodare dolerent. Novum, insolens, nec minus atrox id fuit, quòd à Regulari, alteriùs quidem à Societate Instituti, sed eidem Missionum Ministerio addicto perpessus est. Ad consuetas Feriatorum dierum conciones habendas in eum locum perrexerat Franciſcus, qui à veteribus fortasse Accolis *Forum Gallicum* vulgò dicitur. Fecerat id nec semel, refragante ad eam diem nemine. Ibi, dispositis vicatim de more nostris Junioribus, de æternis rebus differere & ipse jam cœperat. Ferventè ergo jam opere, ecce ad idem munus implendum eodem loci cum suo agmine accedit is, quem suppresso nomine paulò ante memoravi, Regularis. Ac præoccupatum à Nostris Forum illud indignè ferens, è suo se agmine proripit: tùm Juniores primùm ad abrumpendam concionem verbis haud mitibus adigit: inde ad Franciſcum eodem impetu progressus, & ipsi è vestigio excedendum ex eo loco esse denuntiat, ni in alienam messem falcem immittere videri velit. Improvisâ hominis elatione haudquaquam perturbatus Franciſcus, ut omnem jurgii occasionem præcidat, imperanti è vestigio auscultat; intermissâque concione, ut nullo se contentionis studio illùc processisse ostendat, ad exosculandos irati hominis pedes, veluti facti veniam petiturus, accedit. Verùm, ut impotentes sunt, quæ transversos quandoque nos agunt, animi intemperiæ; tanta hæc ejus demissio usque adeò placandi hominis exitu caruit, ut à Franciſco inurbanè aversus, non sine audientium stomacho, eum probitatis, ac Sanctimoniæ callidum simulatorem palàm omnibus appellare non dubitaverit. Qua insigni contumeliâ ne hilum quidem commotus Franciſcus rem penitùs dissimulat, exporrectâque ad hilaritatem fronte, suum agmen aliò deducendum

Digitized by Google

dum confeſtim curat. At verò innoxium hominem nullâ de causâ impunè deſpici haud quaquam paſſus eſt Deus. Ejus quippe contemptorem ſecutâ mox nocte ſubitò apoplexiæ morbo perculſum tacitè admonuit, heſternæ arrogantiæ, repulſique immani convicio ſupplicis hominis à ſe pœnas repoſci. Quod ubi hic, ut erat Divinarum vocum non ignarus, agnovit; nunciari ſtatim Franciſco mandat, ſe quidem ejus alloquendi deſiderio maximè ſolicitari: quo minùs tamen prior ad ipſum, ut par eſſet, accedat, ægritudine impediri: petere proinde, ut morbo laboranti præſens ipſe adeſſe ne dedignetur. His porrò auditis, ne momentum quidem cunctatus decumbentem adit Franciſcus, quem in longè diverſum mutatum nanciſcitur. Nam & irrogatæ de nihilo injuriæ veniam gemebundus hic petiit; & errati noxam ut, qua poſſet ratione, elueret, ejus, quem læſerat, manus oſculari voluit. Addidit integram ſe ei ex eo die relinquere ad conciones quòlibet accedendi libertatem: ſi Dei beneficio ſuperſtes futura ei vita eſſet, initam cum eo pacem, atque amicitiam non ullo unquam tempore ſe temerè violaturum. Contrà Franciſcus, ut ſibi exhibiti honoris ſignificationem ampliſſimis, quibus poſſet, verbis rependeret; Nil eſſe, repoſuit, cur ad tam infima erga ſe caritatis officia deſcenderet: facti ſe immemorem & eſſe, & perpetuò fore: ſperare ſe ejus, quo afflictabatur, morbi vim brevi tempore remiſſuram: ſi quid interim ad ejus ægritudinem levandam pro ſuarum virium tenuitate valeret, ex animo ſeſe executurum. Ita cum ingenti utriuſque Ordinis hominum gratulatione in pacificum officii, atque humanitatis certamen deſiit, quæ pridiè coram obtrectantis popelli multitudine, tanquàm de violato jure aliquo, exardeſcere perperàm cœperat diſceptatio. Cæterùm concionibus in eo Foro habendis diù ſibi poſtmodum interdixit Franciſcus; præcipuè ne facti, quod abolitum ex hominum mentibus volebat, ibi locorum viſus memoriam effodere ratione aliqua videretur.

Supereſt jam, ut toleratas in lupanaribus, in ipſa nimirum impudentiæ arce, contumelias, ac ludibria in apertum proferam. In his molliter habitus dici potuit Franciſcus, quoties ab ea humani generis fæce tantùm non auditus fuit, quoties in ſui contemptum occludi à mulierculis feneſtras tantùm proſpexit, quoties à ſuo aſpectu, formidando veluti ſpectro de-

Digitized by Google

deterritas, raptim se aliò proripere has animadvertit. Fuerè inter eas satis multæ cæteris procaciores, quæ eum cæteroquî mitissimè cum ipsis agentem, nec, nisi quas offendiculo hominibus esse deprehendissent, asperiùs objurgantem, conviciis, ac maledictis palàm incessere sibi laudi ducerent; ut proindè inter has ea gloriæ primas tulisse videretur, quæ hominis caput diris acriùs devovisset. Duarum in cæteris in tantum processit audacia, ut in Viâ Judaicâ, à Judæis olim incolis fortè Neapoli dictâ, piæ jam concioni operam navantem Franciscum talibus appetere contumeliis minimè dubitarint, quales in parasitum, aut congerronem aliquem nemo sui compos à se jactas voluisset. Ac vix se continuisse pium inibi Artificem, cui Joannes Alvarez nomen, commemorant, quin utriusque impudentiam execratus, baculo arrepto, importuna verba opportunis verberibus compesceret. Cæteràm quàm plenæ contemptus, conviciique hujusmodi irrisiones fuerint; quâve animi magnitudine nihili eas fecerit Franciscus, intelligi ex eo potest, quod Sancti Liborii Curio retulit. Præstò se meretriculæ cuidam extremo vitæ tempore resipiscenti fuisse narravit; quæ supremis Mysteriis jam ritè procurata hac duntaxat religione se adhuc obstringi nunciavit, quod Franciscum in compitis concionantem impiè derisisset. Timidam se, atque ancipitem ad Supremum Judicem Deum ituram, nisi, ejus noxæ veniâ ab homine impetratâ, ejus scrupuli metu animum liberasset. Ad eam porrò accersitum Franciscum confestim adventasse memoravit: at fœminâ vix auditâ, in genua provolutum, eximiâ eâ, qua pollebat, animi demissione reposuisse: *Imò verò te mihi ignoscere longè æquius est, Filia; quippe qui meo munere defunctus malè adeò fuerim. Concionatorem agere volui: in hac me verò arte negligentissimè, atque imperitissimè exercui.*

Quanquam non sola ejus dignitas fœmineâ dicacitate vexata: vita etiam amentium libidine hominum furori, ac minis exposita in summum ibidem discrimen adducta est. Ac percrebuit quidem Neapoli sæpè rumor, Franciscum in lupanarium quadriviis, aut eorum causâ alibi ab insidiatoribus interfectum. Quæ licet falsò jactata, perditi tamen adolescentis temeritate propè factum est, ut quò minùs verissimè narrarentur, parum abfuerit. Frontem hic adeò perfricuit, ut publicum nil veritus in ipsius concionem habentis Franciscì oculis ad mere-

Digitized by Google

triculam ingredi auſus fuerit. Indignum id prorsùs Franciſco viſum, à Catholico nempè homine ad perpetrandum ſcelus per calcatam veluti Crucem palàm pergi. Poſthabitâ proinde concionis curâ, ad avertendum à nefario conſilio impurum adoleſcentem è ſublimi loco progreditur. Ac, per Deum, & ſi quos habeat in Cœlis Tutelares Superos, orat, obſecratque, ut in affuſæ ſaltem multitudinis gratiam peſſimi exempli crimen ne edat. Nec pluribus roganti opus fuit, ut abſtractus à voluptate, ad quam adhinnierat, indomitus adoleſcens piè monentem colapho per ignominiam exciperet. Mox cum ab hoc alteram ſibi maxillam ad repercutiendum offerri videret; ex ipſa hac manſuetudine excandeſcens magis, gladio educto in ejus necem eâ ferociâ exarſit, ut de Franciſci vita conclamatum propè jam eſſet. Sodalibus certè ſuis acceptum referre debuit Franciſcus, quòd eâ occaſione pro Dei Legibus fortiter dimicans impiâ adoleſcentis manu confoſſus, prout ſæpè optaverat, minimè occubuerit.

Nec verò ejus periculi, & contumeliæ magnitudine deterritus animum quicquam ipſe deſpondit. In majus longè diſcrimen ad arcendas hominum in Deum injurias ſeſe conjicere eo in compito non dubitavit, quod à Græcis Templum ibi ſuæ Nationis, ac Ritus habentibus nomen duxit. Sedem ibi fixiſſe ex Inſula quadam Neapolim nuper appulſum peregrinum ſcortum audierat, quod ſuis illiciis, Circæo veluti poculo, magnam hominum partem ad inſaniam penè adigeret. Gliſcenti in dies ut occurreret malo, ad concionem ex ejus domus regione habendam quamprimùm ſe contulit. Atque ubi inter dicendum pergræcari, ac debacchari plures homines apud eam animadvertit, cœleſti velut æſtro percitus, compoſita ad ſeveritatem voce: *Heus vos*, inquit, *quotquot adeſtis mali Dæmonis mancipia, è tam infami domo pedem efferte*. Audita quidem ab illis ejus vox: eâ tamen nonniſi unus exterritus ſeſe inde proripuit, atque ad imperantis pedes ſeſe advolutum acceſſit. Parum verò Franciſco viſum è fraudulentæ meretriculæ manibus unum duntaxat evaſiſſe: graviori proinde verborum ſono ita pergit: *Equidem hinc protinùs alios item diſcedere jubeo*. Paulòque poſt repetito imperio eorum obſtinationem minimè frangi conſpicatus, ſtrenui militis more, traditis à Deo Spiritus armis rem conficere deſtinat. Arreptâ, quam habebat Cruce, Virginiſque Dei-

paræ

Digitized by Google

parte imploratâ per Litanias ope, criminosam in domum intrepidus pedem infert. Enimverò plenum admirationis spectaculum eo die fuit, inermem hominem ascensu à nemine prohibitum, quamvis eorum, qui inibi erant, militiam aliquot profiterentur. Mirabilius ejus aspectu deterritos domum è vestigio deseruisse, atque obvio per scalas Francisco timidè salutato ignominiosæ quadam fugæ specie sibi consuluisse. Ascendere nihilominus sursùm perrexit Franciscus, ut & aliis, si qui adhùc fortè latitarent, inde fugatis, ac fœminâ à meretricio abstractâ, integrâ victoriâ potiretur. At introgressus solam ibi, lacrimisque suffusam mulierculam nactus est: quam cum amissi lucri potiùs, quàm admissorum criminum dolore angi comperisset; contempto ejus gemitu, post pauca inexpiatam reliquit. Hac porrò in re & fœminæ vicem doluit Franciscus, & suam: fœminæ quidem, quòd paucis assibus & corpus, & animam æstimaret: suam verò, quòd refractariorum hominum conventiculum flagitiis prohibere aggressus, immunis tamen & contumeliarum, & vulneris inde abscederet.

CAPUT XI.

E' contemptis Francisci Concionibus, aut neglectis consiliis secuta in plurimos Neapoli funesta supplicia.

LEgis suæ Præconem laborum, atque ærumnarum patientiâ ad arduum virtutis, ac Sanctimoniæ fastigium, citato veluti cursu, contendere quidem voluit Æterni Numinis Providentia; ne, quæ reliquis Apostolicis Viris ornamento est, ipsi cum vitiis feliciter ut plurimùm congresso tolerantiæ laurea deesset. Cæterùm apud improbos ejus nomen, authoritatem, officium nullo in honore esse, ejus voces irrideri, consilia contemni, famam proscindi, nec vitam à periculo, & vi immunem esse; tanti enimverò apud Supremum Vindicem hæc fuere, ut atrocibus, quæ in alios subinde, atque alios inflixit, suppliciis apertè ostenderit, quo apud omnes loco esse is deberet, cujus operâ, ac labore ad suæ Gloriæ, humanæque salutis ratio-

Digitized by Google

nes promovendas ejus Benignitas uteretur.

Expertus verò hanc Dei iram in cæteris videtur projectæ quidam audaciæ adoleſcens. Hic ut injectum ſibi Franciſci vocibus Cœleſtis ultionis metum contemptu, atque irriſione excuteret; non ſemel noctu pro noſtræ Ædis Foribus ambulans, ingenti voce Franciſcum contumelioſè appellare, ejuſque Concionantis clamorem, & contentionem ridiculè imitari, quò ad hominis deriſionem alios excitaret, inconſultè ſtudebat. At verò contemptus ſui pœnas non multo poſt dedit. Exortâ quippe inter ipſum, ejuſdemque furfuris ſodales rixâ, vulneribus confoſſus miſerandum in modum interiit.

E' pellicis item feneſtrâ ipſum in viâ concionantem longè contumelioſiùs aggreſſus eſt quidam alius; atque inconditæ vocis ſtrepitu ad deſiſtendum penè eum jam adigebat. Cui Franciſcus admotâ Crucifixi Servatoris pedibus dexterâ; *Perge*, inquit, *Perge jam miſer: venturus hàc tandem es.* Non inanes verò eas minas fuiſſe ſecuta nox edocuit. Vitâ enim eo tempore repentè orbatus contemptus ſui cauſam apud Supremum Judicem opinione ſuâ citiùs dicere debuit.

Irridere pariter ipſum in lupanari concionantem vix auſa eſt infelix muliercula, atque in dicentis ignominiam clauſis petulanter feneſtris ejus vocem à ſuis auribus rejicere: cum ejus vicem miſeratus Franciſcus; *Prob miſeram*, inquit, *repentinam ea mortem oppetiit!* Dicti fidem probavit eventus; nam ea ſtatim curioſè perveſtigatâ, non niſi Cœleſti admonitu dici hæc à Franciſco potuiſſe patuit; prout viſo extinctæ cadavere teſtati in cæteris ſunt Joſeph Græcus Pater, & Joannes Filius.

Nec diſſimilis petulantiæ alia meretricula iiſdem in locis dicentem contemnere adeò viſa eſt, ut obverſo vultu alia omninò ſeſe velle, & cogitare palàm aliis fecerit. Indignum id alteri vel ejuſdem conditionis mulierculæ viſum: quare ut dicenti urbanitatis ſaltem gratiâ attentam ſe præbeat hortata, id ſibi ab iratâ reponi audit: *Næ tu verò, æquè ac Franciſcus, caput obtunditis. Quid mihi cum Corvo apud nos aſſiduè crocitante? Certè caput obtundit.* Profectò clarioribus verbis calamitatem ſuam examuſſim vaticinari ea minimè potuit: in calamitatis authore prænuntiando tantùm erravit. Neque enim à Franciſco, ſed ab ipſo amaſio obtuſum reapſe ei caput fuit. Poſtero quippe die levibus de cauſis cum ipſo rixata audacter adeò jurgari inſtitit, ut

verſo

Digitized by Google

verso hîc in iram amore, miseræ caput ter malleo violenter obtriverit, vitæque omninò expertem reliquerit.

Longè horribilius id, quod perditissimis moribus fœminæ, cui Catharinæ nomen, obtigit exitium. Hæc animo ad flagitiaiore ad impudentiam diù obfirmato, nihili se fore reputabat, n aliis plurimis vivendi licentiâ ita præcederet, ut eas eâdem secum tandem involveret ruinâ. Cumque tantæ improbitati adversaturum semper omnium maximè Franciscum intelligeret hoc ad ejus concionum vim ludificandam commenta est artificium: ut quoties è procul audito piorum Sodalium cantu instare ejus adventum agnosceret, toties crotalo, nabliis, aliisqu id genus instrumentis ingentem ederet strepitum; quo facetiarum, & cachinnorum adesse jam tempus toti viciniæ significaret. Præterea si quando inter dicendum, ut audientibus terrorem incuteret, vehementiùs Franciscum invehi animadverteret; tùm verò ipsa incondito cantu, & clamore contraniti, ne scilicèt à suarum aliquâ exauditus eam ad saniora consilia traduceret. Impudenter secum ita per *ludibrium* agi diù dissimulavit Franciscus, singulisque vicibus dicere perindè perrexit, ac si pacatum, atque attentum omninò nactus auditorium foret. At verò non diutiùs fœminæ & suis, & alienis criminibus sponte oneratæ differendum supplicium decrevit Deus: feruntque eam, ut sibi caveret, benevolè à Francisco prænonitam: adduntque ad ejus fores pulsandas ipsum etiam accessisse: verùm & ab his inurbanè excluſum minaci voce prænunciasse, *Pessulo obditas eas fores ob repentinum ejus interitum violenter intrà hebdomadæ spatium reclusum iri*. Certè lapso eo tempore ad lupanar redit, illudque nullis jam strepere clamoribus miratus, *Ecquid Catharinæ factum sit?* interrogat; auditque Apoplexiâ correptam subitò eam vivere desiisse. Tum verò rem oculis exploraturus ad infelix cadaver inspiciendum plurium comitatu stipatus domum introgreditur. Utque ejus calamitate alios ad sibi metuendum erudiat; *Dic sodes*, bis percontatur, *dic sodes, ubinam gentium degis, Catharina?* Qua nihil contrà reponente, altum loquacissimæ paulò ante fœminæ silentium in aliorum profectum detorquens, bis itidem non sine adstantium pavore, *Ebeu*, exclamat, *Ebeu non audit Catharina*! Tandem resumpto veluti spiritu ab eâdem tertiò, *Ubinam degeret?* scitatur. Cum motis paulatim circà pectus fibris, rauco, atque horrendo vocis sonitu repone-

re

se infelix cadaver auditum est: *In igne æterno sum*. Quæ sanè verba jam satis eo spectaculo territam multitudinem penè metu exanimarunt. Inter confusas verò populi voces, varioſque animorum affectus clàm discessit Franciscus, satis efficaciter se eo die peroraſſe ratus: neque enim clariori exemplo edoceri homines poterant, Deum, ejuſque voces ab improbis non impunè irrideri.

Recenſendæ nunc eorum calamitates ſunt, qui nullam quidem Franciſco publicam irrogarunt injuriam; eum tamen vel privatim contemnere, vel ejus conſilia nihili facere non ſunt veriti. Inter hos duo potiſſimùm ſunt adminiſtratæ à Franciſco Sodalitatis primùm aſſeclæ, mox deſertores. Ac primus, ubi ex eo, quod exercuerat, artificio majus ſibi ſuâ opinione, ac ſpe lucrum obveniſſe credidit; ſuam primò conditionem, mox etiam pietatem pertæſus, ad mollem otio, ac libidine corruptorum adoleſcentium vitam deflexit. Creſcente verò paulatim inſaniâ, lautiori nobilium cultu, ac veſtibus affectatis, accenſeri ſe Artificibus ægrè ferens cum Franciſci Sodalibus per Urbem feriatis diebus incedere, paulòque poſt Sodalitio ipſi adeſſe deſtitit. Privatim eum, nec ſemel, molliſſimè admonuit; cumque his nihil jam profici aſpiceret, mutatos ejus in deterius mores aſpeciùs paulò publicè etiam redarguit Franciſcus. Tandem operam ſe omnem ludere jam ratus, apertè eidem denuntiat, ni citò è vitiorum veterno emergere ſatageret, nil jam ſuperesſe, niſi ut ejus nomine è Sodalium albo deleto, è pio illo cœtu perpetuò ejiciatur. Verùm, ut frugi citiùs, quàm corrigi, quæ in pravum induruerunt ingenia conſueverunt, hunc hiſce minis haud quicquam commotum, imò deſertæ Sodalitatis pietatem, ac ritus ſuperbè deridentem, his verbis interpellat Franciſcus: *Deiparæ Virgini fidem te frangere nonne ſentis? At, me vide, ſenties hoc tandem miſer, cum virium, fortunarum, atque amicorum inops, vix lectulum tibi ægro ad decubitum ſuppetere, ad ſic citas redactus nequicquam ingemiſces.* Ita adoleſcentis faſtu, ut res ferebat, repreſſo, paucis poſt diebus Divinâ re coram Sodalibus peractâ, nec ſacris veſtibus depoſitis, refractarii Juvenis pervicaciam multis deplorat. Mox è transfixæ Virginis poſito ibi ſimulacro, è ſeptem gladiis unum arripit, ac, *Virgo*, inquit, *Deipara, pugionis inſtar tuum pectus confodientis ſtultus, atque ineptus jamdiù eſt hic tuus Sodalis. Toleraſti eum jam ſatis: è*

tuis

Digitized by Google

tuis ipsum præcordiis eu hodie evello. Quibus dictis, abraso è tabella ejus nomine, expulsum è Sodalitate eum esse denuntiat. Hæc verò omnia non ex vano dixisse, aut egisse Franciscum non multò post patuit. Ære quippè alieno paulatim contracto nebulo ille gravatus, eo ut se exolveret, supellectilem omnem, præter stratum, distrahere necesse habuit. Ab amicis etiam despectus unum nactus est Franciscum, qui tolerandæ vitæ necessarium aliquod subsidium identidem suppeditaret, piisque præterea consiliis præstò esset, quò ad mentis sanitatem tot ærumnis pressum adigeret. Cæterùm cum nec eâ pietate satis eum cortigi cerneret, in Sodalitatem regressum permittendum ei esse minimè duxit. Ad ejus certè miserias maxima hæc calamitas accessit, quod nullis Mysteriis expiatus decessit; Ecclesiastici proinde sepulcri honore carere etiam debuit.

Alter innocentiæ, ac pietatis exemplum diù fuit, atque ob hæc Francisco præ cæteris charus. Ingenio præterea erga Divinas res ita proclivi, ut institutum de iis sermonem vix unquam audiret, quin cœlesti quadam se voluptate perfundi profusis lacrimis significaret. Pessimi tamen amici fraude vix lubricum perditorum Adolescentium ingressus est iter; cum semel prolapsus ita se flagitiis immersit, ut, omni pietatis, ac religionis sensu abjecto, ex eo cœno emergendi nulla ejus animum subierit cogitatio. Nihil non egit, ut abalienatum à Deo adolescentulum ad pia Sodalitatis officia retraheret Franciscus. Molliter eum primò monere, ac veterem amicitiam contemptam queri: mox asperiùs paulò increpare; minas etiam addere, nisi perditorum hominum consuetudini nunciium remittat. Verùm ubi surdo fabulam, ut ajunt, ab se cani intellexit, ritibus iisdem, ac cœremoniis è Sodalium numero ejus nomen invitus quidem, sed tamen delet. Post quæ ludo, libidini, atque impietati deditus miserrimus adolescens publicæ Triremis scalmo Judicum sententiâ affixus, desertæ pietatis, ac neglectarum Francisci admonitionum pœnas dedit.

Præter hos transfugas, in alios subinde, atque alios ob neglectas Francisci voces, non sine plurium terrore, acerrimè est animadversum. In eo, quod propè Nundinarium Forum est dicatum Sancto Eligio Gynecæum, frequentissimas, quæ inibi vivunt, tùm devotas Deo Virgines, tùm educatas ad pietatem puellas spiritualibus Sancti Ignatii Exercitiis imbuebat Franciscus.

ſcus. Cum dicendarum rerum ordine quodam die repentè interrupto, obverſoque in eam partem obtutu, unde cum pluribus aliis eum quædam audiebat, Antonia nomine, quæ Gynecæi ſeceſſum exoſa in Nuptias, ac liberioris vitæ conſilia animum intenderat, inſolito vocis tenore in hæc verba erumpere auditus eſt: *Tu verò nec tandem deſinis? Nec Sancti hujus Gynecæi relinquendi, quod jamdiù foves, conſilium abjicis? At cave ſis, ne tam immanis ſtultitiæ ſera te ſubeat pœnitentia. Cave, ne & tu, ut illa* (quamdam aliam nominavit) *gladio intereas; ne vicino in hoc Foro, non ſecus ac illa alia, ex infelici trabe pendere olim debeas.* Se hiſce dictis peti impotens animi puella animadvertere minimè voluit: ac Gynecæo relicto, congenerem menti hominem nacta, ei nupſit, totoque decennio hilaris, atque incolumis cum eo vitam traduxit. Quo tempore circumacto, alterius cujuſdam illecebris illecta, ut novo amori domum vacuam faceret, quam commolita cum amaſio Viri necem fuerat, ipſius, alteriuſque domeſtici famuli operâ executa eſt. Atque ut patratum ſcelus atrociori ſcelere obtegeret, crudeliter diſſectum in partes viri cadaver eò projecit, unde ſubodorari nefas nemo jam poſſet. Inultum tamen relinqui immane adeò facinus haud paſſus eſt Deus; eoque, ut fit, crebris primò vulgi rumoribus, mox apertis indiciis patefacto, adulter quidem ſupplicio ſe fugâ ſubtraxit: fœmina verò, flagitiique particeps famulus in arctam cuſtodiam à Judicibus detruſi. Enimverò in tenebricoſi ejus carceris anguſtiis neglecta olim in Gynecæo Franciſci dicta, ac terror irati Dei fruſtrà jam dolentis animum ſubiere. Quare capitalis ſupplicii effugiendi ſpem ab aliquo ſibi ſubinde fieri quanquam audiret; veterum tamen Franciſci dictorum memor: *Haud quaquam ità erit*, illicò reponebat, *infame ſiquidem Nundinarii Fori patibulum me jamdiù manet.* Nec memoratum ab ea vaticinium fefellit eventus. Quamvis enim ejus vicem miſerati, excuſationem admiſſi ab ea flagitii ſuſciperent plurimi; Judicumque ſeveritate poſthabitâ clementiùs cum eâ acturum Proregem, ipſo ſupplicii die per Urbis vias paſſim jactarent; tanti tamen eorum authoritas non fuit, ut peſſimi exempli facinus aggreſſæ ullatenùs parcendum Judices exiſtimarent. Quale igitur Franciſcus expreſſerat mortis genus, hoc ſubire infelix fœmina debuit. Ex infelici quippè trabe in Foro Nundinario pendens, Sancti Eligii Gynecæo, quod è regione eſt, prout diſertis verbis præmoni-

ta

Digitized by Google

ta à Franciſco fuerat, exertam linguam moriens oſtendit.

Salubris fortaſſe hujus animo inflicta accidit pœna: tribus verò aliis jam memorandis infauſta omninò, atque exitialis. In extremum vitæ diſcrimen adducta jam erat, annis non minùs, quàm contractis longo vitæ ſpatio criminibus gravis Gallici Fori incola mulier. Ad opem ei difficillimo eo tempore ferendam accerſitis undique prudentiſſimis Homologetis haud quicquam profectum: mente enim, ac ſenſibus quanquam valeret; ſui tamen immemor monentium ſtudia, ac labores omnes eluſit. Nec poſtremus omnium accitus in ejus animo expugnando felicior cæteris Franciſcus fuit. Æquis tamen rerum æſtimatoribus viſum eſt, extremum vocantis Dei Caduceatorem apud eam peculiariter ipſum egiſſe: oblatæ ſiquidem pacis conditionibus ab ea recuſatis, vix ipſe diſceſſit, cum ægra anus obſtinatam in ſcelere infelicem animam paulò poſt exhalavit. Ejuſdem Franciſci voces è domus ſuæ regione concionem habentis pellex alia ſæpenumerò audierat: profuſiſque lacrimis animi dolorem teſtata, in ſuæ correctionis ſpem plurium mentes facilè erexerat. Verùm, areſcente, ut fit, citò fletu, ad ingenium, turpeſque mores redibat. Hanc porrò viribus, atque adoleſcentiâ nequicquam fretam lethalis morbus oppreſſit, quin à domeſticorum ullo, ut æternæ ſaluti conſuleret, admonita unquam fuerit. Monuit eam tamen ingraveſcens morbus, ſupremamque horam inſtare, ſibi infelix ſenſit. At, proh Chriſtiani nominis probrum! de Sacerdote, qui criminum confeſſionem exciperet, advocando ne cogitavit quidem. Matri, ac Sorori amaſium duntaxat commendatum voluit; deque eo domi vel ſe mortuâ retinendo fœdè locuta, non ità diù poſt, non ſine bonorum omnium horrore, ac gemitu, deplorandam mortem oppetiit. Contrà melioribus imbuta conſiliis viſa alia eſt turpibus amoribus diù irretita. Ubi enim morbi vi ſe ad interitum vergere intellexit; animum ad ſupremas curas adjiciens, vocari Franciſcum juſſit. At, non niſi amaſio ex iiſdem tectis priùs exturbato, ullis Myſteriis expiari ſe poſſe, ſimul ab ipſo audiit; tùm verò in hominem ſibi nuptias olim pollicitum audere ſe id minimè poſſe cauſatur, aliaque id genus obtrudit multa, quibus difficillimam à ſe rem poſtulari minimè debere ſuadeat. Demum ubi in ſententia perſtare nihilominùs Franciſcum videt, *Equidem*, inquit, *ut hæc adoleſcenti rem minùs gratam exequar, adduci minimè poſ-*

Digitized by Google

ſum. Quibus auditis, eâdem re nolenti inculcandâ tempus teri jam cernens, antequam obſtinatæ mulieris domum deſereret, eandem de re ſeriò cogitanda graviſſimis admonuit verbis: ac, ſi dimittendi amaſii conſilium, prout opus erat, arriperet, nullâ interjectâ morâ quantocyùs ſe rediturum adjecit. Hìc etiam juſta, ac ſevera Dei Conſilia mirari licet. Domo paucis vix paſſibus aberat Franciſcus; cum criminum ſarcinâ minimè depoſitâ miſerabile ſcortum repentè, eoque infeliciùs extinguitur, quò in conſpectu vocati, nec auditi Homologetæ ità eam occumbere juſtius fuit.

Qui fœminis malè, haud viris meliùs ceſſit ſalubrium Franciſci admonitionum contemptus. Fœminam matrimonii ſpe ad pellicatum illectam diù domi habuerat Regii quidam Prætorii apparitor, capitalium quæſtionum Scriba; nec tamen ad contrahendas, quas pollicitus nec ſemel fuerat, legitimas nuptias duci ſe unquam ſiverat. Ad hujus ſocordiam concione excitandam bis acceſſit Franciſcus: alterâque vice è conſpectu ejus domus de æternis damnatorum pœnis vividè adeò diſſeruit, ut earum metu exterrita concubina pro implenda promiſſi fide, ſi ſe ſalvam vellet, precibus, ac lacrimis apud criminis ſocium inſtiterit. Cui ille: *Factum*, inquit, *puta: neque enim imminentis veri Jejunii labentur dies, quin è pellice mea tu Uxor audias, ac ſies*. Quæ quidem ad ſedandas fœminæ lacrimas ſatis pulcrè: ad propriæ ſalutis periculum avertendum, perquàm incommodè ab eo dicta. Eodem quippè die, linquente repentè animo, ſenſus omnis ità expers evaſit, ut pro depoſito jam haberetur. Aliquantiſper ſanè præſentiſſimis fomentis recreatus periculum ſe jam omne evaſiſſe credidit. Nil ſibi propterea deterius metuens, domeſticos affatus, ut quoniam integrè ſe convaluiſſe jam cernerent, quieti per otium indulgere permitterent. Connivere miſer, ut petierat, cœpit; at recrudeſcente violentiùs morbi vi, in eam, quam ne in ſummo quidem diſcrimine cogitare paulò ante voluit, mortem, nullâ criminum pœnitentiæ ſignificatione præmiſſâ, infeliciſſimè prolapſus eſt.

Miſerabilius ſpectaculum Neapolitanæ Urbi ſupremis vitæ horis exhibuit Nolanus adoleſcens, piſtoris cujuſdam famulitio addictus, Antonius Carpenterius nomine. Hic quartum ſuprà vigeſimum vix licet annum expleſſet; octennium tamen impudicè cum amica verſatus, Franciſci concionibus in ſua ſæpè vicinia

Digitized by Google

cinia habitis proficere haud unquam voluerat. Cùm noctu Colico, Cardiacoque ità repentè tentatus morbo est, ut actum de ejus vita ominarentur omnes. Nec fruſtrà: ſub lucem enim ex animi deliquio ad priores morbos Apoplexiam acceſſiſſe conjectum eſt. Quanquàm verò Alexipharmacis reſtitutus ſui compos jam eſſet, æternæ tamen felicitatis jacturam ut effugeret, adduci minimè potuit. Ad expugnandam quidem ejus animi duritiem ſeſe contulit Curio, ſimulque plurimi lucrandorum Deo animorum peritiſſimi Sacerdotes. Quid verò? ne verbum quidem ab improbo adoleſcente extortum, quo vetera ſe deteſtari flagitia palàm faceret. Piorum potiùs hominum odio incenſus, eos ne audiret, latus hùc illùc obvertere: eò etiam audaciæ procedere, ut pia conſilia ſuggerenti cuidam alapâ percutiendo impiam manum aptarit. Cum verò neq; blandis, nec aſperis quicquam verbis profici exploratum jam eſſet, illud tentatum, ut affuſus adoleſcentis ori, ac pedibus vini ſpiritus lumine admoto flammam conciperet; quò debilis ille ex igne dolor atrocioris æterni ignis ſpeciem animo ingereret, eumque ad maturè ſibi conſulendum adigeret. Nec tamen hac re quicquam melius factum: è ſtrato ſiquidem audacter proſiliens æger applicitum ignem manibus reſtinguere ſatagit, dum impiis interim in Deum, ac Superos verbis fœdiſſimas buccas haudquaquam abſtinet. Perditiſſimo huic capiti vocatus ſub veſperum adeſt etiam Franciſcus: ſed operam ſe ludere agnovit ſtatim. A vaferrimo ſiquidem adoleſcente mentis ſtuporem de induſtria ſimulari, ac ne oblatum pendentis è Cruce Chriſti Servatoris ſimulacrum exoſcularetur, aliò vultum nequiter averti perſpexit. Eo proinde relicto, ad eos, qui aderant, horrendo illo peſſimi interitus exemplo à criminibus abſterrendos curam omnem utiliùs traduxit. Ità vocanti Deo ne extremis quidem vitæ horis auſcultans pertinax adoleſcens ſub poſteræ lucis initium ſceleribus oneratam efflavit animam; ejuſque cadaver piceas inter tædas trans Divæ Magdalenæ Pontem delatum, canibus, avibuſque diſcerpendum ignominiæ causâ in arenam projectum eſt.

Digitized by Google

CAPUT XII.

Diſſenſionibus, ac rixis Neapoli ſedandis animum intendit Franciſcus.

PErſpecta jam omnibus Franciſci vitæ ſanctitas, in animorum utilitatem intentus perpetuò animus, nullis unquam victa difficultatibus laborum patientia quantum ei apud Cœleſte Numen gratiæ, ſummæ apud homines authoritatis tantundem conciliaverant. Hinc nihil ipſe moliri, nihil aggredi unquam viſus, quin, partim ei obſequendi cupiditate, partim Dei refractarios ulciſcentis metu, ejus nutui, & conſiliis aures, atque animos plerique omnes accommodarent. Hanc ille authoritatem inditæ magnanimitati, miræque in rebus agendis dexteritati adjunctam, tùm ad alias res plurimas, ut hactenus patuit, tùm etiam ad diſſidentium concilianda ſtudia, liteſque, ac rixas dirimendas ſubinde adhibere æquum duxit. Ac feliciter adeò res illi ſucceſſit, ut veteribus, atque inteſtinis odiis, quæ Neapoli exardeſcere plurima ſolent, opportunè ab eo verborum vi, atque efficacitate reſtinctis, ei in publicæ, privatæque pacis conſilia animum intendenti, peculiari, ac præſentiſſimâ ope Deum præſtò eſſe prudentiſſimi quique cenſuerint. Quare ſicubi in Urbe grave aliquod ſuboriri diſſidium iſti intelligerent, aut inter familias litem in apertas inimicitias, ni citò præcideretur, erupturam; Franciſci operam omnes turmatim poſcere, quo ſequeſtre accenſa inter partes odia facilè conſopirentur.

Nec aliter ſupremi ipſi Antiſtites præcipuè in ſubjectis ſuæ ditioni Aſceteriis faciendum curarunt. Eo enim ad acerrimè inter ſe, ſeù de limitibus, ſeù de ædificiorum ſubſtructione diſceptantia Virginum Cœnobia vix miſſo, complanata ſtatim omnia, ac temperata: atque ex æquo, & bono quod videretur ſtatuere integrum, ut optaverant, ipſis fuit. Altercantes etiam inter ſeſe, atque in partes diſtractas ſuper novæ Antiſtitæ creatione in Divæ Magdalenæ Collegio, Neapoli pro Hiſpanis fœminis erecto, Sacras Virgines, cum nec Romanis Purpurati Senatus Decretis parere, nec ullius conſilio regi ſe velle jactarent, ur-

Digitized by Google

urgente Romani Hierarchæ ad Regnum Neapolitanum Legato, adiit Franciſcus: brevique, ac blando alloquio muliebrem illam ferociam ita compeſcuit, ut in unius creatione concordibus ſuffragiis tàm citò eas conſentire potuiſſe, earum pertinaciæ conſciis omnibus admirationi maximè fuerit. Simili etiam eventu inter duas nobiles Virgines in præclariſſimo Aſceterio agitari cœptam litem diremit. Cum enim de aliquantò ampliori cella, cœco potiùs impetu, quàm rationum momentis inter ſe ambæ contenderent; ne levi adeò de cauſa diſſidium naſceretur non leve, ad rem componendam accedere jubetur Franciſcus. Qui iis ſeorſim conventis, ubi quid pro ſe quæque afferret ſatis percepit, coram utrâque ità exclamare auditus: *Prob. Deus Immortalis! Terræ-ne palmo totum, quam latè patet, venale Cælum erit?* Quæ verba in earum alterius animum ità penetrarunt, ut ad laxioris cubiculi cupiditatem omnem deponendam pluribus ei opus haud fuerit: omni proinde tuendi ſui iuris curâ poſthabitâ, vitæ commoditatibus, ac dignitati ſuam, atque Aſceterii pacem præoptavit.

Si cui verò à ſacris Virginibus, utpotè ab ipſis penè incunabulis ad pietatem, ac religionem inſtitutis extorqueri hæc potuiſſe facillimi negotii opus fortè videatur; ne in præjudicata hujus opinione refellenda aliorum otio abutar, ex hac omnium opinione difficillima, quam à contumaci, ac refractario homine obtinuit offenſæ veniam, cœlitùs inditam Franciſci verbis efficacitatem luce clariùs colligi cenſeo. Unicum filium, quem Sacerdotio *initiatum* jam viderat, ſacrilego auſu interfectum à quibuſdam fuiſſe ægrè adeò tulerat Pater, infimæ cæteroquin ſortis homo, ut nonniſi crudelis ejus necis authoribus crudeliùs interemptis mœrorem ſuum levari poſſe ingemiſceret. Ereptum ſibi unicum vitæ, mortiſque ſolatium: quid ſibi eâ orbitate ſubruto, atque everſo jam ſupereſſe, niſi ut vel ſuo, vel *inimi*corum ſanguine extincti filii innocentiæ veluti litaret? *Exul*ceratum hujus animum lenire quiſquis ſatageret, acriùs irritabat: recrudeſcens quippè tractatione vulnus mederi piè volentium manus pertinaciter reſpuebat. Ità porrò animatum hominem nec amicorum precibus, ſacrorumve hominum conſiliis ad pacem petentibus concedendam adductum, imò in criminoſæ obſtinationis pœnam è Sodalium Roſarii albo jampridem expunctum, convenit tandem Franciſcus. Nec multò poſt, quà

blan-

Digitized by Google

blandis precibus, quà piis adhortationibus, quà congeſtis argumentis animi priùs duritiem infregit: mox etiam ab iracundia atque odio ità abduxit, ut victus tandem manus dederit; ac veteris injuriæ memoriam ſe ex animo delere, cumque filii interfectoribus in gratiam redire ſe velle publicis demum tabulis teſtatus fuerit.

Quanquàm verò præter hunc alii fuerint, atque alii ob acceptas injurias æquè efferati, quibus conciliandæ pacis, gratiæque inſtaurandæ ipſe author extitit; in nonnullos tamen incidit aliquandò indociles adeò, atque inurbanos, ut quicquid de condonandis ultrò offenſis audirent, novæ veluti offenſæ loco acciperent, atque ob eam rem Franciſco apud ipſos pacificatorem agenti oculis, vultu, verbis penè bellum intenderent. Hujuſmodi ſanè hominem nactus ipſe eſt non infimo loco natum; ad quem domi conventum aditus primò interclusus; mox etiam alloquio apertè per contumeliam negato, audire ab ejus aulico debuit, æquiùs fore ſi importunis iſtiuſmodi officiis ſeſe abſtineret: neque enim ſine admiratione aſpici Regularem hominem pietatis obtentu nobilium domos circumcurſantem. Quibus verbis pacatè, modeſtèque acceptis illud unum, antequàm abiret, reponendum cenſuit: *Accedendi illàc non aliam ſibi cauſam fuiſſe, niſi ut omnium Servatoris Jeſu cauſam pro viribus ageret*. Parem in plebejæ fœminæ dolore mitigando duritiam nactus, à privato ejus alloquio ad publicam in ea vicinia concionem habendam digreſſus jam fuerat; cum brevi temporis ſpatio vix interlapſo adeſſe viſus eſt minaci vultu nautam habitu præferens quidam: qui ubi Concionatoris ſtatim alloquendi fieri ſibi copiam poſſe deſperavit, ad adjutorem ſocium minaciter obversus renunciatum ſe Franciſco velle ſignificavit; Nil eſſe, cur ad eam fœminam, quæ occiſi filii mœrore contabeſceret, ſequeſter pacis rediret.

At verò minacibus hiſce dictis terreri eum minimè poſſe perſpectum jam iis erat, qui ad ſedandas Civium diſſenſiones, ac rixas, nullis eum periculis caput ſubtrahere jam noſſent. Certè non ità intrepidus cum armato hoſte veteranus miles pugnam aggreditur; ut ad dirimendas procurrentium ad arma hominum turbas ſtrenuo ſemper animo accurrit Franciſcus. Atque ità commiſſos inter ſe, iràque adhuc calentes, tùm plenâ imperii voce, tùm Crucis, quam præferebat, ſigno exhibito, in ipſo

ſæpè

sæpè contentionis ardore, si minùs composuit, certè distraxit. Quod quidem prosperè ei licèt in dies succederet; arduum tamen, plenumque periculi opus esse inficiari poterat nemo. Hinc ei benevolè à nonnullis insinuatum; caveret sibi, nec in amentium furore hominum globos sese adeò de facili immitteret. Quibus ille, pro ea, quâ se prosequerentur, benevolentiâ gratias ex animo agere, respondebat. Cæterùm nihil ei optatiùs in vita accidere unquàm posse, quàm si tot congestis in se à Deo beneficiis maximum ac singulare illud accederet, ut nimirùm pro hominum sceleribus amoliendis improbi alicujus manu vitam profunderet. A quibus sanè verbis ne latum quidem unguem facto eum discessisse non unus comprobavit eventus. Ac plurimis aliis, ne infinitus in re simili sim, de industria omissis; memorabile illud est, quod ipsi ex Olympicæ plagæ Suburbio revertenti in ea, quæ ad Regium Palatium ducit, viâ accidit. Recenti ibi injuriâ stimulatus quidam fugienti ab se adversario ita districto imminebat gladio, ut confossurus eum esse jam jam videretur. Quod malum sui duntaxat capitis periculo averti posse conspicatus Franciscus, insequentis aggressoris lateri se statim adjungit, ejusque gladii capulo arrepto, festinantis in cædem, quibus potest viribus, cursum retardat. Dum verò inter ipsum iræ obsistentem, atque excutere se ab eo conantem alterum magno utrinque visu contentio protrahitur; illud effectum est, ut maturè fugâ sibi consulere, atque in tutum elabi ille potuerit, cujus cæco adeò furoris impetu vita petebatur. *Saucios quidem digitos è pio hoc certamine retulit Franciscus:* at ipse tanti, imò pluris esse servati hominis vitam ducens, ut aggressori mox ipsi aliquâ ex parte prospiceret, tàm blandâ oratione revocare ab ira eum valuit, ut se non minùs homicidii crimine liberatum sui jam compos gratulatus is fuerit, quàm tanti Viri authoritati palàm omnibus audacter obstitisse, eidemque vulneris præterea causam fuisse doluerit.

Minori periculo, majori tamen translatæ in se injuriæ patientiâ, transigere hoc aliud debuit. In Foro, quod à veteri Ligurum hospitio barbarum *Loggiæ* Neapoli nomen accepit, coorto inter duos piscatores, seù nautas à verbis jurgio, eò jam rixa processerat, ut audacior, atque efferatior eorum alter jam alterum opprimeret. Fortè illàc gradiens extemplò accurrit Franciscus: utque aggressoris furorem compesceret, protecto alte-

Digitized by Google

rius corpore, *Parce*, inquit, *miſero*; *aut ſi aliter nequis, iram in meum potiùs caput convertito*. Excandeſcere ad hæc acriùs ultione prohibitus nauta; quamque in ſui æqualem haud poterat, in Franciſcum ipſum, impactâ in faciem alapâ, animi acerbitatem exonerat. Horrendum hominis flagitium fremitu, atque execratione circumfuſa multitudo, gratiarum actione, vultuque ad repercutiendum oblato, excepit Franciſcus. Ac ſivè hujus lenitate, ſivè objurgantium convicio patrati abs ſe ſceleris immanitatem agnoverit; è cœco illo impetu mox ad ſe rediens nauta, errati vix veniam à Franciſco petiit, cum certare iterùm Chriſtianæ pietatis officiis cum ipſo debuit, quem longè procliviorem ad dandam, quàm ſe ad poſcendam atrociſſimi criminis veniam expertus eſt. Ignotum id Noſtris uſque ad annum hujus ſeculi XXIX. penitùs fuerat; donec publici Tabellionis Gregorii Servilii authenticis literis oculatus teſtis Thomas Stella Stabienſis VII. Idus Octobris ejuſdem anni teſtatus publicè eſt.

At verò non cum uno, ſed cum duodecim, iiſque armatis militibus longè periculoſiùs alio die res illi fuit. Etenim dum de Divinis rebus ad populum in Foro dicere exorſus jam eſſet, rixari eos inter ſe nunciatum vix eſt; cum multitudinis clamor, exaudituſque haud procul armorum fremitus indubiam rei fidem fecere. Concione proindè intermiſsâ ad irarum, ac certaminis locum è veſtigio ſe transfert Franciſcus: ac militiæ ſuæ mucrone arrepto, Divini nempè Servatoris Cruce, medium ſe digladiantibus intrepidè infert; humanoque veluti major faſtigio, jam hos, jam illos increpitans, à pugna omnes in Crucis obſequium actutùm abſiſtere, pedemque aliò retrahere jubet. Audax multis primò id facinus viſum: facilè enim quæ in mutuam ardere cœperant perniciem, in importuni pacificatoris caput conflagrare militum odia poſſe cenſebant. Addebant alii, eum milites à mutua internecione aliàs in Lupanaribus abſtinere conatum, ſclopi tergo ab eorum aliquo dirè in caput impacto, ſaucium rediiſſe. Verùm ubi eos ne hiſcere quidem auſos ab armis receſſiſſe, perindèque ejus imperium fuiſſe reveritos, ac ſi ſupremi Ducis ad milites mandata detuliſſet; ipſumque periculi omnis immunem media inter arma verſatum fuiſſe obſervatum eſt; tùm verò nec cœco impetu, nec humano conſilio, ſed injectâ cœlitùs mente ardua hæc, ac difficilia eum aggredi in confeſso fuit.

Præ-

Digitized by Google

Prætereundum hìc silentio non est id, quod alicui Neapolitanarum rerum non satis gnaro, risu potiùs, ac joco, quàm admiratione dignum videri fortassè possit: reapsè verò nihilò minoris negotii, nec anceps minùs Francisco fuit. In eo maritimi litoris tractu, qui ab inædificato inibi Templo Sanctæ Luciæ nomen accepit, à jurgiis, jactisque inter se petulanter ultrò, citròque conviciis, eò irarum processerant fœminæ loci incolæ, ut aucto paulatim numero, atque in partes distracto, duplicis hinc, indè fœminei exercitus de summa rerum prælio decreturi speciem exhibere viderentur. Jam remorum fragminibus, perticis, fudibus, ollis, lancibus, ac lapidibus agitari res cœperat: nec fremitus deerat talis, tantusque, ut quid singulæ à singulis vellent nec cominùs exaudiretur. Per contemptum, ac risum à nonnullis fœmineum hoc, ut vocabant, bellum, excipiebatur. Addebantque festivè, Thermodontis ripis Neapolitani Crateris litus jam minimè invidere, quippè quod & suas ostentare jam posset Amazones. Severiùs, ac prudentiùs alii contrà, comprimendam citò, ne majorem in perniciem gliscenet, eam audaciam reputabant, quæ à muliebri rixâ in periculosiorem longè virorum discordiam, contentionemque transire non difficilè posset. Hæc variis inter se sermonibus, ac studiis otiosi dum agitant homines, ad retrahendas à concitatis jam turbis fœminas certior factus advolat Franciscus. Atque has intrà lapidum jactum utrâque ex parte progressas nactus, ab incepto ut absistant, manu significat: neque enim in tàm incondito clamore audiri vox poterat. Mox ad colloquium admissus, furore adeò in transversum actas expertus est; ut vix eo die à tumultu, ac strepitu cessationem ab utraque factione impetrarit: pacem, & concordiam, quò inter sedatiores firmior esset, in alium opportuniùs rejecit diem. Integrâ porrò hebdomadâ ad eam æquis legibus sanciendam laborandum ei quotidiè fuit: donec positis utrinque odiis, ac muliebribus tricis omninò amputatis, Francisci nutu regi se velle, præscriptisque ab ipso conditionibus obnoxias se fore receperunt. Inter has verò conditiones illam, quæ vitandis dissensionibus non levi in posterum adjumento foret, commentus est; ut nimirùm, quod in aliis Urbis regionibus utiliter statuerat, in hac etiam fœminæ aliquot ætatis, vel prudentiæ prærogativâ præstantiores aliis præficerentur. Hæ verò, siquas tuendæ concordiæ offendiculo esse cernerent, ad ip-

Digitized by Google

ſum deferrent: ac prætereà in ſuo quæque angiportu ad ſacram Synaxim, quæ tertiâ ſingulorum menſium Dominicâ noſtro in Templo celebratur, vicinas evocandi in ſe curam ſuſciperent. Ità Franciſci dexteritate, induſtriâ, authoritate & hìc, & alibi ſæpè factum, ut quæ in maximam Civitatis perniciem exarſiſſent diſſidia, penitùs, ac citò de medio ſublata privatæ, publicæque tranquillitati minimè officerent.

CAPUT XIII.

Miſſionis Neapolitanæ relati à Franciſco præclariſſimi fructus.

JAm quanta è ſparſo Chriſtianæ Sapientiæ ſemine in toto, quàm latè patet, Neapolitanæ Urbis campo maximis, perpetuiſque Franciſci laboribus reſponderit ſeges; quot infernis Legionibus erepta in Divinæ Gloriæ Templo opima victor ipſe ſuſpenderit ſpolia; quot denique (ut valdè familiari Franciſco metaphorâ utar) è vaſto Neapolitani tractus mari magnorum piſcium adductis retibus ingentes avexerit prædas; tùm ex hactenùs enarratis rebus, tùm è paucis, quos ſubtexam, memorabiliorum rerum eventis conjicere potiùs, quàm intueri per ſe quiſque facilè poterit. Quanquam enim alto, noſtriſque mentibus impervio Dei conſilio contigerit nec ſemel, ut ad plurimorum infringendam duritiem profectus operam ludere, atque infectâ re domum redire coactus fuerit; tot tamen fuere, eaſque penè quotidianæ, quas Cœleſtis Gratiæ præſidio de vitiorum monſtris retulit palmas, ut eas ipſemet aliquandò percenſens, dùm de maxima Dei erga ſceleſtos Benignitate ſermonem inſtitueret, ſibi uni, dixerit, bimeſtri ſpacio, præter alios minoris notæ, ſeptuaginta, & his ampliùs obtigiſſe magnis, ac diuturnis contaminatos flagitiis, quos Deo ablutis animorum ſordibus reconciliarit. Igitur ne mutatorum in melius mortalium ephemerides potiùs, quàm Franciſci vitam hìc ſcribere alicui videar; nec paucis, nec parvi momenti eventibus deditâ operâ omiſſis, inſigniorum duntaxat aliquot id genus rerum memoriâ, veluti cancellis quibuſdam, hanc, ne plus juſto excurrat, hiſtoriam circumſcribo.

Ac dignus, qui ad frugem bonam Franciſci concione revocaris

Digitized by Google

catis adnumeretur, mihi in primis videtur advena quidam, formæ non minùs, quàm morum elegantiâ præditus Adolescentulus. Hunc Neapoli vix primò visum miserè adeò deperiit quædam aliis locupletior paulò meretricula, ut ad ejus gratiam aucupandam quicquid ex turpi quæstu pecuniæ redigeret, in eo domi alendo, atque in victu, ac vestitu ei lautè suppeditando insumere nil moraretur. Nec eum tot vitæ commodis, atque illecebris delinitum difficilem ad redamandum nacta, ad sanctissimi pudoris, atque honestatis leges excutiendas brevi pertraxit. Jam in sceleribus, vesanâque vivendi licentiâ triennium versatus in concionantem Franciscum hic fortè incidit: pauciſque vix obiter perceptis, adeò ejus verbis percelli sese expertus est, ut de impudicitiæ, quo absorptus diù fuerat, barathro emergendi consilium è vestigio arripuerit. Quare non ità post multò, ipsum, cujus anteà vel conspectum exhorruerat, adit Franciscum: vitæ noxas sponte aperit omnes, nec, quibus implicitus fuerat, laqueos celat: iis ut se expediat, se quicquid è re sit facturum cum lacrimis pollicetur. Ne verò irrita in posterum promissi fides foret, neve ex inolita peccandi consuetudine proclivem jam ad luxuriam animum novo impudicitiæ periculo audacter objiceret, non impiæ domus modò, sed & Urbis ipsius deserendæ author fuit Franciscus. Monentique ille haud segniter auscultans, emolumentis omnibus æternæ saluti, ut par erat, posthabitis, amicâ insalutatâ, in patriam Deo reconciliatus regredi minimè distulit.

Hæc obiter auditus ab uno adolescente Franciscus. Divinæ verò virtutis protendente se latiùs ope, tres simul (quod anno labentis seculi primo factum memorant) eodem die una, eademque ejus concio in diversum mutavit. In his peregrinum adolescentem, Neapolim paucis ante horis appulsum, animi potiùs curiositas, quàm deliberatum consilium ad ea, quæ tanti nominis Vir diceret, audienda feliciter impulit. De æternis siquidem rebus suo more differenti vix aures hic primùm admovit; cum tanto scelerum dolore actus repentè est, ut eorum conscientiâ excussâ ad Franciſci pedes nostrâ in Ædè acciderit: eique ingentes, quibus gravatus erat, noxias aperiens gemebundus identidem dixerit, se hominum, quos terra sustinet, pessimum quidem esse: at unâ ejus concione ad debitas suis tot criminibus pœnas ex animo deprecandas commotum fuisse. Nec

Digitized by Google

minus prosperè in eodem concionis loco quidam subſtitit Tonſor, qui ad honorem ſuum verbo læſum lædentis ſanguine ulciſcendum ſeſe illùc contulerat. Dùm enim cogitatum à ſe homicidium nonniſi ſolutâ concione tutò perpetrari poſſe conſiderat, expectandum pauliſper ratus eſt, donec recedente populi turbâ ſolus ſolum inimicum aggrederetur. Intereà loci aliquot dicentis verba, invitus licèt, audiit. Quæ in ejus animum eâ vi penetrarunt, ut omni necis voluntate depoſitâ ad ferrum Franciſco tradendum procurrens, dixerit; *Hoc ego pugione haud procul hinc poſitum confodere decreveram inimicum: at verò hoc me flagitio tua vel invitis obtruſa auribus abſtinent verba. Te mihi Tutelaris Genii loco hodiè fuiſſe jam video. Meæ proindè famæ detractori quemadmodùm injuriam omnem ex animo condonatam volo, ita meorum ut mihi ſcelerum gratia à Deo fiat, oro, obteſtorque.* Hoc vix dimiſſo, in genua coràm Franciſco ſexagenarius procumbit ſenex, ſcelerum quidem omnium, ac vitiorum colluvione longo annorum ſpatio contaminatus; at gemitu, & lacrimis ità eo die indulgens, ut antequàm benè longam peſſimæ vitæ ſeriem enarraret, animi ſui dolorem nonniſi hiſce exprimeret verbis: *Me miſerum! quæ mihi perdito æternæ ſalutis ſuperſit ſpes? Æterno igni me jure addictum jam video. Tua me hodiè concio ità illuſtravit, ut ſenem me nequiorem inter homines reputem nullum. Adeſſe mihi jam velis, rogo; animum quippè ità comparavi meum, ut in æternos cruciatus detrudi, quàm criminis ullius aſpergi labe deinceps malim.*

Quanquàm non tunc primùm ità proſperè ab eo invitia pugnatum. Parem felicitatem in totidem Dei hoſtibus concione unâ edomandis expertus eſt anno elapſi proximè ſeculi ſeptuageſimo octavo, cum ex occiſæ ab amaſio meretriculæ funeſto exitu locupletiſſimè dicendi argumentum petiit. Ac dum circumfuſam atroci ſpectaculo multitudinem graviſſimis verbis à vitæ improbitate ejus mortis exemplo abſterret, cruenti cadaveris ſpectandi ſtudio eò loci ſe quidam contulit, qui Concionatorum voces, atque Homologetarum conſilia ſuſque, deque habens, effuſas vivendi licentiæ habenas jamdiù laxaverat. Cumque à Franciſci dictis aures, & cogitationem vaferrimè averteret; quin tamen aliquot verborum aculei in animum altè deſcenderent, efficere neutiquam potuit. Hoc verò ſatis, ſuperque ad ejus animum Divini Numinis metu, ac ſcelerum horrore con-

cu-

Digitized by Google

cutiendum fuit. Certè erumpentem in genitus doloris impetum cohibere non ità potuit, quin, *Confessionem, Franciſce, confeſſionem*, palàm omnibus exclamaret. Imò nec publicâ, ut animatus tunc erat, criminum narratione abſtinuiſſet, niſi ad compeſcendum hominis ejulatum accurrens Franciſcus, temperandum tunc verbis admonuiſſet, & Pœnitentiæ Myſterii ritè obeundi tempus eidem, locum, atque ordinem præſcripſiſſet. Dum verò hæc omnia non ſine admiratione in foro peragi è domûs meniano non aliter ſpectat adjuncta non infimæ ſortis amaſio nequiſſima pellex, quàm ſi tragico alicui ſpectaculo intereſſe utrique contigiſſet; nonnulla Franciſci dicta, cœleſtis Gratiæ aurâ ejus vocibus obſecundante, ad recuſantes utriuſque aures perveniunt. Ea verò in amborum animos ità ſe inſinuarunt, ut de abdicando protinùs ſcelere cogitarint. Cumque dilectæ diù pellicis conſuetudine perpetuò carere ſe nentiquam poſſe jam cerneret amaſius; Divinâ amicitiâ generis nobilitati antehabitâ, veteris libidinis laqueos in legitimi matrimonii vinculum commuta'it.

Aliis item tribus, ab uno licèt audita ejus concio, non levi eſſe valui emolumento. Mordacis cujuſdam Leguleji mortem haud ità pridem pecuniâ cum quodam pactus Tonſor quidam, idemque præfracti ingenii ſicarius, turpiſſimæ promiſſionis fidei liberandæ animum adjecerat. Cumque ad incautum, atque inermem tutò opprimendum brevi armatus telo Urbem obambularet; in Foro, quod S. Januarii Portæ adjacet, acriter in vitia declamantem audiit Franciſcum. Subſiſtere pauliſper, & quid omnium ordinum commendatione, ac laudibus celebratus Vir tandem diceret, curioſiùs attendere dum ſtatuit, paucis vix acceptis, meditatæ proditionis conſcientiâ urgeri ſeſe, atque improviſo patrandæ necis horrore perfundi expertus eſt. Igitur primò expalleſcere: cogitatum mox flagitium deteſtari, atque abominari: denique impiam pactionem omninò reſciſſam velle. Nec cunctandum ulteriùs ratus, peractâ concione de totius machinationis ſerie Frauciſcum edocet: ad quam diſſolvendam, ſi quid præterea facto opus ſit, ut ſuâ ipſe operâ, & conſilio præſtò eſſe velit, per Deum, & Superos obſecrat. Humaniter quidem hunc excepit Franciſcus; ejus tamen, quod cogitare, ac moliri auſus fuiſſet, ſceleris atrocitatem edoceri eum voluit, quò cautior in poſterum à nefariis id genus conſiliis animum aver-

Digitized by Google

averteret. Legulejo deindè ut caveret, aptâ verborum dexteritate, ſolum ut verteret, perſuaſit: clementius ſcilicet alibi ſibi Cœlum fore prætenderet, neque enim vitæ ſuæ commodum Neapolitanum jam accidere domicilium. Ad operis coronidem reſtabat placandus is, qui necis mandata Tonſori dederat. Apud hunc verò authoritate, & gratiâ adeò valuit Franciſcus, ut extinguendi odii, ponendæque iracundiæ author ei tandem fuerit.

Non æquè ac priores amplam, adhuc tamen non unam humani generis hoſti alia ejus concio prædam eripuit. Ac prima initium è fœdâ ſe libidinis ſervitute liberandi fecit proſtituti pudoris fœmina. Audito quippè Franciſco Deum Vindicem ſceleſtis obnuntiante, ſuis ſtatim rebus conſultum perpetuò voluit, vitæque commodis omnibus honeſtatem anteferre conſtituit, conſilio non minùs ſibi percommodo, quàm amaſio ſalutari. Dum enim ad eam ſub veſperum rei ignarus hic redit, non modò non redire ad ingenium fœminam, ſed ne verbum quidem extorqueri ab ea poſſe animadvertit, quod ſeveris modeſtiæ legibus non congrueret. Cauſam rimatus, nuperrimâ Franciſci concione ad expiandas anteactæ vitæ ſordes adductam ità eam fuiſſe cognoſcit, ut in ſummâ inopiâ honeſtè, quàm turpi ex lucro lautè vivere deinceps malit. Hanc animi conſtantiam dum tacitus ſecum reputat adoleſcens, atque è Divinæ Legis fonte eam derivari intelligit, Cœleſti perfuſus luce ad ſuos item corrigendos mores ejus exemplo ſe transfert. Honeſtas proindè nuptias conducere ad id ratus, hanc ipſam veterem amiculam in matrimonium præ omnibus aliis petiit; optimè nimirùm ab ea illibatam thori fidem ſervatum iri interpretatus, quæ nullis precibus, nullâ lucri ſpe, ſemel oblatam Deo fidem ut frangeret, adduci potuiſſet. Ita commodas cum Aurifice nuptias infimæ ſortis fœmina conſtantiæ ſuæ veluti præmium retulit.

Eò mirabilius, quò inſperatius in duobus aliis nebulonibus hoc aliud extitit, quos in publicè dicentis Franciſci contumeliam, ac necem paratos, non tàm ipſius concio, quàm improviſus ipſorum oculis adſtantium gemitus ab immanis flagitii cogitatione repentè ad pœnitentiam retulit. Inchoatam contrà mortalium vitia concionem in Foro *Arcis*, ut ajunt, *Novæ* in vehementem ſui ipſius objurgationem quodam die ipſe converterat; circumfuſamque populi multitudinem illud rogabat, ut

ſe,

Digitized by Google

se, tanquam sceleſtiſſimum omnium caput, ultrò arreptis de via ſaxis appeterent. Ad hæc verò dicta perditiſſimos duos ex infima fœce homunculos ità ſe invicem nefariè hortari non puduit: *Quid ſuis hunc ſtultè fraudamus votis? Lapides petit: habeat tandem. Auſcultare ejus dictis ubi hic quis cœperit, imperata ambo exequi nec detrectabimus, quò perpetuâ crocitantis hujuſce Graculi moleſtiâ Urbs liberetur.* Ita de infeſta ſuis oculis luce faciendum cœcutientes cum decreviſſent Noctuæ, nefarii moliminis ſibi ut unus aliquis voce, aut ſigno dux, & concitator foret, impiè non minùs, quàm inconſultè præſtolabantur. Longè tamen alia ibi agitari conſilia, iiſque Franciſci vocibus in ſuorum duntaxat criminum odium acriùs quemque inflammari, ſubmiſſis antè Crucem genibus impetrandæ à Deo veniæ cupidum Auditorium eos omne commonuit. Eorum proindè lacrimis ad ſua damnanda conſilia & ipſi converſi, eò impenſioribus Franciſcum obſequiis proſequi poſtmodùm ſtuduere, quò homini de communi ſalute optimè merito ſceleſtiùs inſultare conſtituerant; præſertim, cùm, agnitâ re, beneficentiorem in ſe eum evaſiſſe, non ſine admiratione, ac lacrimis conſpicerent.

Alium nunc memoro, qui ad auditam Franciſci concionem reſipuit, Adoleſcentem; ſed in concepto propoſito fortiter, ac vehementer urgendo aliis fortaſsè pluribus admirabiliorem. Generis hic claritatem peſſimis diù moribus dehoneſtaverat. Ad eum verò è multiplicis noxæ veterno excutiendum auditæ Franciſci voces adeò valuere, ut repentino veluti doloris æſtu abreptus, per circumfuſam turbam viâ ſibi factâ, ante Chriſti Soteris è Cruce pendentis ſimulacrum provolutum genua convolarit. Ibi nullo loci (Toletana hæc erat via, quarum Neapoli nulla frequentior) nullo multitudinis reſpectu, gladio, pileo, & factitiâ, quam gerebat, comâ in ſolum projectis, craſsâ humeros reſte contundere, ac perditum ſe, duodeviginti quippè jam annos à noxiarum confeſſione alienum publicè exclamare intrepidus occepit. Neque his contentus, ad noſtrum ipſe Templum non ſolùm promiſcuè cum aliis accedere, ſed, quò ſpectantium oculos minùs effugeret, erectam Crucem ſuis ipſe manibus gemebundus, ac ſupplex deferre voluit. Hìc verò lacrimis nullum imponens modum, à Franciſci latere divelli haudquaquam poterat; metuere ſe quippè ajebat, ne vitiorum conſuetudine tandiù debilitatus in idem ſtatim cœnum relaberetur. Verùm meliora ſpe-

ſperare juſſus multâ jam nocte domum hic à Franciſco remiſſus; quò ibi in anteactam vitam ſedulò inquirens, poſtero die paratior ad criminum confeſſionem rediret. Quod ille examuſſim præſtans ità ſe Franciſco inſtituendum permiſit, ut ab ejus nutu ne latum quidem unguem, ut ajunt, diſcedens, non minùs aliis probæ vitæ exemplo profuerit, quàm anteà improbitate nocuerat.

Huic adoleſcentiâ in abjiciendâ nequitiâ non abſimilis profligatæ famæ meretrix fuit: niſi quod huic non concio, ſed aſpera Franciſci objurgatio ſalutem attulit. Eam ipſe cum aliâ ejuſdem farinæ mulierculâ facetiis, jociſque impudenter deditam ex eo, è quo concionabatur, ſuggeſtu procùl aſpexit: obverſoque in ambas obtutu, in hanc, utpotè aliâ longè procaciorem, gravi verborum ſono multa congeſſit, quæ ad caſtigandam ejus proterviam, avaritiam, impietatem mirè facerent. Inſolitâ vitiorum exprobratione obſtupuit principiò fœmina, nec dum, quò Franciſci verba tenderent, ſatis intelligens, ab ejus ore oculos ne minimum quidem dimovit. Contrà verò ne verbum quidem Franciſcus addidit: lento tantùm greſſu, perindè ac alicui ad ſe mox venturo præſtolaretur, inceſſit, tacitis intereà precibus Divinam miſerrimæ fœminæ opem implorans. At verò ſuâ expectatione deceptum ipſum haud fuiſſe ſtatim apparuit. Divinâ enim luce perfusa Mulier ad erectam Crucem protinùs advolat, animique ſui dolorem profuſis ubertim lacrimis teſtata, manus ad Franciſcum tendit, utque à ſuis cervicibus ſceleſtæ ſervitutis jugum dejiciat, impensè obſecrat. Quod ubi liberali plorum adſtantium largitione integrum ſibi eſſe jam videt; tùm verò offenſi à ſe Numinis dolore vehementiùs incenſa, Crucem ſibi publicè geſtare ut liceat, à Franciſco primùm, mox ab alio non longè poſito Concionatore enixè efflagitat. Utrique verò, cum non æqua ab ea peti viſum fuiſſet, ejus petitionis loco tutum honeſtati ejus Aſylum ſatius viſum, ubi perpetuò ea deliteſcens anteactæ vitæ maculas perennibus pro libito lacrimis elueret.

Ad fœminas recuperandas fruſtrà à Franciſco adhibita, Dei tamen conſilio in Adoleſcentuli commodum alia hæc ejus induſtria vertit. Longo, ac periculoſo implicita morbo Neapoli advena decumbebat Mulier, quæ genitam ex ſe puellam proſtituerat, ob veſanam lautioris victus cupiditatem meretricis filiæ lena mater. Utriuſque vicem, ac periculum miſerata nobilis Matrona

Digitized by Google

trona ejus viciniæ accola, ſuppetias utrique ut veniret, Franciſcum rogavit. Nec cunctatus ipſe in longè pejoris morbi diſcrimine earum animos verſari ipſis inſinuat; ejus proindè augendi occaſionem præcidi omninò opus eſſe. Ægræ Matri Inſanabilium Noſocomium patere; Filiæ verò ut Noſocomio adjacens Gynecæum pateat, curaturum ſe recipit. Salvæ igitur ambæ eſſe ſi cupiant, iſtùc utrique quàm celerrimè commigrandum. Verùm cum profligatæ vitæ apprimè tenacibus nil optimis hiſce conſiliis actum. Imò eò impudentiæ proceſſit puella, ut aliud ſe agere ſimulans, fores amaſio apertum iverit, ac, Franciſco domi adhùc agente, in ſecretum cubiculum illum admiſerit. Id enimverò à Socio admonitus ubi agnovit Franciſcus, Matre confeſtim relictâ, Cruceque è pectore extractâ, ad increpandam, comprimendamque intolerandam filiæ audaciam intrepidus ſeſe, ſi unquam aliàs, confert. Mox eâdem animi conſtantiâ ad nuper admiſſum adoleſcentem obverſus; *Ehodum*, inquit, *enſem lateri accommoda: me hodie ſequaris volo*. Mirum certè dictu! Ne hiſcere quidem auſus monenti auſcultat adoleſcens, atque à Franciſco per alias, aliaſque Urbis vias circumduci ſe patitur; juſſuſque tandèm, dum dimittitur, peſſimæ ejus domus limine abſtinere, imperium accipere non detrectat. Quin potiàs, ubi poſtero manè diluxit, ſpontè ad Franciſcum regreſſus Liberatoris eum ſui nomine appellat, manuſque non ſemel exoſculatus, non ſine ingenti lacrimarum vi noxas vitæ omnes apud ipſum in diverſum mutatus deponit. Ità à Franciſco conceptus ex utriuſque fœminæ jacturâ dolor revocati heſternâ operâ ad ſanlora conſilia Adoleſcentis eſt voluptate penſatus.

CAPUT XIV.

A nefariis ſceleribus plures alii admirabiliùs per Franciſcum revocantur.

PErgratos Deo pios Franciſci labores fuiſſe tot Cœleſti ope relatæ ab ipſo victoriæ ſatis produnt; quæ quidem ſtrenuis, ac Regi ſuo fidis Militibus mercedis ampliſſimæ loco

Digitized by Google

ſunt, ob eximiam, quam è Divinæ Gloriæ incrementis percipiunt, voluptatem. Præter hæc verò ejus in debellandis ſceleſtis ſedulitati apertè adeò favere quandoque Summum Numen eſt viſum, ut ejus pugnas aliquot non ſolùm felices, verùm etiam vel prodigiis illuſtres, vel eventu omninò admirabiles eſſe voluerit; quò eâdem operâ & ſua in hominum nonnullos per Franciſcum derivaret beneficia, & homines viciſſim ad ſuſpiciendam in Franciſco eam, quâ apud ſe floreret, gratiam adduceret.

Cujus quidem rei ut, quæ maximè inſignia ſunt, afferam documenta, à Mahometis ſuperſtitione priùs avocatum, mox in eandem relabi conantem primo loco exhibeo Adoleſcentem. Piraticam exercentem hunc Pontificiæ Triremes in ſervitutem abduxerant: nec quicquam eâ captivitate felicius accidere ei unquam potuit: ex ipſa quippè ad veram Chriſtianæ Legis libertatem aditum habuit Romæ ſub Innocentio XII. ſacro Baptiſmatis fonte ablutus. Verùm ſeù ſervitutis odio, ſeù inſito patriæ amore ad integram libertatem hic inhians, quæſitâ bonis artibus pecuniâ tantum valuit, ut eâ ſe oblato pretio redimens, ſui juris, ac mancipii, ut optarat, omninò jam eſſet. Perbellè quidem: niſi eam ob rem vitæ ſubſidiis ſpontè orbatus in ſummam inopiæ calamitatem eo ſe conſilio præcipitaſſet. Hac ergo preſſus, dum perpetuis incommodis obnoxium ſe in Italia fore ſecum reputat; dumque eodem tempore patriæ, ac familiæ commoda animo verſat, furtim à Matre literas accipit, quibus ad paternam domum, atque ad avitas ſuperſtitiones repetendas ſolicitatur. Reſpirare iis lectis ſibi viſus eſt miſer; nec tutiùs ex ærumnis emerſurum ſe cenſuit, quàm ſi Matri auſcultaret. Quare quid conſilii caperet haud quicquam ambigens, Chriſtianam Fidem, ac Legem animo ejurat, capillum Turcico ritu componit, eòque curas traducit omnes, ut Patriam, cupidoſque ſui parentes quantocyùs reviſat. Jamque exequendo itineri intentus ſe Bajas contulerat, ut ex eo portu Liguſticâ Navi ſe mari committeret. Verùm audito hanc Tripolim appulſuram, ſemotæ nimiùm à ſua Patria navigationis tædio abſtinuit. Apuliam exindè ſuo diſceſſui opportuniorem fore in animum induxit: ex iis quippè litoribus (1) Epidaurum ſe facilè trajici, indè-

que

(1) *Ragusa.*

Digitized by Google

que (1) Olcinium ad Genitorem Arcis cujusdam in ea ditione Præfectum proficiscí se non difficilè posse intellexerat. Intereà hæc animo consilia molientem in Francisci concionem incidere non casus, sed singulare Divinæ Providentiæ beneficium tulit. Ad ejus quippè voces Cœlesti intùs agente lumine, mentisque veluti caligine quadam discussâ, perfidiæ eum suæ ità puduit, ut inopiâ, atque egestate contabescere potiùs, quàm semel susceptam Christi Fidem deserere constituerit. Hoc ipsum verò, dum Francisco duce exequi parat, eum vel extrà domum agere, vel non levis momenti negotiis in Templo distineri non semel comperit. Aditum tandem ad ipsum nactus, ter occultâ vi repelli sese, ac solo affligi expertus est; nec nisi ingenti velut objice superato ad ipsius alloquium pergere ad extremum valuit. Transfugam hunc hilarè, atque amanter acceptum Deo, atque Ecclesiæ conciliavit Franciscus; quosque sibi ad Mahometici erroris normam sibi in summo vertice nutrierat capillos, detonsos, prostratæ veluti perfidiæ trophœum, ad S. Francisci Xaverii Aram suspendit. Qua porrò fide, & constantiâ ad Christiana Sacra Francisco hic Authore redierit, conjicere ex eo licuit, quod Patriæ, ac suorum omninò immemor, exiguâ, atque humili, quæ ipsum manebat, sorte contentus assiduè vixerit. Quamvis, ne ob egestatis angustias in pristinam relaberetur infidelitatem, in Urbis Oporotheca quadam mercenarium agere eum jussit Franciscus, ut indè ex ea, quam Pomario cuidam locaret operam, ad vitam honestè, Christianèque transigendam necessaria compararet.

Paulò admirabiliùs illud fuit, quo fœminæ à meretricio avocandæ opportunam Francisco Deus aperuit viam. In eo Foro, quod extrà S. Januarii Portam frequentissimum est, concionem exorsus ipse cum esset; spectandæ potiùs multitudinis, quàm pietatis ullius studio ejus loci incola Meretrix fenestram aperuit, in qua Picam caveâ inclusam ad domesticam voluptatem alebat. Cùm è caveæ clathris se ex inexpectatò expediens volucris, adstantium multitudine, concioniſque strepitu haudquaquam deterrita rectà ad Franciscum evolat; ac modò Christi è Cruce pendentis brachiis, modò Francisci pedibus leni alarum

(1) *Dulcigno.*

rum flexu inſiſtens ad utriuſque conſortium aſpirantis ſpeciem præfert. Attonitos id ſpectaculum Auditores habuit, nec minùs attonitam altricem Picæ mulierem, in cujus animum hæc Franciſci ipſius verbis promota ſenſim irrepere viſa eſt cogitatio: *Quid hoc? A Domino ſuo rationis expers Volucris minimè avellitur, cujus tamen ſuaviſſimum ſinum tot jam annos infelix declino. Quæ è caveæ cancellis evaſit, quòd ad Chriſti Domini pedes agitet, libera ſibi videtur Pica: me verò æterni ignis ergaſtulo certiſſimè detinendam nulla recuperandæ libertatis ſolicitet cura? Eò-ne uſque deſipiam, ut mihi prudentiâ præſtare Volucrem minimè pudeat?* Hæc eo exemplo provocata dum tacitè ſecum reputat fœmina, moræ jam impatiens, per mediam irrumpens turbam ad Franciſcum repentè ſe proripit; comiſque ſuâ ſibi manu deciſis, quam à Pica didicerat, libertatem ſibi item cordi eſſe teſtatur: ad eam proinde tuendam pœnitentium ſibi Gynecæum aliquod profuſis ubertim lacrimis rogat. Æqua, ac pietatis plena ejus petitio Franciſco viſa; cui ut è veſtigio annueret, pium, atque ab omni conſortio ſemotum mulierum ſeceſſum ad perennem impuræ vitæ pœnitentiam eam ingredi juſſit. Ductum porrò hoc ex Picæ volatu reſipiſcendi initium, novum aut inuſitatum Cœleſtis Gratiæ artificium nil eſt, cur quis autumet. Simile quid de Beato Taurello ejus Vitæ perhibet hiſtoria; è Galli ſiquidem ab humeris bis repulſi, ac tertium in eos illapſi cantu ſibi perindè, atque Apoſtolo olim Petro, ſcelera exprobrari cùm in mentem veniſſet, injecta ea cogitatio maximæ, quò ſe evexit, Sanctimoniæ baſis, ac fundamentum extitit.

Rei quidem exitu ſimile, narrationis tamen varietate parem ſibi legentium admirationem conciliabit, opinor, hoc aliud, ad me poſt hæc ſcripta tranſmiſſum. In ea Urbis parte, quæ à conjunctis olim ponte contiguis duabus Hiſpani de Latere Regentis Tapiæ domibus, *Tapiæ Pontis* etiamnum nomen habet, in quadrivii angulo concionem exorſus profeſto quodam die fuerat Franciſcus. E' totâ tamen vicinià, qui dicentem pro more ſtiparet, viderat neminem. Tantâ igitur ſolitudine haud quicquam exanimatus hanc veluti dialogum ſecum inſtituere aggreſſus ex arte eſt. *Dic, ſodes, Franciſce. Quot tuæ hactenùs in hac Urbe conciones fuere? Biſmille, ni fallor, termille, atque bis ampliùs aliquid. At, rogo, quorsùm hæc petis? Peto enimverò, ut quo fructu id laboris ſuſceperis, ſciam. Candidè loquar: nullo*

fructu,

Digitized by Google

fructu, nullo. En tandiù hìc vociferor, quin tamen dicenti aures admoveat quisquam. Si deserto in nemore id facerem; Ursi profectò, Pantheræ, ac reliqua agrestium ferarum colluvies ad audiendum Dei verbum jam properassent; à quo tamen, Deus bone! hominum, qui hìc habitant, animi, atque aures abhorrent. Oculis deinde in procurrentem eâ viâ Canem conjectis; *Quid quæritis?* addidit, *Haic ego Cani si liberè indicerem, Accede ad Dei Verbum, pareret sanè his meis vocibus Canis.* Mirum verò dictu, visuque! Auscultare monenti repentè visus est Canis: ac posterioribus insidens pedibus, vultuque in dicentem obverso adstare illìc usque ad concionis finem perrexit. Non sine sacro quodam horrore id à nonnullis spectatum; imò nec sine fructu. Eo quippè portento permota prostituti pudoris mulier quædam in publicum prodiit, atque ad hominis pedes provoluta, resectâ confestim comâ, saluti, quam diù neglexerat, prospicere tandem constituit suæ. Hæc Eliæ Verga Cryptaleensi, Carmelitarum Familiæ Magistro, suis se spectasse oculis, dum Neapoli studiorum causâ ageret, testatus est U. J. Doctor Sebastianus de Micco Civis Andriensis.

Nec prudentibus rerum æstimatoribus memorabilis minùs videri poterit prostibulæ alterius ad honestam vitam per Franciscum revocatæ initium, atque occasio. Aliam quandam ejusdem nequitiæ fœminam inopiâ ad meretricium adductam vehementi concione ab infami quæstu jam ipse abstraxerat. Huic ante Crucem publicè lacrimis indulgenti, ut sublato inopiæ periculo honestè, ac tutò agere contractis nuptiis in posterùm liceret, erogandum stipis nomine aliquid ad dotem ei constituendam magnâ ipse vocis contentione ab iis, qui aderant, postulabat. Cùm piæ allorum liberalitati & suam adjunctam voluit locupletior Meretrix alia, Angela Maria nomine, è patria *Venetæ* agnomen Neapoli sortita, argenteo nummo penè ante Franciscei pedes è fenestrâ projecto. Vidit hoc ipse; obtutuque in eam modestè obverso, Cœlesti veluti luce perfusus: *Gratulor*, inquit, *tuam tibi liberalitatem profuisse citò sentiet.* Salubria verò hæc ipsa Angelæ adeò fuere verba, ut pristinam licentiam ex animo, Dei ope, detestata Franciscum paulò post eâ mente adierit, ut superioris vitæ sordes apud ipsum confessione deponeret. Turpi se quæstu spontè abdicantem quamvis minimè repellendam ipse duceret; criminum tamen confessionem aggredi volentem

Digitized by Google

tem his interpellavit verbis : *Hiccine Deum amiſſum lugentium habitus ? Hic ſiſtentium ſe Deo reorum ſqualor, ac luctus ? Mutatâ priùs veſte, imò & domo, ad me accede, ut bonâ à te fide inſtitui confeſſionem intelligam. Ad pœnitentium Gynecæum Inſanabilium Noſocomio adjunctum te curriculò confer : Conſtanter hæc ejuratæ libidinis ſignificatio, te ut ibi audiam, à me facilè impetrabit*, Conditione, ut erat corrigendorum morum apprimè jam cupida, haud gravatè acceptâ, monenti parere non diſtulit Veneta : ac Franciſcanum præterea amplexa inſtitutum, humanum, ac facilem in ſe expianda Franciſcum eſt nacta. Imò ejus operâ ad Religioſæ vitæ inſtitutionem ſæpiùs uſa, & eo ſe Magiſterio maximè ad virtutem proficere, & ſingularibus Dei donis ſuum illuſtrari Magiſtrum experta eſt. Dum enim, ut ſedatis conſcientiæ morſibus tranquilliùs ageret, noxas hæc iterum omnes Franciſco aperiret, earumque abſolutionem de more opperiretur ; *Divinâ re priùs ad Aram peractâ rediturum ſe ad opus*, præter expectationem repoſuit Franciſcus, *ut interim, ſi quid aliud animum urgeret, ſcrutari ipſa commodiùs poſſet.* Tùm ſtatim à Sacro ad officium explendum reapsè regreſſus; *Aliud-ne inditum anteà, crimen in memoriam venerit ?* interrogat. Cumque illa, *nihil, quod ſciret, ſupereſſe*, haud fallaciter reponeret; *Ejus verò noxæ*, perrexit Franciſcus, *à te olim admiſſæ ream te eſſe ecquid minimè confiteris ?* Hæc ſanè verba nonniſi Cœleſti afflatum ſpiritu loqui ipſum potuiſſe indubitanter conjecit Mulier ; cùm verum ſibi crimen, ſed ſuæ in ſe excutiendâ ſagacitati omninò ſubtractum aperiri, nec ſine admiratione, perſpiceret. Superſtes adhuc in Gynecæo agit hæc Mulier, atque ab omni hominum commercio ſemota, quam Franciſco Authore aggreſſa jam indè ab initio eſt, Cœleſtem in terris vitam vivere pergit. Cæterùm ne virtutis ei materies deſit, ad perpetuæ valetudinis, quæ perpetuò jacere eam cogunt incommoda, Cancer etiam ad ejus vultum fœdè deformandum multis ab hinc annis acceſſit. Quæ quidem mala cùm patienter, ſedatèque ferat ; de oris deformitate, tanquàm de re precibus à Deo impetrata ſibi ipſa præcipuè gratulatur ; ipſamque, qua florentibus annis deliquiſſe ſe meminit, faciem potiſſimùm plecti, non tàm ſupplicii, quàm beneficii loco accipit. Non aliud certè, dum eam ſub hujus morbi initium inviſeret, prænuntiavit. Franciſcus. Dum enim ei Sancti Cyri lipſana obtulit, Cancri quidem remiſſuram

vim

Digitized by Google

vim dixit, nec intactas hactenùs corporis partes serpendo occupaturam: relictæ tamen cicatrici tot pustulas adhæsuras, ut quod ad optatam luridi oris fœditatem spectaret, voti compos perpetuò futura esset. Quibus hominis verbis eventus fidem asseruit.

Arcana Dei consilia tùm in Franciſci laboribus illustrandis, tùm in hominibus liberè vel ad se trahendis, vel in suî arbitrii pertinacia relinquendis, ob oculos ponet, ni fallor, alia hæc prodigii plena narratio, (1) cujus oculatum se testem fuisse coràm legitimis Quæsitoribus juratus asseruit Franciſci olim Sodalis Franciſcus Giobbus. Anno elapſi proximè ſeculi LXXXVI. sub Sanctæ Catharinæ Senensis Asceterio inter (2) Olympicæ plagæ Pontem, & Sanctæ Annæ sacram Paræciam ad ingentem populi multitudinem, atque ad ejus viæ incolas meretrices dicebat Franciſcus. Ejus diutiùs audiendi impatientiâ paratum, quod habebant, vehiculum audacter conscendunt cùm duobus amasiis pellices totidèm, ad maris oram, prout eo die destinaverant, animos oblectaturæ. Dum pergere verò currum, ac per mediam concionem irrumpere cernit Franciſcus, ad Christum Soterem è Cruce pendentem obversus; *At verò, Deus bone,* inquit, *Deas hìc esse nesciebam, quæ nullâ tuæ dignitatis ratione habitâ nec tibi decederent.* Quæ verba cùm nequidquam à se dici animadverteret, Cœlesti instinctu arreptum Servatoris Simulacrum supinum mediâ statuit viâ, atque hæc adjungit: *Quod tibi, quæ bigâ vehuntur, negant, hoc tibi, Deus bone, obsequium vehentes exhibeant Equi. Isti-ne etiam te pedibus protritum accedent?* Subsistere statim visi ad hæc dicta Equi, stratisque ad terram primoribus pedibus verum omnium Dominum eâ corporum inclinatione octavam circiter horæ partem venerari. Insoliti spectaculi admiratio attonitos, quotquot aderant, omnes habuit, ac stupore defixos: in primis verò Aurigam ipsum sacro quodam horrore adeò perfudit, ut animo defectus è curru deciderit, nec nisi ad Franciſci attactum, spiritu recepto, se è terræ allevare valuerit. Quorsùm verò hæc Divinæ Potestatis admirabilis significatio tenderet, indigena ejus loci Meretrix statim ostendit. Prodigii quippè novitate perculsa, ac metu exanimis ad Franciſcum passo capillo confestim adiit, eique comam

præ-

(1) *In Summar. Actor. pag. 65. & in Information. pag. 9. num. 2.*

(2) *Vulgò* il Ponte di Chiaja.

Digitized by Google

præcidendam offerens Gynecæi latebras ad honeſtum à turpi vita perfugium expetiit: quod, in ejus lacrimarum gratiam, ſecum eam avehens citò præſtandum curavit Franciſcus. Cæterùm binæ illæ, ad quarum petulantiam retundendam patratum videri potuiſſet prodigium, quanquàm à probroſo munere averti omnium maximè debuiſſent, de flagitiis deſerendis ne cogitarunt quidem: obſtinatiſque ad nequitiam animis, curru relicto, ſe cum amaſiis domum recepere. Factique tàm ingentis ad eas, inſcrutabili Dei judicio, opprobrium quidem, atque ignominia, non verò temeritatis, ac ſceleris correctio pertinuit.

Duos nunc è mali Dœmonis faucibus per Franciſcum ereptos, cum ſcelere ſimiles inveniam, ne ad eandem penè rem redire videar, unicâ narratione comprehendo. Adoleſcens quidam horum alter fuit, quem vetitarum voluptatum inſana cupiditas à nullius atrociſſimi licèt ſceleris turpitudine abhorrere edocuerat. Mulierem hic quamdam ut in ſui amorem pelliceret, artibus aliis fruſtrà adhibitis, veneficiis, philtriſque amatoriis conficiendis animum adjecerat. Cumque nec his quicquam effici perſpiceret, ultima ut experiretur, Dœmonem ipſum magicis cantionibus conciliare, ac, ſi voti per ipſum compos fieret, ſe illi totum dedere libidine excœcatus non dubitavit. Verùm in peſſimè de ſe meritum Adoleſcentem primum hoc, & præcipuum beneficium contulit Deus. Roganti Dœmonem adeſſe omninò vetuit; paulòque poſt alterum addidit, ut nempè in Franciſci concionem vel nolens incideret. Cœleſti quippè obortâ tum luce magnitudinem ſui ſceleris expendens, atque in veniæ ſpem erectus, ab eodem Franciſco placandi Numinis rationem ediſcere, admiſſoque immani piaculo expiari voluit. Jam ſi in hoc, præter Divinæ Gratiæ intùs agentis efficaciſſimam vim, quod prodigii loco ſit, apparet nihil; hoc verò fuit, quod alterius, fœminæ ſcilicèt cujuſdam converſionem illuſtrem reddidit. Cùm enim hæc in eos, qui ſe, ac ſuos calumniis, fraudibuſque vexarant, inextinguibili odio exarſiſſet, ne apertâ vi injurias ulciſci vellent, filiis perſuaſit: præſtare enim, ajebat, veneficiis clàm adhibitis infenſos familiæ homines eò impunè adigere, ut de igne ſuis in tectis extinguendo potiùs, quàm de aliena domo incendenda cogitarent. Hoc impiæ ultionis genus dum pertinaciſſimè coqueret, noctu multo igne flagrans domus objecta ejus animo eſt, plurimique in ea rogo illo damnati. Tres inter hos præci-

Digitized by Google

præcipuè internoscere sibi visa est; atque ab horum uno hæc audire. *Odium, quod, contrà quàm Deus jusserat, cum proximo exercui, hùc me adduxit: de me hinc unquam educendo omninò despero. Tuum verò quò te odium ferat, jam videt. Cave sis, ne æterna hæc tibi domus obtingat.* Dirâ eâ imaginè, ac verborum metu exagitata insomnem eam noctem extraxit mulier: ac summo manè Franciscum adiens non aliter eum allocuta est, quàm si ab inferno carcere reapsè gressus reduceret. Eam verò odium deponere jussam benignè ipse audiit: atque è summo metu ad benè sperandum adductam Pœnitentiæ Mysterio expiatam domum remisit.

Nocturni spectri penè similis species scelestum item alium ad diù contemptam Franciscí opem enixè flagitandam tandem impulit. Sui hic, alienique thori fidem duplici adulterio sexennium violare perrexerat: utque repetitas monentis Franciscí objurgationes eluderet, non atrum adeò se hominem esse, quemadmodum ex ingenio quidam suspicarentur, fallaciter respondebat. Franciscí etiam concionibus nec semel interfuerat: verùm defloratæ à se olim mulierculæ nimius amor salubrium cogitationum fructum semper omnem præripuerat. Tandèm ad ejus animi duritiem frangendam, qui optimus impiorum hominum Medicus est, exitialis morbus accessit. Ex eo dum decumbere, nocturnæque quietis expers agere cogitur; duos ad cubilis spondam assidentes ex improviso spectat, pullâ unum, candidâ alterum veste amictum. Ac veluti disputatione inter se de *Hominum salute institutâ*; Malè sibi eos consulere, proponit Albatus, qui pessimæ vitæ felicem sponderent exitum? difficilè enim hos ad se noxis exolvendos pro tanti negotii ratione animum adjicere. Contrà mordicùs id negare Atratus: Etenim scelestissimo cuique ad extremum usque vivendi momentum patere semper ad salutem viam. Quò igitur vitæ voluptatibus maturrimè orbatos hos velle? Imò necessum id esse, reponit Albatus, ne pronæ in deterius consuetudinis illecebræ, atque inolitus peccandi usus deficientis tunc animi vires omninò accîdant. Dumque & his refragari pergit Atratus, Divinæ semper Clementiæ paratum hominibus sinum obtrudens: Albatusque contrà; Justissimè extremâ horâ iis Deum irasci, quos suis beneficiis ad vitæ licentiam abusos viderit, pluribus inculcat; Atratum illum ne hiscere quidem ausum hic, veluti superior jam ex altercatione

Digitized by Google

diſcedens, manu, ac vultu veluti per contemptum è ſuo conſpectu abigit. Quo facto, ſpectaculum illud è decumbentis oculis extemplò evaneſcit. Exclamare ad hæc viſa confeſtim æger, interque plurimos, quos fudit, ejulatus Franciſcum accitum velle, cui poſt biduum, re ex ordine priùs expoſitâ, properantis ad exitum vitæ noxias omnes lacrimarum plenus aperuit.

Memorabile quidem inflictum à Deo ſupplicium nunc addo: quod, licèt peculiare nihil à Franciſco geſtum, ſed merè auditum contineat; eatenùs tamen ad ipſum ſpectare videtur, quatenùs ejus exempli notitiâ edoctum clarè ipſum voluit Deus, quàm aptè ex rectæ rationis contemptu nefarii homines in Sacris Literis brutis animantibus coæquentur. Hæc ergò ad ipſum poſitis quodam die genibus Adoleſcens: *Me tibi ego Divinæ priùs Iræ, nox Clementiæ ingens exemplum offero. Equidem vitio cuidam à teneris aſſueveram, licèt crimini, ac vitio id verti principiò ne ſuſpicarer quidem. Ejus tamen ſceleris immanitate agnitâ, haud quicquam mihi meliùs actum: eodem hærere in luto perſtiti: vitium nempè in mores, ac naturam abierat. Ità porrò dum vivere nil penſi haberem, offuſa menti repentina caligo occultâ quadam vi animum interturbavit, ut me jam non Hominem, ſed Belluam crederem. Ex illo, ut quadrupes, prono in terram ore ſolidum annum inceſſi, nec niſi nemorum, pratorumque herbas ad cibum adhibui. Inter porcorum potiſſimùm greges mihi verſari obtigit, à quorum actibus, ac vocibus imitandis haudquaquam abſtinui; imbrium interea, æſtus, ac frigoris intemperiis non minùs, quàm cæteræ pecudes, ſemper obnoxius. Sicubi verò in tugurium aliquod divertiſſe me vidiſſent Paſtores; pædoris, ac vermium, quibus corpus ſcatebat, intolerantes, baculo me indè exturbatum veluti ex compacto volebant: quarè ſic pulſo nonniſi ſub dio agere mihi continenter neceſſe fuit. Anni tandem evoluto curſu, Divinæ Clementiæ beneficio redditam mihi mentem ſenſi: ac nebulâ veluti diſcuſſâ in quale calamitatis genus mea me projeciſſent crimina, ſatis percepi. Indè in pedes erectus ad animi priùs, quàm corporis ſordes eluendas curam, cogitationemque traduxi: atque ex quo illis me pius expiavit Sacerdos, priſtinis moribus, ac vitiis abjectis, vitam hominæ, eoque Chriſtiano, dignam inſtituere ſatago.* Hæc Franciſco Adoleſcens ad naturæ ſuæ, è qua ſpontè exciderat, dignitatem intelligendam nonniſi calamitate magiſtrâ eruditus. Renovata

in

Digitized by Google

in eo mirari quodammodò licuit severa æquè, ac salutaria, quæ olim in Nabuchodonosor Babylonis ob animi elationem, atque in Armeniæ Regem Teridatem, ob sævitiam in ejus Regionis magnum Antistitem Gregorium, constituta à Deo fuere supplicia. Alter quippè Bovis, Suis alter imaginem referens è mutata corporis specie mutare in diversum animos didicerunt. Cæterùm huic homini suis malis satis edocto, quod adderet, nihil habuit Franciscus; nisi fortassè, ut claris adeò Divinæ Clementiæ significationibus in pejorem aliquam animi sui perniciem ne abuteretur. At verò ex altiùs impressâ ejus menti hujusce facti admiratione adductum eum fuisse conjicio, ut perditos homines, dum ad rudem Populum in Foro diceret, non abjectissimis tantùm animantibus generatim comparatos, verùm & ipsis eorum nominibus sæpenumerò appellatos vellet. *Vidistin'?* (Ità ipse, dum in Neapolitano Regno, imò in Italia tota in Equos priùs, paulòque post in Boves miserrima grassaretur lues.) *Vidistin' 3 Equos, ac Boves pestilentia invasit: eadem ne & Asinos afflet, Peccatores dico, per Deum cavetote.* In nostro prætereà Sofiano rure dum valetudinis causâ per Autumni ferias sub vitæ finem ageret, ad confertam Rusticorum turbam, quæ Dominico die ad S. Sofii Martyris festum celebrandum accurrerat, ità ex abrupto mediâ in Ædè incipere à me auditus Franciscus: *Succurrite, obsecro, Populares, auxilium ferte: in puteum Asinus decidit; servatum ut velitis rogo.* Populi verò attentione sibi hoc exordio conciliatâ; *At ego*, resumpsit, *Te, si quis adest flagitiis cooperte Homo, Te, inquam, appello: Te Asinum in scrobem lapsum esse intelligo.* Aliaque deindè in rem addidit, petitò ex ejus Dominicæ XVI. post Pentecosten Evangelio copiosius dicendi argumento. Sic enim eo die è S. Lucæ *cap.* XIV. legitur: *Cujus vestrum asinus, aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum die Sabbathi?*

Digitized by Google

CAPUT XV.

Nonnullis Deiparæ Virginis imperio, ac monitu reſipiſcentibus præſto eſt Franciſcus.

SUpereſt, ut tres alios Deiparæ Virginis benignitate ad capeſſendum æternæ ſalutis iter incitatos, ac duos præſertim ab eadem expreſsè ad Franciſcum miſſos commemorem: quò eâdem operâ, quanto ipſa improborum reconciliationem ſtudio curet, ſimulque quanti Filii ſui Preconem egregium fecerit, planum faciam.

Sacrarum rerum miniſterio addictus quidam ad Franciſcum accеſſit. Quadriennium hic quotidiano ſacrilegio animum polluerat: factâque indè ſibi ad omne flagitii genus viâ æternam felicitatem penitùs deſperaverat. Scitanti verò Franciſco, quâ poſſimùm re ad emergendum ex eo, quo diù ſe volutaverat, cœno fuiſſet impulſus; hæc retulit. *Duabus abhinc noctibus Templo adſtare dùm mihi ipſe viderer, humana Majeſtate auguſtior Matronæ ſpecies oblata menti eſt, quæ oculis in me torvè defixis, ſuccenſere ſe mihi minaciter oſtendit. Exterritus in genua ſtatim procubui, ejuſque à me iram deprecari multo gemitu inſtiti. Meis illa tùm lacrimis velati conciliata, hilarè, atque amanter me reſpicere viſa, ex oculis evanuit. Improbæ captivitatis cur me exolutum laqueis vélim, ſatis, opinor, vides.* Hæc gemebundus, ac ſupplex ad Franciſcum Sacerdos.

Longè difficilior peſſimæ cujuſdam proſtibulæ expugnatio fuit, quæ nonniſi ejuſdem Cœleſtis Reginæ imperio manus dedit. Quadriennio hæc item, non ſine gravi Adoleſcentium detrimento, meretricium palàm exercuerat: nec Franciſcum in lupanari ſubindè dicentem audire recuſaverat; cujus tamen voces, ſævæ conſuetudinis in deteriùs impellentis vi, fruſtrà ſemper habuerat. Exagitari tandèm conſcientiæ ſtimulis vehementer cœpit,

Digitized by Google

pit, quibus dum hinc ad honeſtatem attrahitur, indè libidine, ac florentis ævi vigore ad voluptatem retrahitur, ancipiti curarum æſtu jactata ità eſt, ut animi ſui naufragium averſaretur quidem, nec tamen illud ex animo declinare adhuc decerneret. Etenim Franciſco ſe ream palàm ſiſtere quanquàm haud ſemel tentaſſet; inſano tamen pudore prohibita pedem retraxit. Acerrimo etiam laterum dolore ad id præſtandum aliquoties adacta, libertatis illecebris fortiùs urgentibus cedere maluit. Ità conſilii anceps, atque inter reciprocantes curas, præcipuè ab ineunte Martio uſque ad menſis Maji dimidium, (in quem diem altera poſt ſacram Pentecoſten feriata lux eo anno inciderat) anxia fluctuavit. Eo igitur die ità agentem ſomnus à meridie corripuit: quo tempore adeſſe per quietem ei viſus eſt quidam, bene fartam pecuniâ crumenam pollicitus, ſi à pellicatu dimoveri ſe minimè ſineret. Quem cum illa in malam crucem cum ſuis abire donis juberet, non minùs conſtanter alteri ejuſdem hominis petitioni obſtitit, quâ, ne ſibi comas præcideret, enixè rogari ab eodem videbatur. Has porrò rerum imagines verſanti inſignis Matronæ ſpecies objicitur, quæ his eam verbis excitare viſa eſt: *Surge jam, quid ceſſas? Franciſcus cum ſuis jam adest: quin tu ad ipſum adis?* Quibus negligenter auditis, ſomnoque repetito, ab eâdem Matronâ fortiùs excuti ſeſe, atque ad ſurgendum excitari animadvertit: *Etiam-nè ſtertis?* inquit, *Quin te hinc ſtatim proripis? Audin'? in Foro jam adeſt Franciſcus.* Evigilat ad hæc Mulier, ſimulque pios Franciſci Sodalium cantus verè audit. Quarè non de nihilo ſe ità per ſomnium admonitam arbitrata, ad Franciſcum feſtinat; comiſquc palàm præciſis, pii Gynecæi perfugium ab eo cum lacrimis flagitat, atque ejuſdem operâ non difficilè impetrat.

Ità cum hac ſatis clementer Divina Parens egit. Cum alio verò homine eò clementiùs, mitiùsque, quò per ſummam nequitiam æquè, ac ſocordiam Dei patientiâ abuti hic viſus eſt magis. Ad Franciſcum pro Pœnitentiæ Tribunali ſedentem hic olim ſe contulit: atque aperto Virginis Deiparæ imperio ſe ad ipſum mitti teſtatus eſt. Facti porrò ſeries hæc fuit. Ab ineunte adoleſcentiâ vitiis, ac ſceleribus paulatim hic inſueverat: ac Franciſci concionibus ſub improbæ vitæ initium quamvis concuteretur; criminum tamen pœnitentiam procraſtinando, ac differendo effecerat, ut nunquam excuteretur. Jamque noxiis

ejus

Digitized by Google

ejus animus ità obcalluerat, ut ne in publicis quidem calamitatibus communi trepidantium Civium metu ad Vindicis Dei deprecandam iram impelli ſe ſineret. Quare, abjectâ omni ſalutis ſpe, à Deo, ſacriſque rebus omnibus perpetuò exulare decreverat; niſi quòd hanc unam in tàm perditis moribus Chriſtianæ pietatis retinuerat notam, ut in Deiparæ Virginis imaginem ſiquando incideret, coràm ea ſubſiſtens è veſtigio conceptis Eccleſiæ verbis ſalvere eam juberet. Septem ſuprà viginti ità peſſimè tranſactis annis, nocte quadam in ſomnum reſoluto adſtare viſa eſt pulcherrima honeſtiſſimæ Matronæ ſpecies, ac ſubirata his eum verbis arguere: *Cur criminum confeſſione tandiù abſtines? Cras primo mane id facias, edico.* Qua objurgatione excitatus, tametſi piè monentis Dominæ imperio parere ſtatim conſtituiſſet; ſub lucem tamen evigilans ſomniaſſe ſe eâ nocte, vitiis ità ſuadentibus, arbitratus, nocturnæ ſpeciei fide damnatâ expiandi animi curam prorsùs abjecit. Verùm non ità poſt multo noctu iterùm dormienti Matrona eadem objicitur, quæ vultu ad ſeveritatem compoſito, vanis obtentibus ſua contemni beneficia conqueritur: ejus pervicaciâ diù fatigatam Filii ſui Clementiam fuiſſe: Vindicem illum fore, ni ad mentem citò redeat, criminumque ſordes ſtatim abluat. Sed haud melius quicquam altero hoc Divinæ Parentis officio cum ipſo actum. Vanis quippè ſomniis ſe per quietem exagitatum ratus, de augendis potiùs, quàm de auferendis ſceleribus manè cogitavit. At verò (quæ Clementiſſimi Numinis in optimæ Matris gratiam effuſa in improbos Benignitas eſt!) æternis licèt jampridem addicendus fuiſſet ſuppliciis; ejuſdem tamen Reginæ imaginem impurus, ac pertinax homo noctu cubans tertiò oculis penè aſpexit ſuis; quam contractâ fronte his in ſe minaciter invehi audiit: *Heus tu, miſelle homuncio, paratum-ne tibi damnatorum rogum ignavus expectas? Præclaram certè gratiam meis beneficiis refers. Equidem ea me apud immeritum colloçaſſe jam video: at exhibitum illud meis imaginibus obſequium me ad tui miſerationem adduxit. Ne plura; ni omninò jam deſipis, animum ſtatim excute, atque expia. An enim tibi id à me quartò imperandum putas?* Percelli ſe hac Cœlitum Reginæ objurgatione, animique ſui duritiem frangi nequiſſimus homo perſenſit: quare, quòd imperata minimè faceret, cauſam jam nullam eſſe repoſuit. Verùm, *Quò*, inquit, *vel apud quem ſeptem, ac viginti annis congeſtam ingentium noxarum ſarcinam*

Digitized by Google

cinum deponam? Cui illa: *In Filii mei Ædem perge* (Professorum Domus Templum indicari animo ipse percepit), *ibi, qui te expiet, Franciscus de Hieronymo præsto erit: ejus ad hanc rem operâ utitor.* Paruit ipse, ac re Francisco expositâ, post vitæ maculas sacra confessione elutas Magnæ Matri grates impensè egit, quòd nullius penè momenti officium tàm ampla mercede rependeret; & quòd pellendis tot animi sui morbis egregium adeò Medicum destinaret.

CAPUT XVI.

In Fœmina ad Deum adducenda admirabilis omninò Franciſci opera.

A Consueto humanarum rerum ordine discedere adeò mihi videtur enarrandæ rei initium, progressus, atque exitus; ut de ea seorsim agere operæ pretium ducam. Maria Aloysia, & Maria Albina ex Francisco Cassier, & Magdalena Oliveria Lutetiæ Parisiorum in Gallia ortæ; piæ potiùs Genitricis Catholicæ Religioni, quàm hæreticâ peste infecti Genitoris sectæ, quòd à teneris adhæsissent, nihil non asperum, nihil non sævum ab eo id indignè ferente, Matre nequicquam reclamante, toleraverant. Hac è vivis sublatâ, cum eas Genitor aliò avectas in suum, ut diù optarat, errorem inductum facilè iri speraret, repetitis verberibus adegit, ut virili habitu indutæ in sectarum omnium colluvione pollutam Urbem Genevam secum se ambæ transferrent. Ad semotum igitur ab hominum commercio locum cum eo in itinere progressæ, dum subsistere ibi aliquantisper velle ad respirandum à labore se simulant, non difficilem in ea duntaxat re Genitoris animum experiuntur; quippè quem ad somnum in herbis securè captandum solitudo illa invitare videbatur. Eum porrò sopore jam satis gravátum conspicatæ, atque idoneum ad ejus excutiendam sævitiem tempus, ac locum nactas se tandem fuisse ambæ arbitratæ, arreptis ex ejus latere geminis, quos habebat, minoribus sclopis, collato inter se consilio, atque operâ, incautum eum interficiunt; cadavere in herbis ipsis inter sarmenta, ac virgulta ad occultandum atrox facinus reli-

Digitized by Google

relicto. Eâ cæde patratâ, geminæ ſorores, quarum altera decimumquintum, decimumumtertium altera ætatis vix annum exceſſerat, quid conſilii caperent incertæ, in alias ex aliis Italiæ Urbes, virili ſemper habitu retento, digreſſæ; tandèm, ne perpetuò vagarentur, Mediolanum perveniunt. Ibi audito ab Hiſpaniarum Rege delectus ad ſupplendum Italiæ exercitum fuiſſe imperatos; ſub Emmanuele de Arrièta Hiſpano Centurione, militiæ utraque nomen dat; ac natu major Aloyſia Franciſci Joſephi, minor verò Albina Caroli Pimentelii ſimulatum ſibi nomen indunt. Meſſanæ his prima ſtipendia, ac militaris vitæ rudimenta obtigère: indè Neapolim ad firmandam conſueto per id tempus præſidio Urbem accedunt. Nec multò poſt, decreto à Gaſpare de Haro Carpii Marchione Prorege in infeſtos Provinciis Latrones, ac Fugitivos bello; ad eos ex iis, è quibus ad latrocinia deſcendebant, inacceſſis Aprutinæ Provinciæ rupibus eliminandos Legionibus miſſis, ei etiam, in qua hæ militabant Centuriæ, illùc proficiſci imperatum. Eâ in expeditione ancipiti fortunâ aliquandiù pugnatum: cumque ab erumpente è latebris Latronum manu, Aloyſiam majorem natu interimi contigiſſet; ut ejus prodendi ſexus occaſionem omni ſtudio declinaret, ſuis ipſa manibus Albina Soror, dolore diſſimulato, interfectæ corpus humandum ſuſcepit. Eo denique bello non ſine ingenti totius Regni utilitate confecto, cum revocatis Neapolim militibus & ipſa regreditur; atque uſque ad annum elapſi proximè ſeculi DCXXXVIII. militiæ laboribus, ac muniis omnibus Hiſpanâ ſeſe patientiâ continenter exercere pergit. Intereà feſtâ quadam ejus anni luce in Foro Arcis Novæ concionem à Franciſco haberi hæc vidit, eamque è militari ſtatione, quæ Arcis Portam reſpicit cum ſuis manipularibus, ut potuit, procùl audiit. Jam verò Militibus ad nova Ducum imperia accipienda in Prætorium indè avocatis, abeuntes voce, ac manu è ſuggeſtu remoratus Franciſcus, ipſorum aliquem petere dum videtur, ſimulatum illum Militem à ſe præcipuè quæri, atque ad breve alloquium poſci intento digito oſtendit. Concione dein paucis peractâ, blandè obverſis in hunc expectantem oculis; *Num criminum confeſſione expiari ſe cupiat?* ſeorſim ſcitatur. Importuna huic ea interrogatio viſa, è qua ut ſe extricaret; *Ad id faciendum nec tempore, neque occaſione admoneri ſe*, audacter repoſuit; *neque enim ſe eum eſſe*, addidit, *cui laqueus, aut infelix arbor*

Digitized by Google

arbor ob perpetratum aliquod scelus immineat. At; *Age jam*, subjunxit Franciscus; *nullius-ne criminis conscientiâ urgeri te sentis? Nullius omninò*, pari hic audaciâ respondit. Tùm verò Cruci suffixi Servatoris simulacro è pectore extracto: *Ergo-ne*, inquit Franciscus, *criminis expers agis, qui sexum, habitum, ac nomen nullo jure, aut ratione mentiris? Non tu Carolus Pimentelius Hispanus, ut jactas, sed Maria Albina Cassier Francisci Filia è Gallia in Italiam adveniisti. Quid verò? Frontem-ne adeò perfrices, ut isthæc ab hoc, quem vides, Hominum Servatore, ac Domino mihi significata inficiari audeas? Ac ne vana loqui, aut fingere me tibi suspicio in mentem veniat; en tibi nulli unquam mortalium à te proditum sucinus in memoriam revoco. Parricidium in itinere cum sorore sceleris sociâ nonne ex compacto admisistis? Nonnè ad celandum crimen interfecti Genitoris cadaver virgultorum fascibus obrutum? I nunc, sodes, & criminis expertem te agere profitere*. Nihil ad hæc Albina: concuti tantùm animo, expallescere, atque inter admirationem, & metum attonita hærere, dum nihil earum rerum, quas abditissimas semper, ac perpetuo obvolutas silentio ipsa cupiisset, Franciscum latere animadvertit. Nec tamen idcircò aut vera esse, quæ objicerentur, fateri, aut ad eluendas Pœnitentiæ Mysterio vitæ maculas hortanti quicquam polliceri: donec incusso metu, ne res clarè adeò Francisco perspecta Commilitonibus proderetur; ad saniora consilia adductum se iri in speciem simulat: seque cum eo domi propediem convento de vitæ suæ rationibus liberiùs acturam fictè confirmans, abeundi veniam poscit. Subtraxisse se hominis industriæ ficto illo verborum astu jam ipsa crediderat: cum postridie primo mane, dum Carolum Pimentelium ab ejus, quod Lucullanæ Arci imminet, stativi præsidii excubiis quæri audit, fallacis veluti promissi admonitum ad se revisendam ex inexpectato accessisse miratur Franciscum. Quid faceret? aut qua novâ arte suæ ipsius saluti prospicere satagentem ex tempore, rursùs eluderet? Ne parùm humaniter repellere cum videatur, imminentem, imò dispositam Proregis jussu suæ Centuriæ in Hetruriam profectionem causatur; promissi proindè fidem præstari à se neutiquam posse, multis contendit. Ei verò hæc Franciscus: *Nihil est*, inquit, *cur hesterni promissi fide te liberem: novam potiùs hodiè posco. Neapoli haud abscedes: macte igitur animi esto: me in Professorum Domus Æde in confessionali*

Subſellio ſedentem cras adeas volo. Meis optatis, tuæque incolumitati præſto Benignum Numen fore confido. Ex certa præſentione ità eum locutum fuiſſe oſtendit eventus. Proregis quippè imperium eodem die revocatum illud effecit, ut mandata faceſſere tandem deberet Albina. Eam porrò x. Kal. Martii in Templo vix viſam prior ipſe vocat, ac ſalvere jubet: mox aliis rebus omiſſis, eidem & patratum olim Parricidium, & totius vitæ noxas ſine fuco tandem, & fallaciâ aperienti benignè aures præbet. Expiatam verò ſacrâ Euchariſtiâ refici, ac piis noſtræ Ædis exercitationibus intereſſe eo die jubet. Intendentibus demùm ſe ſub veſperum tenebris, paratas ei muliebres offert veſtes, quò in ſemoto Templi Sacello, militari habitu, ac nomine depoſito, indè non Carolus Pimentelius Miles, ſed, quæ verè erat, Maria Albina Caſſier in publicum prodeat. Quo facto de ſuſtentanda exteræ, ignotæque omnibus Fœminæ vitâ ſolicitus, piâ aliâ Fœminâ comite, in illuſtris Matronæ Marchioniſſæ Sancti Stephani domum, prout cum ipſa opportunè condixerat, deducendam eam curat: lapſoque quadrimeſtri ſpatio, benigniſſimæ Hoſpitæ gratiis, ut par erat, actis, in conductam domum, ubi piè, honeſtèque de ſuo viveret, migrare eam denique juſſit. Menſtruo nimirùm ſtipendio emeritis militibus pendi conſueto ſedulâ ei operâ à Regii Ærarii Adminiſtris impetrato, mendicitatis pudorem, ac moleſtiam ab ea perpetuò prohibuit.

Hæc Maria Caſſier illa eſt, quæ deindè Franciſco vitæ rectore, ac Duce ſemper uſa, plurimorum ejus operum locuples teſtis ab ejus obitu fuit; cum ipſi ſuperſtes, nonniſi anno hujus ſeculi XXVII. circà vernum tempus vivere deſierit. De ea proindè redibit infrà nec ſemel mentio.

CAPUT XVII.

Deo reconciliatorum Conſtantiæ mirè ſtudet, nec alias optimi Homologetæ partes omittit Franciſus.

SIngulari hoc munere Franciſci labores Dei videtur Clementia cumulaſſe, ut ejus concione duntaxat auditâ expedire ani-

Digitized by Google

minum noxis penè voluerit nemo, quin expiatus concepti semel propositi tenacissimus postmodùm foret, nec illis vitiorum illecebris ad frangendam Deo fidem inescari se sineret. Id nec Francisco ipsi ignotum esse potuit; arduum quippè salutis iter quo ardore susceperint plurimi, quâve constantiâ ab eo pedem haud unquam retraxerint, quis ipso melius deprehendit? Equidem hujusce rei multiplici experimento, graviumque Virorum testimonio firmatæ unum, & alterum ad manus habeo documentum.

Ac primum est Adolescentis, qui quartum ætatis lustrum vix anno excesserat. Ut sacrâ se confessione expiaret Franciscum hic die quodam adiit, eoque pietatis sensu leviculas, quibus urgebatur, exposuit noxas, ut ejus morum innocentiâ oblectatus petierit ab eo Franciscus; *An semper ità vixisset?* Cui ducto ex imo pectore gemitu, *Utinam*, reposuit Adolescens, *qualis uno abhinc anno, Dei beneficio, fum, talis & anteà fuissem! Ante hoc tempus, hominem, opinor, me nequiorem Terra non habuit.* Causamque ulteriùs rimanti hæc addidit: *Te ego, elapso proximè anno, ut semel audii, mores corrigere constitui: benignoque Numine votis opitulante, id ità tunc præstiti, ut ex eo tempore ad innocentis vitæ præsidium quintodecimo quoque die Pœnitentiæ Mysterio animum eluere haud unquam desierim.*

Alterum est publicum Mulieris de hac re testimonium. In eo Foro, quod à vicina Caritatis Æde nomen accepit, ad Populum dicentem fortè illàc transiens hæc vidit Franciscum; compertoque in vitia vehementer eum invehi; vocem non ità continuit, quin omnium in se oculos, aureſque converteret. His quippè verbis concionantem interpellare ipsam haud puduit: *Perge jam, atque id operam da, ut concionibus te semper exerceas, Francisce. At verò, si sapis, ad . . .* (è lupanarium locis unum aliquem nominavit) *quamsæpissimè id facias oportet. Ibi ego annos quatuor suprà viginti miserrimè versata unà è tuis hisce concionibus ad fœdæ libidinis servitium excutiendum incitata, conjugali me vitæ addixi: atque ex eo die, quæ Deo immortales sint grates, singulis hebdomadis Pœnitentiæ, atque Eucharistiæ Mysteriis haud unquam abstinui.* Post quæ verba, perindè quasi laudandi Franciscí munere functa mulier, concione relictâ, ad ea, quæ destinaverat, agenda se transtulit.

Non tamen ob hæc onustendum quicquam censuit Francis-

cus, quod ad eorum, quos ipſe regendos ſuſcepiſſet, conſtantiam fovendam conducere intelligeret. Concionibus concuti quidem animos generatim ſciebat, atque ad quidlibet ſeù cavendum, ſeù agendum incendi: ad hæc ipſa verò ritè præſtanda Rectore opus eſſe, ac Duce, qui difficiles inter anfractus, quâ cuique potiſſimùm inſiſtendum ſit viâ, digito veluti commonſtret. Quare cum erga plurimos ſuæ operæ cupidos hanc etiam veluti Spartam exornandam à Deo ſibi datam agnoſceret; diligentiam in eo omnem adhibuit, ut prudentis Homologetæ numeros, quoad fieri poſſet, impleret omnes. Præcipuè verò amputatum in recens ex improbitate deductis voluit quicquid priſtinos redoleret mores, aut conceptum rectè vivendi propoſitum labefactaret. Hoc cùm in aliis plurimis, tùm in mulieris cujuſdam Deo reconciliandæ ratione perſpicuè apparuit. Exitialis hæc adoleſcentium peſtis in Urbe fuerat, nec unius Patrimonii vorago. At earum, quas infami quæſtu ſorbuerat, opum voraginem & ipſa nacta aliam eſt, ſonticum nempè, ac difficilem morbum, qui congeſtas turpiter divitias in tantum abſumpſit, ut jam nec vitæ ei neceſſaria ſuppeterent. Cum duobus hiſce moleſtis humanæ vitæ tortoribus, ac Pædagogis, morbo nimirùm, & inopiâ diù conflictata, Franciſci concionem dum fortè hæc audiit, in calamitum ſuarum originem mentem deflexit. Nec diù cunctata ad alloquium eum vocat; eoque viſo, è ſtrato ſe ſtatim proripiens, ſubmiſſis genibus; *Perii*, exclamat, *perii, ni præſto ſis Franciſce. En animum hunc tibi in manum do: ſalvum ut eum eſſe velis, te oro, obteſtorque.* Ægram, atque ità gementem decumbere primùm juſſit Franciſcus: mox ejus ſaluti proſpici haudquaquam poſſe apertè denuntiavit, niſi eâ domo relictâ, quæ ſuorum, alienorumque criminum ſentina & fuerit, & necdum eſſe deſierit. Cæterùm maturatò opus eſſe: eam quippè morbi vi eò adactam, ut ſupereſſe diù nequeat: expiari proindè, ut par eſt, ſi ex animo vellet, aliò ei quàm citiſſimè contendendum. *Quò verò*, dum horroris plena reponeret, *quò commigret alienigena, omnique vitæ præſidio deſtituta mulier?* Hæc ſtatim ſubjungit Franciſcus: *Si ſapis, ac ſalvam te eſſe cupis, duriuſculi in ſpeciem, at neceſſarii reapsè conſilii tibi author ſum. In Inſanabilium te Noſocomium adduci ne pigeat: ibi & nonnihil mea valuiſſe officia, & me tibi ſedulò adeſſe quantulocumque hoc, quod tibi ſupererit, vitæ ſpatio experiere.* Hæſit ad hæc mulier, animique pri-

Digitized by Google

primùm anceps, obortis mox lacrimis manus dedit: *Tuæ me*, inquit, *fidei jam nuper permisi: salva modo ut siem, vel in stabulum deduci haud quicquam pensi habeo*. Ad Nosocomium post hæc rectâ contendit mulier, ubi tergendis totius vitæ criminibus plurium dierum spatium impendit, lacrimis interim ità indulgens, ut iis madidum appareret pulvinar. Bimestri verò, quo supervixit, spatio, insigni quotidiè pietate, ac religione retroactæ vitæ exempla compensare studuit; ac post non levia pœnitentiæ indicia piissimè obiit. Insigne ergà scelestos Divinæ Clementiæ documentum.

Hæc, aliaque id genus plurima, quæ ab inolita peccandi consuetudine recens abstractos in melioris vitæ proposito firmarent, severè præcipienda semper censuit Franciscus. Cæterùm eâ comitate, ac facilitate aspersa hæc severitas apparuit, ut in ejusmodi hominibus sedulò ad se attrahendis, atque amanter excipiendis, quantùm Christianæ Prudentiæ conjuncta Caritas finit, nemo ipso humanior, ac benignior fuerit. Rudium insciliæ, ac tarditati se mirè aptare; meticulosis, ac verecundis animos addere; omnibus nullo discrimine audiendis, nullo diuturnæ operæ tædio fractus, paratum se exhibere. Duodeviginti penè jam annos à sacra Confessione abalienatus, pii hominis hortatu, ad eum olim quidam adiit Artifex. Aures huic toto triduo præbere usque adeò ipsum non piguit, ut victum etiam, ac pecuniæ, quæ Familiam aleret, tantundem eidem suppeditarit, quantum eo tempore diuturnus ei reddidisset labor, à quo Dei causâ feriabatur. Quæ inexpectata Hominis comitas, ac liberalitas expiati Artificis ità animo insedit, ut palàm aliis eam celebrare statim occeperit. Atque in eum offendens, cujus consilio Franciscum sibi Homologetam delegerat: *Tibi verò*, inquit, *quod me ad Franciscum deduxeris, pares, quas referam, gratias non habeo. En! quem asperrimè mecum acturum in criminum cognitione credideram, humanitate ipsa humaniorem sum nactus.*

Effusa porrò hæc in omnes benignitas, qua à nemine, maximis quàmlibet flagitiis irretito, abhorrere consueverat, incredibile dictu est, quot, quantosque ferè quotidiè veluti ex insperato retulerit fructus. Ejus certè sermonis vel in ipsa concionis gravitate affabilitas ad eum in Pœnitentiæ subsellio adeundum binos, eosdemque scelestissimos impulisse fertur Adolescentes. Et alter quidem vix lacrimis obortis ad ejus se pedes ab-

abjecit; cum non longâ verborum circuitione usus, ità vitæ suæ rationem exponere exorsus est. *Projectæ libidinis, atque audaciæ Hominem tibi sisto: nec sciverim sanè, an me sceleftior ad te hactenùs quisquam acceſerit. In tantæ me nequitiæ barathrum rerum omnium inopia præcipitavit. Tenui quippè patrimonio, reque familiari ad vitam sustentandam distractâ, animum ità despondi, ut æternæ item salutis spem eodem tempore abjecerim. Templa ipsa, ne dum Homologetas, ex illo adire cessavi; Divinæ Rei nunquam interfui, nec Virgini Deiparæ precatorium sertum persolvi: imo nec frontem Cruce signavi, ut Christianum me esse haud unquam meminerim. Super hæc, mali dæmonis ope diù fruſtrà imploratâ, consulendis sagis, quæ magicis eum mihi cantionibus conciliarent, nefariè animum adjeci. Verbo: Humanitatem penè omnem exui, ut humani generis hostium arbitrio me fingerem.* His ità enarratis, ad opem multo gemitu exposcendam descendit; simæque perversitatis miseratione commotum ità agnovit Franciscum, ut Divinæ Clementiæ nullis definitam limitibus amplitudinem ex ingenti erga se Francisci benevolentiâ didicerit æstimare. Nequitiâ huic penè supparem viginti annos natum Adolescentem alterum anno labentis seculi decimo, eadem Francisci comitas ab eo, quod pessimè inierat, consilio abduxit. Id ipse Francisco statim à concione exposuit. *Ex quo*, inquit, *suâ sententiâ Sacerdos quidam me non absolutum ejecit, nulli me Homologetæ expiandum sistere per omnem vitam decreveram. De sententiâ, quod te audito decesserim, tuæ potiùs perspectæ erga omnes benevolentiæ, quàm verborum efficacitati acceptum refero.* Hunc verò ut ne mutati in melius consilii postmodum pœniteret, sedula Francisci industria, incensumque in ejus animo humanæ salutis studium effecit.

Si verò unquam aliàs, quid in tractandis hominum animis Francisci ars, ac Cœlestis Prudentia valeret, patere non levibus indiciis potuit; id omnium maximè in duobus pessimis senibus, dissimili tamen ratione, Deo reconciliandis eluxit. Atque ex his unum, non hominis ullius solertia, aut suasio, sed de saxeis hominum animis subindè triumphans Cœlestis Gratia, insignem veluti de Divinæ Gloriæ hostibus prædam, ad Franciscum nil tale cogitantem adduxit. Quis porrò, qualisque hic fuerit, quibusque ad resipiscendum stimulis incitatus, nemo enucleatiùs, quàm suis ipsemet verbis exposuit. *Tertius*, inquit, *supra sexagesimum*

Digitized by Google

finum meæ ætatis labitur annus: ſed tamen Pœnitentiæ Forum barbarum mihi hactenùs, nec unquam uſurpatum nomen fuit; cum omnes ad unum Homologetas ne de facie quidem noſſe affectarim. Miraris, opinor, ofcitanter adeò neglectum à me, & contemptum neceſſarium hoc humanæ ſalutis remedium; & quî tandem id fieri potuerit, interrogas? En enarratâ à principio vitæ meæ ſerie id probè intelligendum dabo. Utroque ego Parente primoribus annis orbatus, qui meos ritè formandos ſuſciperet mores, natus ſum neminem. Quare liberiùs vivendi poteſtate ut fruerer, militiam profeſſus, poſtquàm ejus vitæ licentiæ pluribus annis inſuevi, totâ Italiâ, magnâque Europæ parte vagus, atque exul, Scytharum more, errare nullo unquam tempore deſtiti. Quæ interim ſordes, quæ ſcelera, quæ flagitia cogitari, aut fingi poſſunt, quibus me impudentiſſimè non implicuerim? Tot certè, ac tanta ea fuiſſe comperio, ut nec ab Ethnicis, omniſque Religionis expertibus vinci me nequitiâ arbitrer. Ex hoc porrò cœno emergere cum ſeriò voluerim nunquam; hinc criminum conſcientiâ nequicquam ſtimulante, ad ſacram Confeſſionem aſpirare haud unquam ſuſtinui. Actum proindè de ſalute meâ jam eſſe mihi perſuaſeram: cumque peſſimæ vitæ nihilo meliorem exitum ſperarem; puritiæ, atque adoleſcentiæ vitiis turpiſſimæ ſenectutis improbitate, nullo Dei, nullo æterni ſupplicii metu, ad hanc diem cumulare perrexi. At verò me ità ad deſperanda omnia comparatum tua unius vox in ſpem nuper erexit. Perditorum Hominum te ſaluti inhiare nuper pro concione clamabas; nec tibi moleſtiæ, ſed voluptati fore dicebas, ſi quis triginta, quadraginta, quinquaginta abhinc annos à Summo Numine abalienatus ad te expiandus accederet. En ad quæſitæ voluptatis auctarium ſexagenario major te ſenex convenio, criminibus, ut vides, magis, quàm annis gravis. Age jam, per Deum Immortalem, poſt tot errorum, ac ſcelerum ambages aliqua mihi ad ſalutem per te pateat via. Hæc non ſine lacrimis obrutus flagitiis ſenex. Jacentem verò, atque abjectum, ne animo penitùs concideret, mollitèr ità accepit Franciſcus, ut ſua lenitate ad longè vehementiorem criminum dolorem eum inflammarit. Confeſſione quippè peractâ, acerbæ objurgationis loco gratias ſibi agi à Franciſco audiit. Ea verò improviſâ comitate in ſtuporem primò actus ſenex, paulòque poſt in gemitum uberiùs reſolutus: *Mihi-ne tot capitalium facinorum reo, qui in Deum, & homines tàm malta,*

& ma-

& magna tot annorum ſpatio peccavi : mihi-ne inquam, grates? Dolorem verò ſuum pluribus explicare contendentem ità breviter interpellavit Franciſcus : *Crudelia certè, atque acerba fuiſſe non inficior, quæ & Jeſu Chriſto, & tibi ipſi tot annis imponere auſus es vulnera. At quod Paſchalibus feriis Pœnitentiæ, atque Eucharistiæ Myſterio prudens, ac volens abſtinueris, nonnè duplex quotannis ſacrilegium à te declinatum video? Quod igitur Regis, ac Servatoris tui latus binis hiſce vulneribus minimè confoderis; de hoc enimverò gratias ago.* Ità cum ſene ad nefariæ vitæ pœnitentiam optimè comparato mitiſſimè agendum ſuſcepit Franciſcus.

Nec minùs blandè ad alterius, quem ipſe adire debuit, ſenis animum deliniendum ſeſe principiò geſſerat. Verùm ubi omnes ab eo eludi artes; preceſque, & conſilia omnia in irritum cadere conſpexit; tùm verò manu eum veluti à ſe, atque à Deo abigens, compoſito ad ſeveritatem vultu, his in eum verbis inſurrexit : *Te verò amiſſo, Cælo, Terriſque indicto juſtitio, atratus, opinor, incedet Deus. Principes, ac Dynaſtas abſque ullo ſuæ felicitatis diſpendio æternùm è Cæleſti Aula excluſos videt: tui verò miſerrimi capitis jacturam dolebit? Ageſis, ac ſi damnatorum rogum Cælo præoptandum putas, deſipe tandem, ut lubet. Nemo te tenet, quin tuam tibi calamitatem imputes, æternùm tuo vitio miſer.* Qua vocum aſperitate obſtinatum animum perculit, atque ad impuriſſimæ vitæ pœnitentiam, ut optarat, flectere valuit.

His, aliiſque hujuſcemodi ſedulæ caritatis artibus inſtructus prudentiſſimi Sacerdotis partes continenter egit Franciſcus. Quibus effectum eſt, ut quos concione, vel privatis conſiliis ad deditionem veluti compuliſſet, ad imperata facienda proclives jam redderet, atque in Pœnitentiæ Tribunali optimis legibus, ac præceptis imbueret : quò nimirùm ſemel in melius mutatos, magno Divinæ Gloriæ compendio, in fide, atque officio perpetuò contineret.

Qua ſanè in re ut admirabilem ejus dexteritatem, ac ſolertiam patuiſſe inficiari audeat nemo; ità peculiarem Dei opem in hac etiam ejus laborum parte eluxiſſe nec dubitem : præſertim cum mirabilia rerum eventa, quæ alia ejus munia, pium etiam hoc expiandorum hominum officium æquè illuſtrarint. Equidem in hoc genere non tàm ejus alloquium, quàm aſpectum;

nec

Digitized by Google

nec tàm consilium, quàm ei auscultandi cupiditatem mirè salutarem nonnullis fuisse comperio. Legum quidam Peritus ex immanium, in quæ se præcipitaverat, scelerum conscientiâ in insanum metum delapsus, ad Judices, ac Tortores, qui meritas de se sumerent pœnas, ab obvio quoque se raptandum putabat. Hinc hominum conspectum vitare, ad Templorum Asylum confugere; mox nec se tutum loci Religione arbitrari, indèque paulò post se fugâ subtrahere. Ità mentis impos dum hàc illàc temerè divertit, fortè fortuna in concionantem incidit Franciscum; simulque injecta ejus menti spes est, hujusce duntaxat Hominis præsidio reponi se in tuto posse. Eum igitur è concione reducem spontè secutus, ad alloquium positis vix genibus in Templo poposcit; cum subitò veluti è naufragio emersus in portu navigare se credidit: crimina apud ipsum deposuit; eodemque tempore evanescere inanem illum supplicii metum, reddique animo tranquillitatem gratulatus, bonæ spei plenus domum repetiit. Idem penè & Nobili Viro factum, quem inanes ità angebant scrupuli, ut quicquid ageret, perperàm se egisse existimaret. Extricare animum hisce ipse nodis molitus, non aliud eo conamine se affecutum vidit, quàm ut magis implicitum experiretur. Reddendam tandem fluctuanti animo per Franciscum serenitatem speravit: nec frustrà ea spes fuit. Inanes quippè, quibus anxius jactabatur, metus ei vix aperuit; cum, manu duntaxat suo capiti appressâ, præsenti præsidio eum sibi fuisse suspexit. Tetrâ enim veluti nube è vestigio disjectâ perviderì à se *omnia nullo negotio* miratus est; eo magis attactu, quàm repetitis aliorum consiliis, ac suasionibus illustratus.

Perspectus præterea confiteri ei volentium animus ità subinde erat, ut de occultis criminibus, quæ memoriam fugerant, eorum aliquem non rarò admonuerit Nonneminem etiam, qui, quas fovebat adhùc, cupiditates se satis damnasse falsò credideràt, introspectâ penitùs ejus mente, tanquam Dei irrisorem ejecerit: sacrilegi demùm pudoris manifestos, qui nefario silentio noxias obtegerent, impunè abire non siverit. Ac cœlitùs inditam hanc homini perspicaciam, cùm aliis pluribus, tùm Ascetriæ cuidam experiri evidentiùs licuit. Sacrarum Virginum confessionibus audiendis in Parthenone quodam vacabat Franciscus; cum ad vitæ crimina non tàm deponenda, quàm novo scelere cumulanda, ad ejus subsellium audaciter accedere quædam nil veri-

Digitized by Google

ta, nequitiæ ſuæ longè præſtare Franciſci ſagacitatem animadvertit. Etenim generatim de more ſe accuſare jam aggreſſam ab incœpto deſiſtere confeſtim hic juſſit; quippè cui aures ipſe præbere nec poſſet, nec vellet. Non de nihilo ità ſecum agi ex hac ipſa, quam ſubiit, repulsâ aut ſuſpicata eſt, aut ſuſpicari de facili potuit. Verùm diſſimulandi animi ut erat ſuprà ætatem callida, inſitâ ſexui dicacitate: *Quid ità*, exclamat, *quid ità, Pater? An is ab ingenio es, ut improbis, ac fugitivis tota Urbe quotidiè quæritandis haud unquam defatigere; ſacram verò Deo Virginem, eamque ſponte accedentem, inurbanus faſtidias?* Hæc verò, aliaque id genus effutientem his tandem verbis liberè coarguit Franciſcus. *Ne plura, quæſo. De ritè diſcutiendis animi latebris, de imploranda à Deo venia, moribuſque in poſterum corrigendis ne hilum quidem ſolicita cum ad hoc Tribunal acceſſeris; dic, ſodes, qua fronte hæc jactas? Fucatis, ac nefariis id genus Confeſſionibus aures à me præberi æquam-ne cenſeas?* Nil hiſce verbis ad inconſultam Virginis audaciam ab immani ſacrilegio deterrendam accommodatius. Patere ſiquidem homini ubi conſcientiæ ſuæ latebras intellexit, horrore perculſa, ac veluti è veterno quodam excuſſa aliam mox induit mentem; Confeſſioniſque ritè, rectèque inſtituendæ ſpatio impetrato tàm modeſta, ac ſupplex ad Franciſcum rediit, quàm ſuperba, ac petulans primùm adierat: eoque vitæ præceptore, ac duce poſtmodùm uſa, vulgari hæc omnia poſt ejus mortem voluit, quò Divinæ Gloriæ, Franciſci laudum, ſuæque ignominiæ perpetuo, ut dicebat, forent monumento.

CAPUT XVIII.

Morituris adeſt Franciſcus, ac piè, pacatèque obitæ Mortis nonnullis eſt Author.

HUic etiam oneri, quod invaleſcens in dies ſanctimoniæ opinio imponere ei viſa eſt, ſuccumbere debuit Franciſcus. Cum enim maximâ apud Deum gratiâ illum florere plerique omnes arbitrarentur; ac plurima tùm de vaticino ejus ſpiritu,

Digitized by Google

tu, tùm de patratis identidem ab ipso prodigiis loqueretur fama; hinc periculosè decumbere nunquam ferè aliquis cœperat, quin statim seù morbi depulsorem, seù vitæ, aut mortis prænuncium accitum ad se vellet Franciscum. Ac sicubi imminere ægro alicui exitum præsaga ejus verba, vel ingravescens morbus Medicorum judicio portenderet; tùm verò piè decedendi cupidos hæc potissimùm cura incessere, ut in ancipiti illo vitæ, mortisque confinio suo adhærentem lateri ipsum haberent. Contrà verò si quem improbæ vitæ studiis irretitum appetentis funeris metu plùs æquo terrendum, aut oscitantiùs extremo eo tempore acturum esse propinqui, vel domestici conjicerent; eòdem res recidebat. Ad eos quippè de extremi temporis discrimine, ut par est, edocendos, atque ad supremum iter ritè expediendos, frequentiùs longè, quàm assidua publicorum ejus laborum ratio ferret, deligebatur Franciscus. Nec laborioſi ipse muneris onus detrectans, interdiù, noctuque, quòcunque vocaretur, accurrere unquam renuit. Imò inchoatum alicubi sacræ Expeditionis opus Sociorum curæ perficiendum subinde reliquit, ne moriturо alicui in tanta re defuisse videretur.

Et sanè ex hac etiam parte nec pauci, nec pœnitendi non rarò extitere fructus. Collapsos enim ex veteris licentiæ recordatione quorundam animos ad veniæ spem ità quà precibus, quà verbis erexit, ut plenos fiduciæ ipso præsente oppetere se faterentur. Alios etiam, quos inexpectatus vicinæ mortis nuncius acerbiùs perculisset, Divinis consiliis acquiescere mira arte jussit; ut confirmato ejus dictis animo piè, pacatèque mori ipso authore condiscerent. Id, præter alios, Sacerdoti cuidam accidisse memorant, qui optimâ, ut fuerat, corporis habitudine, ad sextum, & quinquagesimum usque annum integris semper viribus, nec dum ullo tentatus morbo vitam produxerat. Pernicioſior tamen, quàm minacior invasit hunc febris, quæ tamen neminem, præter ipsum, fefellit. Conclamatum siquidem ejus vitæ cum prædicerent Medici, eorum ipse præsagitiones in risus potiùs, quàm in metus sui materiem vertebat. Quid enim sibi decedendum propediem crederet, quem nullum cibi fastidium, nullus capitis, membrorum nullus fatigaret dolor? At verò negligenter adeò ad vitæ metam pium cæteroqui Sacerdotem properare haud æquum ejus Nepoti visum. Quare, qui hominem alia omnia cogitantem tempori admoneret, Franciscum adiit, quia

Digitized by Google

tamen ei de Patrui periculo, atque intemperiis quicquam indicaret. Indicato verò opus non eſſe in ipſo ejus ad ægrum ingreſſu indubiè patuit. Perindè enim, ac de tota re ſatis edoctus, vix ſeſe in decumbentis conclave intulit; cum, *Quàm pulchrum bonum*, inquit, *ad Divinæ Providentiæ rationem animum componere!* Porrò ad hæc verba æger, attonitæ veluti mentis ſtupore diſcuſſo, proximè ſe à lethro abeſſe conjecit: mutatâque jam mente; *Equidem*, ſubjunxit, *vocanti me Deo parere æquiſſimum eſt. Id unum verò me id temporis non leviter angit, quod nimirùm non iis in Deum meritis me ornatum videam, quæ mei mueris, ac vitæ ratio poſtularet.* Quem ità ſibi metuentem Chriſti Soteris meritorum recordatione in ſpem erexit Franciſcus; eundemque ad exitum celerrimè properantem ad ritè obeunda Chriſtianæ Pietatis officia cohortatus, expiatum jam noxis, paucis poſt horis tranquilliſſimè oppetere eò lætiùs præſens conſpexit, quò introſpecto ejus animo ad cogitandum de vitæ exitu paratum minùs offenderat.

Piis tantùm verbis peracta hìc res fuit: majoris longè moliminis, nec meris tranſigendum verbis hoc aliud accidit. Florenti adhùc ævo (neque enim trigeſimum ſeptimum ætatis annum expleverat) lethali correpta morbo Victoria Scotti ex inſita vitæ cupiditate acciri ad ſeſe Franciſcum juſſit. Eum porrò ut primùm aſpexit: *Accerſivi te*, inquit, *ut vitam mihi à Deo tuis precibus impetres, Pater. Liberè enim dicam: mortis mihi nomen ipſum acerbiſſimum accidit.* Ardenter adeò lethum deprecantem ut audiit Franciſcus, qua potiſſimùm corporis parte doleret ſcitatus, eam S. Cyri reliquiis primùm ſignavit. Mox omnibus præter Ægræ Filiam (Antoniæ Aurichiæ huic nomen) deſerere cubiculum juſſis, coram affixa ad lectuli latus Crucifixi Servatoris Imagine, quartam circiter horæ partem ſtans ſe in preces dedit. Igneſcere interim orantis vultum; eumque ſummis vix pedum digitis niti, palliique oras hàc illàc fluere ſacro metu perfuſa adſtans illìc Antonia Filia conſpexit. Quo facto, pedibus Terræ violenter impreſſis, hæc ad Ægram Franciſcus: *Adesdum, Victoria: en paſſis hoc tempore brachiis donare te Cælo vult Chriſtus Soter.* Cumque ſemeſtres ſaltèm ſibi inducias flens ægra repoſceret: *At verò*, ſubjunxit ipſe, *actum de te eſt, miſera, ſi id impetres. Semeſtres haſce inducias æternus excipiet rogus; acceleratam verò nunc mortem æterna felicitas.* Erectam hac ſpe

ægram

ægram ad extergendas sacrâ Homologesi totius vitæ noxas non difficilè adduxit. Sacro dein Viatico jam non invitam extemplò reficiendam ratus; ubi nonnisi postridiè cum Cœlesti Epulo se adfuturum respondisse requisitum loci Curionem audiit; *At verò postero*, ait, *manè parentatum tibi jam erit*. Nec dicto abfuit fides; triplici enim piaculari Sacro, ac tridui precibus à Francisco priùs impetratis, bonæ spei plena tribus antè ejus diei occasum horis Victoria reapse oppetiit. Rebus ità peractis, perfunctus jam suo munere in ea domo videri poterat Franciscus. At verò ob sedulam, quam ægræ Parenti navarat, operam non dissimilem ex Matris afflatu morbum Antonia Filia contraxit: quod novo Hominis Oraculo viam aperuit. Similem enim ægritudinem ne similis maneret exitus, hæc verita, ad Francisci opem & ipsa maturè confugit. Signatâ verò ejus fronte: *Ne dubita*, reposuit ipse: *inanis te angit metus*. Nec temerè eum ità præcinuisse secuta mox Antoniæ sanitas planum fecit.

Nihilo verò minoris prodigii specie è Nostris quendam ad mortem non piè minùs, quàm hilarè subeundam suâ præsentiâ adduxit Franciscus. Philippus Revillonius hic fuit, quem vigesimum ætatis annum vix dum egressum nullis victa remediis Hectice letho addixit. In Professorum hic Domum, nè coæqualibus Adolescentibus tabem afflaret, è Neapolitano Collegio translatus, Homologetam sibi supremo eo tempore delegit Franciscum. Eum verò ipse vix audiit, cùm vultu ad hilaritatem composito; *Viden'*, inquit, *ut conceptæ sine labe Deiparæ sacra jam penè se circumegerit dies? Abesse-ne Cœlo totâ hac luce vis? Age jam, atque, ut extremo saltèm hoc tempore lætis adeò solennibus interfis, citò te expedi*. Per jocum hæc dicere visus audientibus Franciscus: at verò proximum ei exitum seriò per hæc verba prænunciasse statim patuit. Deiparæ enim Cantico, quod recitandum statim suscepit, vix expleto, dum Augustæ Trinitati Gloriam decantaret Franciscus, placidos inter anhelitus felicissimus Adolescens vivere desiit. Porrò hic, qui Philippo inter Francisci brachia invidendus obtigit decessus, Nicolaum Revillonium Fratrem natu majorem ad optandum sibi in simili morbo non absimile mortis genus, aliquot post annis, adduxit. Ob improvisum, quem hic ex ore per Sanctioris Hebdomadæ ferias, anno hujus Seculi octavo, copiosè toto biduo ejectaverat san-

Digitized by Google

ſanguinem, extremis procurandus Sacris Medicorum judicio jam videbatur. Cum de periculi magnitudine admonitus, benè ſibi cum S. Cyri reliquiis precaturum adventare ad ſe cupiit Franciſcum. Verùm cum, maximos eorum dierum labores cauſatus, ſubitum eum acceſſum petenti præter morem negaſſet; novum, atque oppido cumulatius beneficium conferre laboranti abſens eſt viſus. Præſentem ſiquidem ipſum in Valetudinarii cubiculo cernere, atque hæc inter admovendum reliquias ab eo audire ſibi viſus eſt Nicolaus: *Caput omnis hic tuus pervaſit morbus*. Nè verò vanâ hominis ſpecie ſibi illuſum putaret, ſecuta repentè ex eo viſo incolumitas vetuit. Etenim repreſſo, contra quàm Medici præſagierant, penitùs ſanguine, ſacræ Theologiæ ſtudiis operam dare incolumis valuit, quin unquam id genus morbo obnoxius poſtmodùm fuerit. Hoc verò in Franciſci gratiam pollicitus tùm voto eſt; Feſta S. Cyri luce ſe noſtro in Templo quotannis præbiturum pœnitentibus aures, ni Neapoli per id tempus abeſſe aut rerum gerendarum ratio, aut Moderatorum imperium cogeret. Nunc verò redditæ ſibi per Franciſcum valetudinis memor nihilo minori fiducia laborioſis Societatis miniſteriis egregiam adeò operam navat, ut novas ei vires nunquam intermiſſus pro Dei Gloria labor ipſe ſufficere videatur.

VE-

Digitized by Google

VENERABILIS

FRANCISCI DE HIERONYMO

VITÆ

LIBER II.

CAPUT I.

Apostolicæ Francisci Expeditiones extrà Neapolim.

Neapolitanæ Urbi excolendæ datum à Deo Franciscum fuisse ex iis, quæ memoravi, cuilibet rem æstimanti exploratum, opinor, esse jam potuit. Sed tamen non infelices adeò Regni Provinciæ fuere, ut illis, si minùs datus, ostensus saltem esse nequiret communis omnium salutis Vir cæteroquin cupidissimus. Ipsius certè operâ brevi saltem tempore ut & suæ ad pietatem excolerentur seu Diœceses, seu Ditiones, à nostris Moderatoribus plurimarum Urbium, Oppidorumque quà Antistites, quà Dynastæ enixis sæpenumero precibus petierent nec semel id beneficii ab ipsis vel impetrare, vel extorquere valuerunt. Quamvis verò & necessaria omnium amplissimæ Civitati ejus industriâ judicaretur, & auctò præterea Provinciarum lustra-

Digitized by Google

ſtrandarum labore accîdi plus nimio ejus vires; ac brevi exhauriri non ex vano ſibi Civium prudentiſſimi ſuaderent; eâque de causâ Generalis Præpoſiti chirographo repetitis multorum precibus impetrato cautum jam eſſet, ut nonniſi perrarò, magniſque de cauſis extrà Neapolim Franciſcus excurreret; huic tamen Decreto ſummorum Virorum dignitas, imò Regiorum apud Romanum Pontificem Oratorum Authoritas acritèr adeò interceſſit, ut mitiorem in partem illud ſæpè interpretari opus fuerit; atque ut magnorum Virorum petitionibus fieret ſatis, quanquam Neapoli duntaxat exercere ſe juberetur, centies tamen eidem Urbi ſubtractus in alias, atque alias extra Neapolim ditiones illum excurrere permittendum fuerit. In quibus tamen tanta novorum laborum ſeſe obtulit ſeges, ut Apoſtolici Viri partes abundè impleſſe aliquis alius cenſeretur, ſi iis, quos nonniſi obiter, ac veluti extra ordinem exantlavit Franciſcus, laboribus deditâ ipſe operâ perfunctus fuiſſet. Profectò Franciſci vitam per annorum ſeriem digerere conatus nonnemo eſt, ac de rebus ab ipſo geſtis nec brevem pertexuit elenchum: in quem ſi aliarum ejus rerum inſcius quis fortè incideret; poſt perpetuos Neapolitanæ Urbis labores generatim anteà commemoratos, ab anno evoluti proximè ſeculi LXXIX. uſque ad hujus, quod labitur, XV., nil *niſi obitas* ab eo quotannis, plurimùmque nec ſemel, alibi atque alibi Miſſiones prælegeret. Hominis proindè annos externis potiùs, quàm urbanis Excurſionibus, ingenti illarum numero deceptus, metiretur.

Jam & longum facere, & rebus ſæpè ſimilibus repetendis legentium otio, ac faſtidio abuti videar, ſi peragratis ab ipſo Urbibus, Oppidis, Pagis ſigillatim percenſendis de induſtria immorer. Facturum me igitur operæ pretium longè aptiùs exiſtimo, ſi, qua ipſe ratione, atque ordine Sacras id genus Expeditiones inchoare, obire, & conficere conſtanter conſueverit, generatim commemorem. Hoc enim intellecto, quid ſingulis in locis egerit, agnoſcere per ſe quiſque de facili poterit. Si quid verò peculiari memoriâ dignum alicubi geſtum fuiſſe comperero, indictum id abire in his, quæ poſteriùs ſubdam, minimè patiar.

Principiò igitur, ubi ad Apoſtolica hæc munia peragenda ſe aliquò conferre ſeù juſſus, ſeù rogatus fuiſſet; Divinæ Gloriæ rationibus amplificandis ut erat animo perpetim intentus, iter ipſum virtute, aut fructu aliquo vacuum ne ſibi contingeret,

Digitized by Google

ret, studiosè cavebat. Ac si pedibus ipsum minimè incedere gravis ætas, aut necessitas aliqua, subindè cogeret; certum tamen: id erat, obvios quosque hilarè; atque etiam facetè ad se audiendum allicere, brevique alloquio, quæ ipsis ad animorum incolumitatem necessaria forent, complecti. Idem in gurgustiis, idem in tuguriis, ac Pastorum mapalibus, sicubi subsistendum esset, perpetuò factum. In destinata verò Expeditioni loca pedem illaturus, occurrere sibi honorificè, tanquam Æterni Regis Fecialì ad res repetendas misso, Primores, Magistratus, Clerum gratulabatur quidem; at ad exosculandos horum pedes sese ipse demittens, officium ità rependebat, ut honorem illum non ad sui, sed ad Sacri Ministerii existimationem augendam gratum sibi accidere satis proderet. Injurius porrò ei fuisset quisquis velut de via fessum ad aliquantisper respirandum invitaret: nullis quippè animi, vel corporis laboribus unquam defatigatus, sacro statim operi manum admovere, evocatis ad Concionem Popularibus latagebat. Exinde in eorum salutem ex animo procurandam intentus; ita diei horas distributas volebat, ut rebus aliis omissis totus eorum, apud quos agebat, commodis vacare videretur.

Sacris primo manè operatus, Confessionali Subsellio affixus tandiù perdurabat, donec conscendendi suggestus horam adesse moneretur. Cibus meridiè parcus, ac poscentium operam importunitate ferè quotidiè interruptus. A prandio perindè quasi omninò manè otiatus, in Templum regressus eosdem Confessionum excipiendarum, Concionumque labores eâdem sedulitate ad primas usque tenebras repetebat. His verò se intendentibus, aut confitentibus iterùm domi aures dare, aut piorum aliquot hominum coronâ stipatus ad excitandos brevibus Concionibus, locorum indigenas, si quis fortè obstinatior inibi adesset, Urbem obambulare. Quod reliquum erat noctis, orando magna ex parte transactum ab eo fuisse deprehensum non semel. Brevis verò quies non detractis plerumque corpori vestibus, nec linteis adhibitis, quandoque etiam nec in lectulo capta: cubile siquidem non aliter ab ipso relictum persæpè apparuit, quàm primò advenienti constratum ab Hospitibus fuerat. Conclave verò illud ipsi gratiùs, quod incommodiùs, ac semotiùs esset, quò nocturnis gemitibus, ac trinâ quotidiè, matutina nempè, pomeridiana, ac vespertina corporis verberatione nulli prorsùs

Digitized by Google

contubernalium incommodaret. Jam ficubi agendum aliter esse locorum conditio postularet; Clero, aut sacris Virginibus piæ S. Ignatii Commentationes manè traditæ: à meridie Fidei rudimenta Pueris primò, ac Puellis, mox etiam ex Christianæ Doctrinæ præceptis agenda paulò fusiùs Adultioribus explicata. Concio demùm sub vesperum ad omnes in commune habita, quâ inculcatis, repetitis, infixisque Audientium animis sacræ Orationis aculeis, tonare, fulgurare, eosque motus ciere videbatur, quibus criminum horrore se concuti profusis plerique omnes lacrimis, gemitibus, miserisque ejulatibus proderent. Augebant hæc ferreæ illæ, quibus suum in tergum sæviebat, catenæ: quarum strepitu percitam adeò mulierem fuisse alicubi perhibent, ut suggestum conscendere ausa, eas è Francisci manibus abstractas in suorum scelerum ultionem justiùs adhibendas esse inclamarit.

Per id verò tempus, ea, quæ rudi plebeculæ maximo ad pietatem esse solent incitamento, Christi nempè Soteris cruciatuum, aut Deiparæ Virginis doloris gladio transfixæ Simulacra, aliavè id genus spectacula, magis, vel minus frequenter pro locorum conditione usurpabat. Quæ res tametsi multis non grata, quibusdam etiam nec probata accideret; Francisco tamen permittendam omninò eam esse, modò ejus nutu, ac prudentiâ ejusmodi spectacula exhiberi contingeret, usus, atque experientia edocuit. Ab his certè in sua Diœcesi abstinere ipsum Vincentius Capycius Teatinus Archiepiscopus jusserat: sibi enim tùm universùm probabilia nunquam hæc visa; tùm Teate potissimùm eos Civium mores esse affirmabat, ut hujusmodi imaginibus eorum animi refrigéscerent potiùs, quàm ad pietatem inflammarentur. Cui Franciscus, imperata se ex præscripto facturum, reposuit, modò ipsum in proposito perstare intelligeret. Et verò non de nihilo ita ipsum respondisse mutatus paulò post Antistitis animus edocuit. In nostrum quippè Collegium sub ejusdem diei vesperum pius Antistes accedens, injectâ animo religione pulsari sese palàm Francisco fassus est, quòd ipsum minùs liberè in sacra Missione agere cupiisset. Pergeret proindè, & quicquid in Gregis sui utilitatem cessurum putaret, id pro libito exequi ne vereretur. Ea verò omnia ubi non sine ingenti Pietatis emolumento in rem à Francisco deducta conspexit, tùm demùm agnovit, in Sacra etiam Militia quædam belli instrumen-

Digitized by Google

menta esse, quæ ad rectum, vel pravum pugnæ exitum, qua manu, & arte tractentur, plurimùm interfit. Similia omninò de piis hisce in publicum adduci jussis à Francisco Ferculis, Capuanum Archiepiscopum Nicolaum S.R.E. Cardinalem Caracciolum, iis nondùm visis, priùs sensisse memorant. At verò ad augendam Populi pietatem ea mirè facere evidentibus experimentis postmodò edoctum è sententia discessisse, Franciscique Prudentiæ, atque Authoritati in hac etiam re deferendum censuisse prodiderunt.

Sub eorum dierum finem, quos jam indè ab initio Christianâ Catechesi instruendos curaverat Pueros, ac Puellas, si ad Sacram Synaxim satis idoneos comperisset, Cœlitum veluti habitu indutos, ac floribus redimitos duplici piè supplicantium agmine per Urbem circumduci, aptisque modulis in Divinas laudes effusos adire ad Templum jubebat, Cœlestique Dape ibi primùm refectos dulcibus Deum alloquiis sibi conciliare edocebat. Gratum juxtà, ac salubre Populis hoc spectaculum fuit, ac nunquam ferè exhibitum, quin innocentis ejus ætatulæ pietas ex adultiorum oculis lacrimas, quandoque verò ex animis etiam criminum pœnitentiam expresserit. Omnibus demùm his, extremo Sacri Ministerii die, alia, ac longè frequentior pœnitentium Virorum, ac Mulierum instituta supplicatio coronidem imponebat. In ea porrò, antequam loci incolis benè precaretur, eorum, quæ in Deum commiserant, criminum recordatione injectâ, ad luctum, ac gemitus redintegrandos, ad Cœlestem iram à *suis cervicibus deprecandam*, ad vetera damna benè gestorum crebritate, ac magnitudine resarcienda eos adhortatus, valere ità jubebat, ut Cœlesti in Patria revisendorum sibi aliquandò carorum Capitum spem esse dum diceret, Æternæ Felicitatis studium eorum animis infixum relinqueret. Postremò, ut quæ Sacræ Expeditioni primam admoverat, eadem & supremam manum egregiæ animi demissio imponeret; non antè aliò divertere consueverat, nisi ab eo, qui Rebus Sacris præerat, abeundi veniam petens, propalàm humi prostratus, ultrò ignosci sibi, si quem suis fortè verbis, actuve ullo imprudens læsisset, enixis precibus postulasset. Nil porrò has nullo intercisas otio exercitationes per hæc tempora commendabat magis, quàm indefessa, atque irrequieta quædam, quam præstitit, in agendo alacritas. Ferreum, non ex communi argilla compactum crederes, quem nullo virium dispen-

Digitized by Google

dio non otio, ſed labori unicè natum arbitrarere. De extremo Judicio ſolito prolixiùs, atque ardentiùs ad populum in Fractæ Majoris Pago cum olim ſub veſperum dixiſſet; reſpiraturum aliquantiſper eum domi Sacerdos Miſſionis Socius opinabatur. Cum ad exolvendum poſitis humi genibus Divinæ Pſalmodiæ penſum rectâ eum contendere conſpicatus, feriari, ut pauxillum eo ſaltem die vellet, dum ſpiritum reſumeret, hortari comiter inſtitit. At riſu monentem excipiens Franciſcus; *Ain' verò?* reſpoſuit; *attritum me viribus cenſes? Vin' omnem hujuſce diei laborem ex integro redordiar?* Adeò novas ei vires laboris, atque exercitationis aſſiduitas ſuppeditare videbatur.

Qui porrò fructus ex hiſce laboribus paſſim extiterint, verbo ut abſolvam; iis, quos Neapoli collegit plurimos, pro locorum conditione non abſimiles equidem exiſtimo. Ubique enim veteres inimicitiæ ſublatæ, internecina odia inter Cives extincta, concubinæ aut domo exturbatæ, aut legitimo nuptiarum nodo amaſiis copulatæ, nefariæ pactiones reſciſſæ, ſubtracta per fraudem dominis reddita, prava ſcelerum exempla publicis pœnitentiæ ſignificationibus abolita, aliaque id genus plurima memorantur, Franciſci quidem ſpe alicubi majora, cupiditati verò nuſquam paria, quæ omnes paſſim mortalium animos Æterni Numinis obſequio mancipatos Divinis Legibus exactiſſim parere voluiſſet.

Inviſum ob hæc humanæ ſalutis hoſtibus ejus nomen fuiſſe, nihilque eos non egiſſe, ut ipſius induſtriæ, quos poſſent, ſuis fraudibus ſubtraherent, mirum non fuerit. Totâ priùs Urbe, nunc etiam toto Neapolitano Regno, Populis ubique acclamantibus, volitare eum viderant, ac victoriam ſecùm circumferre. Quò circà infenſo adeò ſuis rebus Duci per ſuæ factionis homines aditus omnes intercludendos curarunt, quò minùs exitiale adeò ſuis partibus bellum oſtentare, nedum aggredi valeret. Ubi hæc haud procederent; ità falſis omnia rumoribus per eoſdem interturbari moliebantur, ut malè acceptus jam nihil agere, proloqui nil poſſet Franciſcus, quin in malam partem detorqueretur; eâque re pia ejus molimina, ſi minus aperta vi, dolo certè, atque aſtu eluderentur. Hinc factum quandoque, ut quamvis vocatus, à nullo tamen alicubi excipe-retur, nec ullum, quo ſe noctu reciperet, deſtinatum nanciſceretur hoſpitium. Factum etiam, ut Sacram Miſſionem indicturo

Crux

Digitized by Google

Crux etiam, ac tintinnabulum ab ejus loci Clericis denegaretur. Falsò scilicet vulgatum hìc fuerat, ipsum, ut Antistitis exploratorem ageret, ad Cleri mores pervestigandos adventasse. Exorta alibi in Oppidanis suspicio, à locorum Dominis graviùs aliquid in subditos excogitari; quod Religionis obtentu securiùs per Franciscum extorquendum foret. Contrà injectus alibi Dominis ipsis metus, ne extemporanea pietatis simulatio subditis ad conjurandum in ipsos viam sterneret. Quibus sanè rebus in vulgus jactatis, cum alienari à Sacrarum Rerum obsequio homines sæpè contingeret; haud tamen animo cecidit Franciscus, non alio ad detegendas eas fraudes artificio usus, nisi suscepti operis assiduitate, & constantiâ, quæ magnâ in Deum fiduciâ subnixa machinationes omnes dissolveret. Ex quo factum sæpenumero est, ut parùm prospera rerum initia felicissimo, ac Populis saluberrimo totius Expeditionis exitu compensarentur. Maximo itèm adjumento ad ejusmodi turbas sedandas, ac suspiciones amoliendas lenitas ei, animique demissio fuit. Qua in re memorandum omninò illud est, quod olim haud procul Neapoli accidisse perhibetur. Cum enim in Apostolico ibi Munere versari ipse cœpisset, quibusdam ejus Concionis dictis (ex ingenio-ne, an ex conscientia, incertum) peti se, ac studiosè depingi suspicatus est quidam sacro Ordine insignitus. Hinc non privato contentus odio, alios etiam ad insectandam Franciscì imprudentiam concitavit; Hominis, ut ajebat, de Sacerdotalis Nominis dignitate, atque existimatione pessimè meriti. Cujus iniquæ criminationis invidiâ adeò conflagravit Franciscus, ut à Sacris Hominibus ad profanos, ut fit, eo rumore dilapso, alienatam à se Plebem, retractos à Sacris Ministeriis Cives, vacuum Auditoribus Templum, refrixisse denique ibi Pietatis studium omne penitùs viderit. Tàm subitæ igitur mutationis causam edoctus, hoc ad iratam sibi alieno vitio multitudìnem pacandam consilium iniit. Statâ posteræ diei horâ suggestum pro more conscendit; indèque tot in se probra, ac maledicta congessit, quot in ipso furoris impetu succensentium sibi hominum effutire ausus fuisset nemo. Mox si quod verbum sibi imprudenti in Concione aliàs excidisset, quo læsum se quisquam opinaretur, ejus errati veniam demissè se petere addidit. Quo inexpectato declamationis genere conciliatis iterùm sibi Oppidanorum animis collapsum importuni obtrectatoris culpâ Pietatis studium instaurare statim

va-

Digitized by Google

valuit. Imò ipſe pariter iniquæ criminationis Author ſupore defixus totidem in Cœlum laudibus extollere Hominis virtutem toto eo tempore ſtuduit, quot anteà falſis accuſationibus innocentiam, famamque proſciderat.

Ejuſdem pariter Virtutis vi, quam è rebus peregrè geſtis conflare ei invidiam nequiſſimi obtrectatores Neapoli cœperant, diſcuſsâ poſtmodum re, in ſui admirationem convertit. Fractam Majorem (Averſanæ Diœceſeos frequens, ac celebre oppidum eſt) Sacra Expeditione luſtraverat Franciſcus: ibique, quòd ob imminentem feſtâ S. Cyri luce celebritatem abeſſe Neapoli haud poſſet, eam, quæ extremo die fieri conſuevit, pœnitentium ſupplicationem omittendam cenſuerat. Id verò loci incolis incongruum adeò viſum, ut in Neapolitanæ potiùs Urbis amplitudine faciendum decreverint, quod intrà Oppidi ſui anguſtias facere haud licuiſſet. Vix verò incognitum, atque inexpectatum Advenarum ſupplicantium agmen tàm longo ordine Neapoli apparuit; cum plurium oculis partìm grata ipſa rei novitas accidit. Cujus quoniam Author ferebatur Franciſcus, intorti ſtatim in ipſum ſermonum aculei; nec defuere, qui ejus in id genus negotiis Prudentiam deſiderari palàm obloquerentur. Se verò arrepti ab iis Oppidanis conſilii omninò inſcium otioſorum Hominum dicacitate inauditum damnari, familiariter licet ferret, tacitus tamen diſſimulavit Franciſcus. Donec comperto, non ipſius conſilio, ſed proprio impetu eos homines illud importunæ Pietatis officium aggreſſos: ſuâ quiſque loquacitate damnatâ, ad ejus Virtutem prædicandam eò ſe ſtudioſiùs contulit, quò admirabiliùs ipſis viſum, Hominem, cujus laboribus pro communi ſalute ſuſceptis par nulla eſſe poſſet gratia, convicii, calumniæque telis appeti, ſuâ tamen innocentiâ fretum de nulla re conqueri, ac ne verbum quidem ad illatum ſibi crimen diluendum objicere.

Hæc ad eludendas inferni Nebulonis fraudes ſua virtute egit Franciſcus. Quæ verò non per ſuos Emiſſarios, ſed per ſe ipſum molitus non ſemel in eundem fuerit Tartareus veterator, dicenda erunt in loco.

CA-

Digitized by Google

CAPUT II.

Missionum Neapoli finitimarum peculiaria quædam eventa.

REstat jam, ut quæ ipsi Apostolicum munus obeunti quibusdam in locis peculiariter memoranda obvenerint, quoad ejus fieri potest, singillatim expediam. Cumque, præter Calabriam, nulla sit Regni Provincia, cui ipse excolendæ non adlaborarit; ab ea, quæ omnium prima, ac præcipua est Felix Campania, narrationem exordiri æquum censeo.

Ac principem sibi jam locum vindicat Capua, Veterum Scriptorum suffragio Campaniæ Urbium Caput: Romæ, & Carthagini magnitudine, ac dignitate olim non impar. Ipsum Francisci ad hanc Urbem iter prodigii specie aliqua illustrari visum. Etenim cum publicâ de via nonnihil deflectere imperitum cæteroqui Campani agri aurigam ipse jussisset; quæ ipsum vehebat missa à Campano tunc Antistite, pauciſque post annis S. R. E. Cardinali Nicolao Caracciolo biga prælto alicubi adeò inhæsit luto, ut nullo equorum conatu emergere indè jam posset. Aurigam igitur ubi frustrà in ea extrahenda niti, ac suorum æqualium more, in diras, atque execrationes petulanter erumpere vidit Franciſcus; *Parcius hæc*, inquit, *ò Bone: quid opem desperas? E' vicinis hisce agris aderit mox aliquis, qui in difficili hoc anfractu ligone adhibito viam nobis expediat*. Cùm verò hominis ne vestigium quidem in ea solitudine deprehendi efferatior opponeret Auriga; eccè bini Juvenes adesse repentè visi, ac ligonibus cœnum celeriter adeò arcere, ut solo complanato iter pro more vix incitati arripere valuerint equi. Quod sanè beneficium eò admirabilius eo die est visum, quòd beneficos Adolescentes nullâ expectatâ gratiâ sese Franciſci, ac Socii oculis citò subduxisse est animadversum. Cœlestes proindè eos Genios fuisse, qui hominum rusticorum specie opportunam ei opem in eo discrimine attulerint, totius facti seriem edoctus conjecit nonnemo.

In ipsa verò Urbe tùm mirificum in Campanis omnibus Fran-

Franciſci audiendi ſtudium fuit: tùm vulgato, glutitis ejus veſtium fruſtulis mulieres duas ex ægritudine convaluiſſe; eo impetu ad earum ſegmenta ſurripienda certatim eſt convolatum, ut palàm per Urbem ingredi nec poſſet, quin pallium, aut tunicam novaculis clàm ipſi abſcindi contingeret. Fuitque in ipſo noſtri Collegii aditu aliquis pii ejus furti adeò cupidus, ut, cum aliâ re nequiret, veſtimenti ejus præſegmen dentium morſu diſciſſum acceſſerit, Franciſco ad hujus increpandam audaciam nequicquam obverſo. Exortâ certè ibi ejus amuleti cupiditas illud effecit, ut, quò decenter in publicum prodiret, aliis indutus veſtibus redire Neapolim debuerit.

Illuſtriores ſunt Nolanæ expeditionis eventus, anno præſertim à Virginis Partu MDCC., quo primùm excolendam eam Urbem ipſe ſuſcepit. Nunciatum in ea Diœceſi vix eſt, adeſſe Nolæ Franciſcum; cum ejus audiendi ſtudio exciti è conterminis Oppidis, Pagiſque turmatim indigenæ, quindecim paſſuum millibus etſi quidam abeſſent, illùc pœnitentium habitu, ac ſupplicantium ritu inſtructis agminibus contendere non dubitarunt. Hinc quotidianæ Concionis locus, non Cathedralis Ædes tot concurſantibus excipiendis jam impar, ſed Templi fores fuere; in eo, quod iis protenditur, ſpatio confluentium *multitudine* collocatâ. Immò audientium frequentiâ in dies augeſcente, ut ſine ullius periculo tranſigi res poſſet, conſultius extremo die viſum in ea, quæ noſtrum ambit Collegium, longè ampliori areâ adventantibus Populis benè precari. Id verò dum præſiturus jam eſſet Franciſcus, ac plurima diceret, quibus animos ad plenam noxarum Indulgentiam conſueto ſacrarum Miſſionum ritu lucrandam pararet; novæ veluti rei contemplatione defixus, pauliſper interſiſtere, atque oculos in Cœlum attollere viſus: tùm gemitu ex imis præcordiis ducto, *Heù*, inquit; *dum tàm multos criminibus expiatos fauſtâ à me precatione dimitti Chriſtus Soter hìc jubet; haud procul hinc nefaria in domo ſceleſtiſſimè contemnitur*. Quibus enunciatis ad abſolvendam Concionem proceſſit. Nihil verò temerè ipſum dixiſſe paucis poſt diebus reſcitum. Quis enim, atque ubinam turpiter eo tempore ageret, diù ignorari non potuit: uti nec peſſimus, quem paulò poſt fortitus infelix ille eſt, vitæ exitus. In ſua enim obſtinatione defixus, irato Deo, nullis expiatus ſacris miſerrimè deceſſit.

Per eos item dies dum Hippolytam Maſtrillam Michaelis Cæſa-

Digitized by Google

Cæsarini Uxorem à recenti puerperio decumbentem, ne honesto erga nobiles adeò conjuges deesse videretur officio, invisit Franciscus; ubi quem lætissimè illi susceperant allatum sibi aspexit infantem, exporrectâ ad hilaritatem fronte, brachiisque ductis: *Prob*, ait, *Cœlestis Patriæ Angelum! Prob te felicem, Puer!* Quæ dum iterùm, atque iterùm alienato veluti à sensibus animo repetit, sermone ad Nobilis Matronæ Virum converso, *Cœlum*, addit, *ab innocentibus occupari Deum velle fatearmur oportet; quandoquidem infantes eò transvehi jubet. Adultioribus quàm difficilis in eam sedem aditus est!* Quorsum hæc de infantibus dicta tenderent incerti secum dum reputant conjuges, quadragesimo post die cum lacrimis intellexere. Etenim levissimo afflatus morbo Puer Cœlestem in Patriam, uti Franciscus præsenserat, transferri feliciter debuit. Nec memoriâ minùs dignum id, quod sub idem tempus Catharinæ Curtopassæ Nobilis Matronæ lacrimis datum. Filiorum hæc, Felicis, atque Annæ, è Nobili Mastrillorum prosapiâ, pari vitio linguam laborare eò angebatur magis, quòd eum morbum auctâ ætate usque adeò non minui viderat, ut turpiter potiùs balbutire ambos doleret. Quò anxiam igitur Matrem eâ curâ eximeret Franciscus, sacratam Sancti Cyri lipsanis aquam utrique bibendam præbuit: vitioque de facili sublato, liberè postmodum ità eloqui uterque valuit, ut nullum hæsitantis linguæ vestigium exinde retinuerint.

Jam, ne Aversanam Diœcesim silentio prætercam, facit præcipuè non ignobile ejus Ditionis Oppidum Cæsa. Hùc sacrum obiturus Ministerium pedem vix intulit Franciscus; cùm & ab eo, qui sacris, & ab eo etiam, qui profanis ibi rebus præerat, juxtà audiit, aut inutilem, aut publicæ rei pernicioſam eo tempore Missionem fore. Duorum quippè factiosorum potentiâ distractos in partes Oppidanorum non paucos esse: timendum proindè, ne gliscentibus utrinque partium odiis, in ipsis Sacræ Ædis penetralibus per summum nefas non sine cæde, & sanguine ad arma concurreretur. Profectò tanti periculi metum Popularium animis adeò incessisse, ut domi se potiùs continere, quàm aperto se discrimini objicere constituerint. In opportuniora igitur tempora opus illud differre ne gravaretur. Quò enim conciones in Templo, quod Auditoribus vacuum omninò fore conjici non ex vano posset? Hæc ipsi. His tamen consiliis

Digitized by Google

ſtandum non eſſe cenſuit Franciſcus: eique, quem tunc Miſſionis Socium habuit, Gaſpari Petruccio Societatis Sacerdoti obverſus; *Precibus*, inquit, *hic opus eſt, Pater: cæterùm Magnus Cæſæ Patronus S. Cæſarius Divinæ nobis opis affatim, ſpero, impetrabit*. Mox ad indicendum, ut fit, ſacrum Miſſionis tempus progreſſus, ingentem Popularium concurſum ad ſacram Ædem fieri præter opinionem, ac ſpem ſtatim videt: atque in his eſſe etiam audit utriuſque adverſæ factionis Duces; alterumque armatum è ſuggeſtus regione ſpectabilem ſe multitudini præbere: ab altero verò armis æquè inſtructo Templi latus illud, quod ſuggeſtu tegitur, occupari. Quid in tàm ancipiti re conſilii caperet non diù deliberavit Franciſcus. Utriuſque partis audaciam nulla re meliùs, quàm gravi ſſimâ de æternis Damnatorum pœnis concione retundi poſſe exiſtimavit. Quod dum ipſe è ſuggeſtu vehementiùs præſtat; ecce conſperſorum cinere Sacerdotum coronâ ſtipatum Sancti Cæſarii Simulacrum è Veſtiario in Templum pio ritu deducitur. Hoc ſcilicet ſpectaculum ad Populum ex injecto æterni ignis metu traducendum ad lacrimas cum iis ante concionem ipſe condixerat: exhibitum verò longè majorem Franciſci ipſius expectatione ſucceſſum habuit. Nam & auditarum rerum terrore, & pio complorantium gemitu perculſus is, qui procul ſuggeſtu conſederat factioſus, ſupplex ad Franciſcum pergens; *Potin'*, inquit, *ut aliquantiſper taceas, Pater; quò mihi luce hac è ſuperiore hoc loco ad Populum dicere publicè liceat?* Quo dicto, armatus ut erat, in ſuggeſtum à Franciſco admiſſus, ſilentio circumfuſæ multitudini indicto, nec difficilè pro tantæ rei novitate impetrato, agentis ibidem inimici ſui nomen palàm appellat; atque, *Adesdùm*, ſubdit, *mecum, ac ſuſpicione depoſitâ, adeſdùm, ut paucis te alloquar. Ità eſt profectò: capitale in te odium me hactenùs exercuiſſe nil eſt cur inficier. In ejus nempè, quem in oculis ferebam, Fratris crudelem interfectorem hoc egi. At verò cum pendens è Cruce hic Servator, & Dominus ignoſcendum inimicis eſſe præcipiat, Legemque hanc hujuſce Præconis ſui nunc voce denunciet; en liberè pareo: doloremque, atque injuriam omnem ex animo tibi condonatam volo. Utque bona me fide in gratiam tecum redire planum faciam; extincti Fratris loco te poſtmodùm mihi fore recipio. Fratrem te appello: Fraternis in te officiis nulla me in re ex hac die defuturum ſpero*. Suggeſtu mox relicto, armiſque projectis, ad dexte-

Digitized by Google

dexteram cum Fratris homicida jungendam convolat. Quem obvium arctè complexus, novum cum illo Pietatis certamen palàm aggreditur: uter nimirùm veniæ pedum oſculis impetrandæ honorem prior occupet. Porrò tàm ſanctè firmatæ Pacis ſpectaculo nihil toti Oppido lætius, nihil etiam ſalubrius fuit. Etenim inſignis adeò exempli famâ vulgatâ inflammati ad Pietatem Populares ſacræ Miſſioni longè frequentiùs adfuere, quò publicæ tranquillitatis reſtitutor Franciſcus, paciſque inter homines ſuâ concione Author, pacis item cum Deo ſtabiliendæ ſequeſter ipſis jam foret. Ità quæ in cædes, & publicam perniciem eruptura credebatur, ſingulari Dei ope in maximum Cæſæ emolumentum ſuſcepta Expeditio ceſſit.

Nec verò minus recordatione dignus eſt, quem Cardèti, alio ejuſdem Diœceſis in Oppido, in duabus fœminis ad injuriarum, atque odii oblivionem adducendis diſparem animum, ac voluntatem offendit. Et harum quidem alteri prodeſſe ſtatim potuit: in gemitus quippè effuſa, ac genas unguibus diſcerpens Cruci ſe coràm Franciſco tacita advolvit, lacrimis nimirùm fandi copiam inhibentibus. Ejus quippè animo interfecti quinquagìnta circiter antè diebus Filii ſpecies altè inſidebat. Hanc acerbiſſimi doloris ei cauſam eſſe ut primùm à loci Curione reſcivit Franciſcus, miſeram mulieris vicem miſeratus, ac pietatem collaudans, quàm à Deo ingentem initura eſſet gratiam ſtatim commemorat, ſi dolori imperans ſuo, Servatori hominum Chriſto recentis adhuc injuriæ oblivione litaret. Quod dum in Divinæ *Legis obſequium* facturam ſe recipit fœmina, nec per ſe ſtare addit, quominùs ad oſculandas homicidæ manus accedat: ad tàm eximium Chriſtianæ virtutis exemplum exiliens Franciſcus, homicidæ propinquos adeſſe è veſtigio jubet, pacemque, mutuæ benevolentiæ ſignificationibus Chriſtiano ritu palam exhibitis, eodem in Templo ſanciendam curat. Qua in re eò mirabiliùs deponentis odium fœminæ ergà Deum obſequium eluxit, quòd inimicis in gratiam vix receptis linqui ſtatim animò cœperit: adeò ejus conſtantiæ conceptus ex Filii nece dolor obſiſtere valuit. In ſimili verò calamitate alterius ibidem Matris affectus omninò diſſimilis. Confirmatis hæc ex occiſi Filii Diaconi mœrore odiis, Chriſtiani officii immemor jamdiù ævum agitabat. Quam piorum hominum conſpectum ipſum de induſtria declinantem conveniendam domi exiſtimavit Franciſcus.

Digitized by Google

Adit, alloquitur, rogat, obteſtatur: at ſurdis auribus ſe nequicquam obſtrepere experitur. Imò habere ſe aliquid, quo monentis dicta refellat arbitrata, armarium coram eo aperit mulier, extractaſque indè ſanguine conſperſas Filii veſtes oſtentans; *At neque his*, inquit, *crudeliſſimorum hominum in Filii mei nece expleri ſævities potuit. Confeſſionis copiam ſibi extremâ eâ ſaltem horâ fieri infelix cum peteret, ne audiri quidem à nequiſſimis hominibus meruit; ut confeſſionem nequicquam inclamans inexpiatus interierit. Hanc ego injuriam ut ex animo deleam? Efferatis hiſce hominum animis ego-ne ut ignoſcam?* Difficili ſe in aleâ verſari ex his fœminæ dictis collegit ſtatim Franciſcus: in ejus proindè animo deliniendo ubi operam ſe ludere animadvertit, ad ejus Viri, mitioris ab ingenio hominis, aliorumque propinquorum flectendos ad Chriſtianæ Caritatis legem animos curam omnem detorſit. Quibus demitigatis, ut in ferocientem fœminam ab ea obſtinatione revocandam pro virili incumberent, facilè perſuaſit. Quod tamen nonniſi poſt impetratum Sancti Franciſci Xaverii ope inſigne beneficium voti rea tandem præſtitiſſe ea mulier perhibetur.

Hæc S. Franciſci Xaverii injecta opportunè mentio illuſtre aliud beneficium in memoriam reducit, quod ab ipſo Magdalenæ de Fuſco ſuæ Cardeti hoſpitæ eodem Miſſionis tempore impetravit Franciſcus. Hujus, dum in Templo pro Sacri Veſtiarii foribus fortè tranſit, ærei tintinnabuli loco moti pondus, atque impetus caput ità contudit, ut abnormiter ex ictu intumeſcens aurium, ac linguæ uſum fœminæ ademerit. Id ubi ſub veſperum è concione redux reſcivit Franciſcus, afflictæ eo caſu mulieris Matrem confeſtim advocat, ac *Magdalenam*, inquit, *meo nomine è ſtrato proſilire, atque ad me ocyùs accedere jube: hìc enim in ſcalis ipſam opperior*. Paruit illicò Mater: at nonniſi tertiò vocata parere valuit filia. Cui vix conſpectæ ſubridens Franciſcus; *Ageſis*, ait, *ſacram Ædem nondum obſeratam adeas volo. Ibi ab Ædituo S. Franciſci Xaverii imaginem pete: mox ægro capite ejus cordi admoto, & ſalvere ipſum plurimùm meo nomine jube, & ſubitam tui curationem me petere nuncia*. Nihil hoc mandato efficacius ad fœminæ curationem fuit: teſte enim Gregorio Zampella loci Curione, illud ad unguem executa mulier è ſacra Æde incolumis domum repetiit.

In aliis verò duobus ejuſdem Diœceſeos Pagis, quorum alte-

Digitized by Google

alteri S. Anthimi, alteri S.Elpidii, corruptâque vulgò nunc voce *S. Arpini*, Ædes nomen fecit, quid in disturbandis nefariorum hominum consiliis Franciſci virtus, imò & nomen ipsum posſet, luculenter enituit. Et ad S. Anthimi quidem brevioribus ſclopis armati ad inferendam inimico necem seſe ſicarii quidam intulerant. Exequendo nempè ſceleri nil pacato Miſſionis tempore opportunius esſe arbitrati, in ſacra ipſa Ædeeò tutiùs oppſimi incautum posſe ſperaverant, quò hujuſmodi ſuſpicionum minùs ſacri loci, ac temporis Religio ingereret. Et verò turbatum immani eo facinore rem Divinam iri, omnibuſque eam rem terrori, plurimis etiam periculo fore impii ſcilicet homines nil penſi habebant. Immane verò flagitium ſubodoratus Franciſcus hac tantùm arte comprimendum ſuſcepit. S. Anthimi Tutelaris Simulacrum in Ara expoſuit, ejuſque dexteræ literas veluti quaſdam inſeruit, quibus ex eo Templo, & Pago emigrandum ſibi esſe ſignificare videretur. Hoc enimverò ſpectaculum ad cladem evertendam ſatis fuit: hoc enim indicio patuiſſe jam ſuam fraudem nefarii homines ſuſpicati, ejus exequendæ conſilio abjecto, libertati ſuæ ut conſulerent, fugâ ſe indè proripuere.Idem prorsùs ſcelus ab his ad non longè disjunctum S.Elpidii Pagum paucis poſt diebus tentatum, ubi ſacri pariter temporis Religione abutentes, ut redeuntem ſub veſperum è concione inimicum necarent, ſeſe in inſidiis collocaverant. Simul verò eundem Franciſcum hìc agere deprehenderunt, qui hujuſmodi aſtus nuper ad S. Anthimi irritos cadere coegiſſet, ejus nominis ſeù terrore, ſeù obſequio permoti, non ab aliena ſolùm cæde continendas ſibi manus, ſed ad propriæ ſalutis conſilia animum adjiciendum esſe cenſuere. Quare Franciſco adito, projectiſque ad ejus pedes armis, tùm, quod animo deſtinaverant, homicidium, tùm alias, quibus ſe in vitâ implicuerant, noxas non ſine lacrimis aperuere; ejuſdemque poſtmodùm ductu ſaniora conſilia agitare cœperunt. Tantæ, ni fallor, victoriæ felicitas exercitæ ab ipſo in hoc Pago conſtantiæ præmium fuit. Subortis quippè hìc penès ſacri, profanique Ordinis indigenas, imò penès Toparcham ipſum vanis de ipſo ſuſpicionibus, parùm adeò acceptus initio ejus labor fuit, ut ad eum audiendum duodecim duntaxat convenerint. Abalienatos proindè omnium ab eo animos animadvertens is, quo tùm ſocio utebatur, non ab re fore inſinuavit, ſi indè aliò ad Miſſionem diverterent, ubi Apoſtoli-

ſtolicum munus eò utiliùs obirent, quò gratiâ apud Populares valerent magis. Contrà verò, *Minimè gentium*, repoſuit Franciſcus; *imò ſiquam unquam aliàs, hanc certè Expeditionem Popularibus hiſce & gratiſſimam, & ſaluberrimam fuiſſe gratulabimur*. Nec dicti fidem fefellit eventus; brevi enim temporis ſpatio factum, ut ſuſpicione omni dimotâ, eò ſtudioſiùs ad ſacrum opus Populares juxtà, ac finitimi confluerent, quò negligentiùs operam eidem navare inchoaverant.

CAPUT III.

Sacræ in Ænariam Inſulam Excurſionis præcipua documenta.

IN iis, quæ Neapolitanum litus ambiunt, Inſulis celebris tùm veterum fabulis, tùm præcipuè omnigenâ ſalubrium balneorum copiâ Ænaria eſt, à Coxendicis, quam in Monte exhibet, formâ ἰσχία è Græco fonte incolis vulgò nunc dicta. Hujus etiam Inſulæ tùm Urbem, tùm Oppida Franciſci illùc ad ſacram Miſſionem appulſi virtus, ac patrata S Cyri lipſanis mira non pauca, anno elapſi proximè ſeculi nonageſimo ſeptimo in geſtarum rerum admirationem attraxere.

Et in Urbe quidèm hac ægri curatione inſignem potiſſimùm eam Miſſionem fuiſſe teſtatus ſuo chirographo eſt Cathedralis Ædis Canonicus, & ſummus Homologeta Joſeph Meſſina, Apoſtolici Tabellionis Scipionis Mazzellæ publico documento in calce teſtimonii adjecto. Michael Angelus Pilatus ex aquæ intercutis morbo decumbens, ac pro depoſito à Medicis habitus, extremi veluti remedii loco vocandum ad ſe per Uxorem Franciſcum curavit. Qui mensâ, cui tùm aſſidebat, confeſtim relictâ, jacentem ut primùm conſpexit, *Vales jam*, hilarè inquit, *quid animum deſpondes? jam vales*. Nec vanam valetudinis ei ſpem injici ex eo ſtatim patuit, quod prout repetitis ſubindè iiſdem hiſce verbis, manum per ægri ſtomachum, ac pectus ducere ipſe perrexit, ità diſtentos abnormi tumore artus contrahi, ac veluti inter ſe coire erectus in valetudinis ſpem confeſtim æger animadvertit. Ut hujus tamen beneficii laudem in

Sancti

Digitized by Google

Sancti Cyri patrocinium de more ipse referret; ubi ægro reliquias, sacratamque ejus Martyris nomine aquam porrexit, *Ex Medicum*, addidit, *en Pharmacum. Stratum proindè cras tute relinquito, atque ad matutinum Sacrificium in Templum sanus progreditor*. Inopinatum adeò imperium examussim exequi prosiliens præter omnium spem è lectulo valuit æger: eoque die domi cautè transacto, in Templum postridiè progressus, & Sacro interfuit, & restitutæ valetudinis fidem obstupefactis admirabilis rei exitu spectantibus fecit.

Plura, futurique temporis memoriâ digna æquè sunt, quæ *Forìæ*, Populoso ejus Ditionis in Oppido, publicis item literis gesta perhibentur. Primò enim, quod ibi ejusdem S. Cyri nomine dispertiendum in ægros sacravit oleum, quamvis pro ingenti petentium numero exhauriendum eo anno videretur; toto tamen triennio distribui perindè singulis potuit: ut crescere, non imminui refusum è phiala liquorem illum testatus publicè fuerit oculatus testis Cajetanus Surrentinus ejus loci Tabellio. Nec, nisi post vulgatam apud Populares tantæ rei famam, mirabile hoc prodigium desiisse idem addidit. De Uxore sua Birgitta Melòne idem prætereâ adjecit, quod traditas sibi à Francisco S. Cyri reliquias suis ipsa manibus pectori, prout jussa fuerat, admoverit: eoque attactu diuturnum, ac nullâ Medicorum peritiâ exarmatum tumorem è mammarum altera abactum brevi tempore senserit: nec nisi duodevicesimo post anno sanguinis profluvio triennium continenter exercita, vitæque ejus exitu à Francisco per literas his verbis prænunciato, *cogitandum de Fœminæ animo esse*, è vivis excesserit.

Longè his potiora, quæ in Agnello, Antonii de Lustria, & Rosaliæ Mascaræ filio, duodecimum miserrimæ vitæ annum agente iisdem ab ipso reliquiis attacto cernere ibidem licuit. Septennium huic vix egresso inflexa extrorsùm spina ut dorsum gibbo, ità nervorum omnium compagem adeò vitiaverat, ut nonnisi in ventrem prono cubare, nec cibum nisi quadrupedum more in os admittere toto jam quinquennio ei integrum esset. Hunc inter gemebundi Genitoris brachia ad se adduci ut primùm aspexit Franciscus, præmissis ad Deum precibus, & reliquiis attigit, & bonæ spei plenum domum remisit. Valuisse porrò eas preces patescere postridiè mœstis Pueri Genitoribus cœpit. Etenim cum diuturni decubitus tædio, lectulum aliquantisper deferere optas-

set

Digitized by Google

ſet Puer, Matris indè ope ereptus, moliri ſeſe incurvus manibus, ac pedibus tùm primùm in cubiculo exorſus eſt. Firmatis verò in dies ſenſim poplitibus, ſexto poſt menſe in pedes erectus coram obſtupefactis prodigii magnitudine Popularibus, toto quo ſupervixit octennio, ingredi quò vellet, liberè valuit: quo tempore elapſo alterius generis morbo oppreſſus vivere deſiit.

Expeditionis denique hujuſce extremum diem ſecuta cujuſdam calamitas diù memorabilem reddidit. Supremâ nimirùm concione conciliatis jam Deo Oppidanis benè precaturus Franciſcus, eos ut Divinæ ultionis metu in officio contineret, in eum potiſſimùm diram execrationem præmiſit, qui primus inibi humano ſanguine manus pollueret. Sed tamen impotenti iræ æſtu non ità poſt multo abreptus in fœminæ vitam ſævire ex ipſis quidam eſt auſus. Id verò Neapoli iam agens ubi primùm audiit Franciſcus; interfectoris miſeram dolens vicem, *Proh infelix!* inquit: *Denunciatâ eo die execratione jam ſe devinxit*. Et verò devinctum eâ eſſe mutatus ex eo tempore homicidæ animus, ac vultus prodidit. Admiſſi enim flagitii conſcientiâ exagitatus, oris pallore, humanique omnis commercii fugâ Cain homicidæ, nullo inſequente profugi, memoriam ejus Inſulæ incolis diù repræſentavit.

CAPUT IV.

Quibus potiſſimùm rebus tùm Beneventana, tùm ſemeſtris alia in utramque recentis Samnii Provinciam memorabilis Franciſci Excurſio fuerit.

PAuca hæc duntaxat è rebus à Franciſco in Felici Campania geſtis colligere integrum fuit: plura, ac fortaſſe his potiora tùm hìc, tùm alibi negligentiùs, ipſo vivo, obſervata, temporis deindè injuriâ periere. Nam Beneventum, Urbem apud Veteres Samnii Caput, quater ab ipſo Miſſionibus intercisè

Digitized by Google

cisè lustratum in traditis mihi à gravissimo Viro accuratioribus schedis perlegi. De iis tamen peculiari memoriâ dignum quod referam, nihil habeo præter id, quod suis ad Franciscum literis humanissimè testatus est S.R.E.Cardinalis Fr. Vincentius Maria Ursinus Beneventi Archiepiscopus, idem, qui Benedicti XIII. nomine assumpto ad Catholicæ Ecclesiæ gubernacula sexennium sedit. Ad ipsum igitur, ad quem cæteroqui nullo non die è Pontificali Solio audiendum sese pius Pontifex contulerat, ità hæc, quæ Latinè reddo, Italicè scripsit.

Clericus Sebastianus Limosanus, in meo Seminario educatus, sex, aut octo dierum spatio aurium usum omninò amiserat. Ad affectam partem S.Cyri oleo P.V. manu sacrato inungendam excitatus, pio huic Amuleto Adolescens initio haud multùm fidebat. Deindè (fuitque hoc Dominico die) ad Pœnitentiæ, atque Eucharistiæ Mysteria accedere voluit; Sanctique Martyris implorata ope, obliniri aures eo liquore non renuit. Quo facto, exclamavit protinùs: Audio, audio: exindèque optimè, ut priùs, audire jam pergit. In Archiepiscopalem Domum ejusdem hujus diei vespere dum redeo, nobile hoc prodigium accidisse comperio; deque eo nullâ interpositâ morâ, P.V. certiorem facio, quæ post tot surdorum animorum aures mirabilibus concionibus restitutas, reddendarum item meo, quem nominavi, Clerico corporis aurium instrumentum fuit. Sit Sancto laus: sint etiam Deo rerum omnium Largitori gratiæ. Hæc Maximus Vir ità enucleatè, ut nihil eis addendum supersit.

Abellinum etiam in Hirpinis, Urbem in Beneventani Metropolitæ Provinciâ positam, bis earundem Missionum causâ profectus, ibi in harum alterâ publicanorum avaritiâ jampridem inductam alearum, taxillorumque consuetudinem, utpotè multorum criminum seminarium, omni studio eliminanda m suscepit: quò nempè impiis in Deum, ac Superos verbis, perjuriis, fraudibus, aliisque id genus sceleribus viam obstrueret. In tanta verò aleatorum infrequentia decoxisse se jam arbitratus urbani ludi redemptor, in abolitæ corruptelæ authorem Franciscum præcipiti excanduit irâ. Nec sui jam potens, tot in eum probra congessit, quot homini colligendæ undecunque pecuniæ cupiditate inflammato conceptus ex lucri desperatione suggessit furor. Infensum hominum generi inter alia eum appellavit, quibus omni laborum levamine interdictum vellet. Ità effutien-

Digitized by Google

tem, nec unquam interpellatum flexis humi genibus audiit Franciſcus. Obloquendi verò finem facere jam viſo, *Ignoſce*, repoſuit, *ſi bono in hoc Cives animo, tuis ego rebus invitus incommodarim*. Blanda hæc, modeſtiæque plena Franciſci vox furentis hominis impetum adeò fregit, ut ſui eum pudere ſtatim cœperit: ac fortaſſe excitatam in ſe aliorum iram hic metuens ex omnium conſpectu ſe repentè proripuit.

Ad hujus denique Expeditionis coronidem admirationi hoc etiam fuit. Extremò laborum die vehementiùs effuſus è Cœlo imber pœnitentium ſupplicationis per Urbem de more circumagendæ ſpem prorſus omnem præcidere videbatur. Circumactum nihilominùs eam iri apertè ſocio prænuncians Franciſcus: *Supplicatio*, inquit, *pomeridianis horis ritè curabitur*. Nec aliter præter expectationem evenit. Quamvis enim ingentem pluviæ impetum collectæ toto eo tempore minarentur nubes; quietis tamen, ac ſecuris ſupplicare Civibus publicè licuit: quouſque eo opere ex ordine peracto, ſublatis veluti repagulis, in Abellinenſem Urbem, & agrum collectus ille nimbus ingenti ſtatim fragore prorupit. Idemque prorſus in Fractæ Majoris Oppido eâdem ſacræ Miſſionis occaſione idem Franciſci Socius iterùm contigiſſe teſtatus eſt.

Præter has tamen, quas breves, ſtatiſque definitas temporibus ſuſcepit Miſſiones; anno hujus ſeculi quinto, continenti ſex menſium ſpatio Neapoli ipſum abeſſe piiſſimi quique Civium doluere. Utriuſque ſcilicet Samnii (Aprutium vulgò nunc dicimus) Antiſtitum, ac Dynaſtarum repetitis petitionibus moræm ut gererent Moderatores, in eas ipſum Provincias contendere eâ lege indulſerunt, ut nonniſi dimidium anni ſpatium utrique Provinciæ peragrandæ attribueret. Eò verò ſe mitti, nonniſi pergratum Franciſco accidit; vaſtum quippè ibi ad egregios æquè, ac perutiles incolis labores patere ſibi campum eſt arbitratus, ſi plurimis duntaxat, quibus Samnium abundat, opilionibus excolendis operam daret: quos nempè extrà Urbes perpetua ovium, atque armentorum cura in æternæ ſalutis penè oblivionem adduceret. Id tamen operis quominùs aggrederetur, ejus Regionis Urbes, atque Oppida ſolicitè prohibuere. Præter æquum ſcilicet, & fas fore prætendebant, ut ab iis enixè adeò expetitus, aliis prodeſſe jam vellet. Poſſe opiliones, ſalutis modò ſuæ memores eſſe cuperent, in Urbes, & Oppida per vices accedere;

ità-

Digitized by Google

Itàque & animum noxis expiare, & iis imbui documentis, quibus ad Divinæ Legis normam mores informarent. Si quid amplius vellent; pergerent porrò, ac diuturnioris in iis Provinciis moræ veniam ſuis petitionibus Franciſco & ipſi impetrarent. Urbibus interim datum, Urbibus vacare permitterent.

Ob hæc, priori curâ intermiſsâ, ſacris Excurſionibus inchoandis opportunum præ cæteris citeriorum Samnitium caput Teate in Marrucinis eſt viſum. Nihil hìc omiſſum, quo veluti delapſum è Cœlo hominem excipi à Civibus Franciſcum palàm fieret. Certatim ei populus pallium, ac veſtes gladiolis clàm reſcindere, earumque præſegmina pretioſi Amuleti loco habere apud ſe quiſque velle. Catervatim ejus concionibus adeſſe; ipſius alloquium, ac documenta privatim pro ſe quiſque avidiſſimè expetere. Teatinorum verò ſatis jam per ſe proclive erga ipſum ſtudium mirabilis fœminæ per id tempus curatio maximoperè auxit. Lucia de Angelo Scocchetto in S. Valentini Pago nata quinquaginta propè annis Teate domicilium fixerat. Hæc dum ad exponendos Soli, atque aeri lineos, quos abluerat, pannos, in ſubdiale pavimentum fortè conſcenderet, retrorſum è ſcalis eo impetu repentè corruit, ut fracta thoracis, & brachii circa arteriam oſſa non ſine ingenti dolore eâ ex prolapſione retulerit. Hinc pollice tantùm integro, reliqui Volæ ità adhæſerunt digiti, ut unguium introrſum actorum ex extima manus parte cicatriculæ apparerent. Quatuordecim jam menſes miſeram ea calamitas oppreſſerat; cum ejus vicem miſerata Maria Aloyſia *Nicolina* Cœnobii S. Claræ Aſcetria Franciſco rem totam expoſitam voluit, quò *infelici* mulierculæ opis aliquid ſaltem è Cœlo impetraret. Nec renuit ipſe: imò ægram ad ſe in Templum accitam, exporrectâ ad hilaritatem fronte, bono primùm animo eſſe juſſit. Mox parvâ Cruce è pectore eductâ, hujus latus ad contractos introrſum digitos dimovendos, vectis inſtar, applicuit, Sancti Cyri interim lipſanis ægræ capiti ſuperpoſitis: eventu tamen prorsùs irrito. Ejuſdem igitur Crucis, qua parte oblongior eſt, haſtam compreſſis digitis loco dimovendis adhibuit, his prorsùs verbis conatui additis: *Dei, & Sanctorum nomine recludiminor digiti, recludiminor, recludiminor*. Ad quas ejus voces non recluſi modo, ſtatimque extenti, ſed & inditum à natura motum, qui penè exaruerant, digiti recuperarunt. Cicatriculis exinde S. Cyri oleo inunctis; fractis pecto-

Digitized by Google

ris oſſibus aptatum faſciâ alligavit aſſerculum : poſteroque manè obductis dexteræ cicatricibus, ac reſtituto digitis motu redire ad ſe fœminam vidit. Quò verò numeris abſolutum omnibus eidem exhiberet beneficium; num ambæ manus in longum æquè protendi poſſent, periculum eam prætereà facere juſſit: viſoque dexteram priùs læſam etiamnum lævâ minùs extendi; novum veluti pharmacum, Pœnitentiæ, atque Euchariſtiæ Myſteria eidem imperavit. Poſt quæ ad inæqualem utriuſque brachii motum remetiendum regreſſa, manum manui, ac digitis digitos æquè utrinque congruere experta eſt. Diuturniorem denique ad beneficii auctarium ei vitam prædixit: dictique fidem probavit eventus. Hujus enim ſeculi anno decimo ſeptimo, octogeſimum quintum ætatis hæc agebat annum, ac per ſe victui oſtiatim quæritando par erat. Inſignis adeò prodigii teſtes tùm Aſcetriæ omnes fuere, tùm fœmina ipſa à Thoma Revillonio è noſtra Societate interrogata, tùm denique Franciſcus ipſe, qui illud S. Cyri miraculis accenſebat.

Teate ſic luſtrato, in ulteriorum Samnitium Caput, Aquilam in Veſtinis à Nobili potiſſimùm Viro Dominico Benedicto Canonicorum Collegii Vicario accitus contendit. Hìc Urbe maximo Terræ motu non ità multò antè proſtratâ, ſacriſque *juxtà*, ac profanis ædificiis quà lapſis, quà lapſantibus; ut minori Civium metu peragi res poſſet, medio in Foro, quod ibi ampliſſimum eſt, publica Sacræ Miſſionis munera obiri oportuit: dirutarum, vel fatiſcentium ædium ſpectaculo uberem arguendorum criminum materiem Concionatori ſubminiſtrante. Salubrem verò inibi Franciſci operam fuiſſe, incenſum civium per eos dies ad Pietatem, morumque correctionem ſtudium paſſim oſtendit. Nam præter alia; Cleri, Regularium, atque utriuſque Ordinis Civium ſupplicationes penè quotidiè inſtitutæ. Sancti Marci præ cæteris Sodalitas ſingularia eo tempore Chriſtianæ virtutis edidit exempla. Fuereque è Primoribus aliquot, qui, ut atrocius aliquod de ſe ipſis ſupplicium ſumerent, eruta è publicis ſepulcris cadavera circumtulere. Fuit & qui toto illo, quàm longè patet Foro, uſque ad eam, quæ ſacri Templi loco erat, conſtructam è lignis Ædem, Matronis per eos dies attributam; fuit, inquam, qui manibus reptans prono corpore Terram linguâ lambere non dubitaverit. Poſtremo die è pegmate in eodem Foro erecto, Civibus enixè id flagitantibus, Euchari-

ſtico

Digitized by Google

ſtico Orbe è ſacræ Ædis Aræ allato benè Urbi, atque Agro precari opus fuit. In Aquilanos porrò ex inſigni adeò placandi per eos dies Numinis ſtudio multiplex redundavit utilitas. Nam & veteſum ſimultatum memoria inter Civium plures abolita, & proſtituti pudoris fœminarum honeſtati, quà legitimis nuptiis, quà tuto Gynecæi aſylo conſultum; & ſurreptum olim è non cautè cuſtoditis, atque in communi ruituræ Urbis metu penè relictis locupletium Civium domibus aurum, argentum, ac pecuniæ non leve pondus Dominis redditum. Devenerandæ præterea tùm pomeridianis horis acerbiſſimæ Chriſti mortis ſtudium, tùm de olim deleto Aquilanorum virtute cum ſuis copiis veteri illo Duce Bracio ad campani æris pulſum inſtituta quotidiè Deo gratulatio, quæ jam ibi obſoleverant; Franciſco authore publicè utrumque reſtitui communiter placuit.

Hæc publicè olim præſtita: privatim verò illuſtre ibi Franciſci vaticinium fuit. Nullos priori conjugio enixa liberos Anna Felix Marinantia, ubi Nobili Viro Antonio Leognano iterùm nupſit, ſterilitatis ſuſpicionem, ac metum nec paucis ingeſſit. Hoc verò mœrore eam familiam, Annæque conſanguineos his verbis levavit Franciſcus: *Metu hoc*, inquit, *vacuos vos eſſe jubeo: tot enim ſe liberis auctam intuebitur Anna, ut fœcunditati ſuæ modum imponi ſit optatura*. Nec ità locutum mendacii poſtmodum, aut vanæ præſenſionis damnavit eventus. Singulare præterea eſt, quod de Urſula Felicis Corneti præſidiarii Hiſpani militis filia indidem memorant. Hanc ad decimum quartum uſque ætatis annum Comitialis morbus frequenter vexare ità conſueverat, ut plures horas penè pro exanimi jacere cogeretur. Ut verò Sacro Euchariſtiæ Epulo eam primùm impertiit, ſalubrique præterea Crucis ſigno muniit Franciſcus, ab ejus morbi moleſtiis immunem agere cœpiſſe non levis admirationis materies omnibus rei conſciis fuit.

Nihilo minori Incolarum commodo ſacra Interamniæ in Præcutinis Expeditio ceſſit, quam non Cives modò, ſed & è ſex, ac triginta conterminis Pagis, Viciſque indigenæ incredibili frequentiâ celebrarunt. Ex his aliquot undeviginti paſſuum millibus eâ ab Urbe diſcreti catervatim illùc ardentiſſimo erga Franciſcum ſtudio confluxere.

Ad triginta præterea minoris nominis loca in eadem Provincia pariter excurrit; protractâ in iis, vel contractâ pro majo-

ri,

Digitized by Google

ri, vel minori incolarum numero morâ. In eo verò excipiendo is paſſim populorum plauſus, & gratulatio fuit, ut adventanti, tanquam publicæ felicitatis Vindici, palmis manu prælatis, piorumque carminum modulamine è ſuis ſedibus promiſcuè effuſi publicè occurrerint; nec abſimili pompâ recedentem in proximum Pagum deduxerint. Pia hæc profectò multitudinis ultrò, citròquè præter conſuetum diſcurrentis ſtudia ejus, quam Aternus Fluvius alluit, Munitionis Hiſpanos Præſidiarios ad falſam quidem, at (Auſtriacis eo tempore nondum iterùm rerum potitis) non vanam popularis alicujus motus ſuſpicionem adduxero. Excitatum quippè procul pulverem ex alto conſpicati, ne à novarum rerum cupidis improviſo aliquo impetu Arcem fortè invadi contingeret, rebus ad propugnationem diſpoſitis ad arma ſtatim conclamarunt. Cœterùm comperto non ad bellum, ſed ad Pietatem eam Ruſticorum, Paganorumque conſpirationem ſpectare; verſo in gratulationem metu, plurium æneorum tormentorum diſploſione piam Populorum lætitiam adauxere. Imò etiam Franciſco ad Arcem ipſam per ejus loci Præfectos invitato, à diſpoſitis ibi Præſidiariis ejus ingreſſum celebrari, honoremque militari more ei exhiberi iis, qui Arci præerant, Ducibus placuit. Hìc etiam non valdè capaci vini lagunculâ à *nobili* Matrona donatum eum fuiſſe memorant. Id verò vinum, dum propè Adriam Urbem ad cibi aliquid deguſtandum ipſe cum aliis quibuſdam ad Fluminis ripam conſediſſet, hauſtum quidem ferè ad dimidium ab accumbentibus fuiſſe: mox etiam Rhedario porrectum: nec tamen largiore hujus potu depleri unquam lagunculam potuiſſe, quæ cœteroqui unius, atque alterius explendæ ſiti vix ſatis futura videretur. Addunt, & ipſum pii cujuſdam operis perageudi gratiâ verſari Adriæ coactum, dum effuſo vehementer imbri nonniſi benè madidus regredi noſtrum in Collegium poſſet; quamquam vehiculo ab Adrianorum Dynaſta oblato uti renuiſſet, veſtes tamen perindè ſiccas, ac ſi ſudo Cœlo eo die ambulaſſet, domum retuliſſe.

Memorabile in hujuſce Ditionis Expeditionibus hoc etiam eſt, quod publico gravium Virorum teſtimonio firmatum reperio. Expletâ jam *Notariſci* expeditione, Muſcianum (Adriæ Ducibus ex Aquaviva Familia utrumque Oppidum paret) ad idem ſacrum opus redordiendum cum Agnello de Felice Societatis Sacerdote ſeſe contulerat Franciſcus. Laboris ibi comitem

Digitized by Google

tem ſponte ſibi additum nactus Joſephum Mangrella domo Neapolitanum, è Juris Prudentiæ Profeſſore Sacerdotem, eundemque S.R.E. Cardinalis Aquavivæ Vicarium; poſtquàm hominis impigrè Evangelio collaborantis ſtudium, imbutumque Cœleſtis Sapientiæ documentis animum ex pluries habitis cum eo colloquiis ſuſpexit; his quodam die verbis eum affari auditus à pluribus eſt: *Macte animo, Sacerdos optime. Nobilis hic tamen, quo cales, ardor caveſis vel minimùm refrixerit: fieri enim poterit, ut mortalem hanc vitam eodem hoc anno deſerere habeas.* Hæc, obiter dici Junio menſe viſa, vaticino ſpiritu prolata ab ipſo fuiſſe September aperuit. Eo enim tempore è gravi ægritudine decedens Sacerdos, non ſine totius, cui præerat, Ditionis luctu, Oraculi fidem implevit; in eâ, quam in Agro Caſtri Alti ad ſolitariè habitandum conſtruxerat, S. Gervaſii Æde tumulatus.

Sed alia alibi per id tempus geſta longè operoſior, majoriſque momenti rebus memorabilior Sulmonenſis expeditio abſorbet. Principio enim corporis, ac veſtium cuſtodibus ſtipatum per Urbem Franciſcum incedere neceſſum fuit; ne ab inconſultâ circumfundentis ſe popelli Pietate ſævum aliquid in eum attentari contingeret. E' noſtris certè Adjutoribus quidam, ut neſcio quem à ſcindendis ferro ejus veſtibus repelleret, parùm abfuit, quin reciſis digitis ſe domum reciperet. Verùm minora hæc, alibique ex parte ſaltem erga ipſum facta. Illud longè mirabiliùs, quod ſpiritualia Sancti Ignatii Exercitia confertis Auditoribus è parato pegmate manè tradenti accidit. Cum enim, lethiferæ cujuſvis noxæ fœditate, ac turpitudine multis inſinuatâ, lacrimis, ac pœnitentiâ deleri hanc maculam oportere vehementiùs inculcaret, Puerum propè ſe, & attentiùs aliis audire, & gemitibus omnium uberrimè indulgere animadvertit. Innocentis ejus ætatulæ ploratum ad adultiorum lacrimas provocandas uſui maximè fore arbitratus, vocatum ad ſe Puerum pegma conſcendere ſtatim jubet; ac, *Ita-ne verò*, inquit: *Non admiſſa unquam crimina tute defleas, Puer? Plurimorum verò, eorumque oppido graviorum flagitiorum reus hìc aliquis ſiccis hoc cernat oculis?* Mox huic ſententiæ exaggerandæ ſubnectit ſtatim: *Etiam-ne hìc tuus ità agat Pater?* Hæc ipſe ad criminum pœnitentiam in audientium animis communiter excitandam: at verò nonniſi Divino inſtinctu ea in verba erupiſſe inſignis rei

exi-

Digitized by Google

exitus oſtendit. Innoxium quippè Filium temperare à lacrimis non poſſe, ſeque à Franciſco publicè *iis* verbis appellari præſens ut advertit Pater; eo criminum dolore percelli ſe expertus extemplò eſt, ut à Filii *lacrimis* ſuas vinci eum puduerit. Quare defletis ibi priùs publicè criminibus, ad veteris vitæ noxas pluribus ante annis jam audacter contractas confeſſione eluendas ſe ſtatim contulit; eamque deinceps vivendi rationem *iniit*, quæ veterum flagitiorum dedecus optimis *exemplis* reſarciret. Profectò hujusce rei ſeriem expendenti, admirabile Divinæ Sapientiæ artificium ſuſpicere licet, quæ eas Puero immiſit lacrimas, ut per eas longè meliorem eâ, quam dederat, acceptam Filio vitam referret Pater.

Quod verò Divini conſilii formidandum omnibus exhibet argumentum, illud eſt, quod funeſti hujuſce Urbis excidii Vates, & quidem non obſcurus fuerit Franciſcus; à nemine id tamen, niſi poſt rei eventum, fuerit animadverſum. Etenim extremo Miſſionis die, dum extrà ſalutatæ ab Angelo Virginis Templum ad frequentiſſimum Populum diceret, obverſo ad vicinum Murrhonem vultu, terribili vocis flexu in hæc verba erumpere auditus eſt. *Equidem malorum Dæmonum agmen hoc in Monte intueor, qui meum opperiuntur diſceſſum, ut in hanc Urbem iterùm furere ipſis liceat.* Quibus ſanè verbis nonniſi conſuetas humani generis hoſtium fraudes, ac molimina contineri audientium quiſque eſt arbitratus. Subdidit hoc tamen, quod futuræ calamitatis vera præſenſio eſſe potuit. *Proh inclytæ Sanctorum Statuæ! Proh auguſtum Templum! Quonam veſtro crimine Cæleſtis in vos item ſe exonerabit ira? Quodnam vos conteret, ac ſolo æquabit flagitium? Equidem Exedrâ ex hac dicentem me omnium poſtremum conſpicitis.* Mirum verò dictu! Ad intermiſſum concionis ordinem eo redeunte, & contrà vitia vehementiùs declamante, nullius interim mentem ulla imminentis mali ſuſpicio ſubiit. Sacrâ verò Ædе, atque Exedrâ ingenti terræmotu non ità poſt multo jam dirutis, Urbeque totâ miſerabiliter ſolo æquatâ, ſe quidem ſatis, ſuperque præmonitos à Franciſco fuiſſe faſſi non ſine lacrimis ſunt ſuperſtitum Sulmonenſium optimi quique; nec niſi oſcitationis ſuæ vitio factum, ut apertis adeò verbis expreſſa imminentis cladis comminatio è cladis tantùm ipſius infauſto eventu dignoſceretur.

CA-

Digitized by Google

CAPUT V.

Hydruntinæ Provinciæ Expeditionum miri quidam, ac singulares eventus.

E conterminis Romani Pontificis Ditioni Provinciis ad eas gradum facio, quæ adversum Neapolitani Regni latus occupant, quò eas Franciſci res geſtas exequar, quæ peculiarem legentium intentionem ſibi meritò vindicant.

In Hydruntinam ergo Provinciam, intermiſſis Neapolitanis laboribus, non ſemel ipſum Moderatorum imperio excurriſſe conſtat. Sed tamen ex egregiis ejus facinoribus cùm nonniſi perpauca pro locorum numero, atque amplitudine ad nos indè tranſmiſſa videam; *in iis* ſeù obſervandis, ſeù memoriæ mandandis eorum *locorum incolas*, ſatis per ſe cæteroqui & ab ingenio perſpicaces, & à piis hominibus celebrandis haud alienos, paulò negligentiores fuiſſe adducor, ut credam. Certè è præcipua ejus tractus Urbe, quæ Lupiæ ſunt, hoc tantùm colligere licuit, quod egregius ibi Medicus Franciſcus Durante memoriæ prodidit: eò loci ſcilicet ſub veſperum olim appuliſſe Franciſcum, ejuſque adventus famâ vulgatâ, inviſendi ſtudio plurimos in noſtrum Collegium, ac Templum ſe contuliſſe. Hos inter & mulierem fuiſſe memoravit, *quam malo Dæmone* inſideri cùm alii plures, tùm Medicus idem è non obſcuris indiciis conjecerat. Ab hac verò tribus, quatuorve verbis in aurem ſubmiſsè pronunciatis ſe protinùs Franciſcum expediiſſe: eorumque verborum efficacitate infeſtorum Dæmonum intemperiis tentatam eam, nunquam deinceps fuiſſe. Hæc tantùm Lupiæ.

Conc.. verò diligentiores Tarentini, geminæ licet meminerint, poſteri.. tamen Franciſci in ſuam Urbem Excurſionis peculiaria hæc prædicant geſta. Præter ſedatas ejus operâ plurium civium, imò & Sacrorum quorundam Hominum, quæ pro ſuis juribus tuendis exarſerant, diſſenſiones; de Cive generis amplitudine, ac fortunis conſpic.., Franciſci Concionibus vix eum interfuiſſe produnt; cum ſalutis ſuæ immemorem tandiù ſe vivere potuiſſe eum ſtatim diſpuduit. Animi proindè veteres

Digitized by Google

prorsùs excuſſo, & vitæ totius maculas ſedulâ confeſſione eluit, & ingenti ære alieno, quo gravari ſe ne cogitare quidem ad eam diem voluerat, ſe ſtatim exolvit. Ad hæc, nimio ſui amore in odium verſo, quò ſumptis de ſe pœnis Divinam ſibi Clementiam conciliaret; jejuniis, flagris, aliiſque ejuſmodi ſuppliciis aſperrimè in ſe deſæviit. Cumque huic corporis lanienæ angorem animi nullum adjungi, imò Cœleſtem potiùs tranquillitatem quandam reſpondere animadverteret; illud à Deo enixè precari inſtitit, ut tot congeſta in ſe nullo ſuo merito beneficia properæ mortis munere cumularet: præſtabilius ſibi quippè eſſe ſpei bonæ plenum citò oppetere, quàm exitu dilato, & relabendi periculis, & ancipiti ſupremorum dierum aleæ obnoxium vivere. Nec hominis adeò de ſua ſalute ſoliciti irritæ abiere preces. Haud enim ità poſt multò morbo correptus extremum diem non ſine intimæ pietatis ſenſu placidiſſimè clauſit. Verberum porrò vibices, ac vulnera in extincti humeris obſervata ſeveræ, quam in ſe exercuit, caſtigationis omnibus documento, quibuſdam etiam exemplo fuere.

Illuſtre pariter, ac memorandum Divinæ Providentiæ opus fuit fortuitus Advenæ cujuſdam in eam Urbem per eos Miſſionis dies adventus. Ad ulciſcendas hic inimici morte acceptas pridem injurias aliò iter direxerat, ſclopo cæteroqui, ac plumbeis globulis inſtructus. Extremæ duntaxat pœnitentium ſupplicationi obiter intereſſe huic obtigit. Ubi verò ad pietatem compoſitos per compita longo ordine incedere non plebejos ſolùm, verùm & Tarentinorum Primores oculis inſpexit ſuis; rei primùm novitate commoveri, mox non fortuitò, ſed Divino prorsùs conſilio ſibi ſcelus coquenti ſpectaculum illud objici reputare ſecum occepit. Hinc percelli, pallere, exhorreſcere, dum à Tarentinorum pietate ſuum tacitè objurgari flagitium arbitratur. Franciſcum igitur, dimiſsâ vix concione, gemebundus confeſtim adiit: atque *En*, inquit, *geminas connexas invicem plumbeas glandes. Has ego, quibus injurii mihi hominis latus perfodere meditabar, apud te lubens depono. Qui enim me ad tuos pedes volentem adigit criminum dolor, ad ſimile officium inimico præſtandum idem impellit. Capitalibus hactenùs odiis eum inſectatus equidem ſum; at ejus me pedibus, ubi me expiaveris, advolutum protinùs ibo.* Nec aliter, quàm receperat, Tarento diſcedens mutatis in melius conſiliis felix Advena præſtitit.

Præ-

Digitized by Google

Præter hos illustres profectò hujusce Excursionis *fructus*, duo alia sunt, quæ Franciſci in hac Urbe moram commendant. Primò enim Nicolaum Imbricale Sacerdotem laterum sæpè dolor vehementer adeò vexabat, ut inibi animam efflaturus quandoque videretur. Hanc ejus calamitatem opis aliquid imploratura Franciſco expoſuit Joannis Indelli Uxor Magdalena Piccolo. Nec opem afferre renuit Franciſcus; ægri enim lateri S. Cyri reliquiis admotis, metu ſolutum agere Sacerdotem juſſit; *Neque enim*, ſubdidit, *id genus dolore lædendum eum poſtmodum fore.* Superſtes-ne ad hanc diem Sacerdos hic ſit, compertum non ſatis habeo: tredecim certè poſt annis ipſum eo morbo immunem prorsùs egiſſe, publico Sacerdotis ipſius teſtimonio conſtat. Eandem præterea Magdalenam à recenti puerperio decumbentem inviſens Franciſcus, poſt prima mutuæ ſalutationis officia, his ab ea verbis per jocum exceptus eſt: *Ominoſus, ſi loqui ita liceat, mihi tuus in hanc Urbem videtur acceſſus. Bis hòc veniſti, bis fœminam eniti mihi hoc tempore obtigit.* Utrâque mox filiâ prodire in cubiculum juſsâ, earum natu majorem, Xaveriam nomine, ut vidit Franciſcus; *Hæc*, ait, *ad Terram ſpectat.* In minorem verò (Roſæ huic Mater indiderat nomen) ubi oculos intendit; *Prob*, inquit, *Cæleſtis Patriæ Roſam!* Ambiguam tunc præſenſionem poſtmodò eventus aperuit: elapſo ſiquidem ſeſquianno ad Superos evolavit Roſa: Xaveriam verò tertium decimum vix annum egreſſam Parentes nuptui tradidere.

Cryptaleas, Patriam ſuam, novem paſſuum millibus Tarento disjunctas duplici item ſacrâ Expeditione luſtravit Franciſcus. Harum verò *prior* præclarum à prodigio exordium ſumpſit. Octogeſimum octavum ætatis annum agebat ibi Joannes Leonardus de Hieronymo ejus Pater: eum nocte, quæ deſtinatum inchoandæ Miſſioni diem antecеſſit, decrepitum ſenem vehemens adeò inceſſit febris, ut ob additum delirium, aliaque morbi adjuncta extremum ei exitium non ex vano timeretur. Aberat Cryptaleis Franciſcus; Tarentum ſcilicet ad obeundæ in Patria Expeditionis veniam ab Antiſtite impetrandam profectus. Eum igitùr per literas tùm de communis Parentis diſcrimine, tùm de protrahenda in aliud tempus Miſſione dum primo mane admonere Thomas Frater pararet, ecce Cryptaleas ad dictum diem acceſſiſſe videt Franciſcum. Qui Majori Æde priùs ritè ſalutatâ, domum ubi ſe intulit, metuentes licèt Genitoris vitæ domeſticos offenderet; ad eum tamen ad cubiculi veſtibulum cupidè

Digitized by Google

opperientem ingreſſus, paternos exoſculatus pedes, poſt mutua gratulationis officia: *Cras*, inquit, *Pater, ad Spiritualia, quæ tradam, Exercitia accedas velim*. Haud æqua ab ægro Genitore poſtulari domeſticis viſum: quî enim ſenio, ac periculoſa febri confectus ne dum Templo ſe inferre, ſed pedem domo efferre jam poſſet? Filium verò ex præſciâ paternæ valetudinis mente ità petiſſe nova lux appetens commonſtravit. Satis quippè firmatis viribus ſenior, & ſacram adire Ædem, & dicenti Filio adſtare ex eo die ità valuit, ut nullam exindè ſacri ejus temporis lucem labire fit paſſus, quâ conſuetis Miſſionum Exercitationibus aliquandiù non intereſſet. Imò remittente ſenſim morbi vi poſt paulò convaluit: nec niſi poſt biennium nonagenarius ferè deceſſit; longævæ adeò ætatis beneficio in Filii gratiam fortaſsè à Deo cumulatus.

Domeſtico huic prodigio affine aliud erga populares ſuos patratum ibidem eſt; quamvis ad priorem-ne, an ad poſteriorem Expeditionem pertineat, haud ſatis conſtet. Roſæ Quaranta Joſephi à Pace Uxoris ea erat infelicitas, ut quotquot conciperet, totidem intempeſtivos eniteretur fœtus; eoſque Baptiſmo ut plurimùm elui minimè potuiſſe dolebat; cum tribus in utero ante enixum ſuffocatis, vix uni ſemivivo in lucem edito Cœleſte hoc beneficium impendere valuiſſet. Ferentis igitur jam uterum filiæ vicem dolens Mater, è domus feneſtrâ tranſeuntem ut vidit Franciſcum, his eum precibus ſupplex compellandum ſuſcepit. *Quin te filiæ meæ miſeret, Franciſce, quæ immaturos, extinctos, ac proindè inexpiatos enititur fœtus? Ageſis, miſellam hanc tua veſte jam tangito*. Eam calamitatem ut audiit Franciſcus, è dicatis Sancto Cyro floribus pulverem è ſinu extractum ægræ porrigens addidit, ut ex eo pulviſculo per triduum ſumens ter Dominicam precationem, Angelicam Salutationem, atque Ineffabili Triadi ter Gloriam manè recitaret; parique obſequio magnum Medicum, & Martyrem Cyrum coleret: idem præterea immineute puerperio ut faceret; vivoſque, ac vitales partus, Baptiſmi Myſterio certè luſtratos ſe in lucem edituram ſperaret. Quæ omnia ordine exequi haud cunctata Mulier, tribus poſtmodùm puerperiis, ſemel marem, cui Cataldi Cyri Franciſci nomen indidit, enixa feliciter eſt, exindèque fœminas duas: ſuamque prolem non ſacro ſolùm Fonte ablutam fuiſſe gratulata eſt, ſed & diù ſuperſtitem Dei beneficio fore confidit.

In

Digitized by Google

In eodem penè genere est, quod Martinæ in eadem Provinciâ Sacræ Missionis occasione per eadem fermè tempora præstitit. Tumentis sexto jam mense uteri doloribus torqueri eximproviso cœpta illustris Matrona Martinæ Dux, cum sobolis vitæ æquè metueret, ac suæ, signari se Sancti Cyri Reliquiis à Francisco voluit: ac, teste Joanne Baptista Cacciuttulo Societatis Sacerdote in ejus laboris consortium adscito, vocatis Medicis opus haud fuit, ut doloris, ac metus omnis confestim immunis Matrona evaderet.

CAPUT VI.

Res in Apuliæ Excursionibus à Francisco gestæ.

JAm, ut ab extremâ Regni Provinciâ retrogrediens, res à Francisco in Apulia gestas commemorem; ejus iter fortè olim agentis illustre Monopolis exhibet monumentum. Anno hujus seculi x. diurnum hujus Urbis hospitem ipsum esse vix audiit, qui pro Episcopo præerat, Sebastianus Manfredi; cum Hominem Virtutum, ac Sanctimoniæ famâ satis notum salutaturus nostrum ad Collegium accurrit. Post prima verò mutua comitatis officia ejus se adventum Dei beneficio adscribere significavit Manfredus: laborantibus siquidem ibi aquæ penuriâ Civibus nil opportunius fore, quàm si ad Divinum Numen sibi, ac suis rebus conciliandum suâ eos concione inflammaret. Pergeret proindè, atque in Cathedrali Æde semel saltem ad Populum dicere ne gravaretur. Excusare se ad hæc primùm Franciscus, atque imminentem discessum multis causari. Ubi verò à Manfredo excusationem nec accipi, imò & his improbari verbis audiit; *Age, sodes: malo-ne Dæmoni gratum ut facias, hæc tu obtendis, Franciste?* His, inquam, auditis roganti annuendum è vestigio ratus, vehementem ad Populum concionem exorsus statim est: quam commodam Popularium animis accidisse eorum lacrimæ prodidere. Sublevandæ præterea eorundem penuriæ perquàm utilem eam fuisse Cœlum ostendit, eo adhùc dicente, nubibus tegi visum. Non ità enim post multò sitientem Urbem, Agrumque opta-

Digitized by Google

optati imbris copia recreavit.

His obiter inibi geſtis potiora multò ea ſunt, quæ in plurimorum adhuc ore verſantur, in Apulia item Peucetia, diuturniori, quo luſtrare eam debuit, temporis ſpatio à Franciſco patrata. Etenim peragratis jam, atque ad pietatem excultis utriuſque Samnii Provinciis, Neapoli defecti jam viribus Senis itineri nequicquam moras nectente, Andriam ex Supremi totius noſtræ Familiæ Moderatoris imperio contendendum bis ei fuit. Impetrare id tùm anno ſeculi hujus IX., tùm iterùm anno XIII. Aurelia Imperialis Andriæ Dux, Renati S.R.E. Cardinalis Imperialis Neptis, datis Romam literis, valuit. Ac poſtremo hoc anno non ad Miſſionem tantùm, verùm & ad quotidianas Quadrageſimalis Jejunii conciones habendas, Moderatoribus haud renuentibus, eam in Urbem ſecum ipſa avexit Franciſcum. Id porrò dum ipſe exequitur illuſtri Matronæ viæ comes additus, prodigiis vacuum ne ipſum quidem iter ei obtigiſſe plurium oculis patuit. In pandochio, quod Abellinum, atque Arianum interjacet, cui à *Dente Canis* inditum nomen, hoſpitandum multâ jam nocte ipſis cum foret; in Auguſtinum Conradum argentei vaſarii cuſtodem ferocientium equorum impetus eà violentiâ currum impulit, ut temone in pectus adacto proſtratus, elinguis, motuſque omnis, ac ſpiritus expers ad quartam horæ partem jacuerit. Ipſa hominis calamitas Franciſcum eò ſtatim accerſiit: qui brevi precatione præmiſsâ, ſuam priùs, quam gerebat, Crucem, mox etiam S. Cyri reliquias languenti, ac penè depoſito adhibuit. Nec multum temporis interceſſit, cum reſumpto ſpiritu ità convaluit Auguſtinus, ut inſtitutum iter nihilo minori incolumitate, quàm aggreſſus anteà fuerat, proſequi primò mane potuerit. Et quoniam necti inter ſe non rarò calamitates uſuvenit; ibidem etiam inter Cauponis Filium, & Matronæ Agaſonem quendam eò jurgium proceſſit, ut ſeriâ hic ejus capiti vehementer illisâ exanimem ad terram dejecerit. Ad hunc etiam totâ jam horâ ſenſuum uſu deſtitutum accurrit Franciſcus. Et quamvis jacentem ſuo compellatum nomine veluti erigere, atque è veterno quodam excutere viſus jam foret; in idem tamen animi deliquium eum illicò relabi è contuſi capitis ſtupore apparebat. Crucis igitur, ac S. Cyri amuletum huic etiam ægro idem appoſuit; ſucceſſu ſanè ità proſpero, ut ſoſpitem omninò, atque integrum è diverſorio diſcedens reliquerit.

Hæ-

Digitized by Google

Hærendum denique, ſedatis famulorum ærumnis, Dominæ ipſius causâ hìc etiam fuit. Auctus plus nimio capitis languor, & ex languore animi defectio neceſſarias deſtinato itineri ei vires ademerat. Sed manu languentis capiti admotâ, *Bono animo ſis*, tantum ait Franciſcus: doloriſque æſtu è veſtigio demitigato, præſtitutâ horâ in viam ſe Matrona dare ſatis commodè valuit.

De ipſo verò in Andrienſium animis ad Chriſtianæ vitæ normam effingendis occupato hæc potiſſimùm lego. Ac [illegible] ſibi accidiſſe Andrienſis Tabellio Michael Baldinus publicè retulit. Sæva ei Enterocèle cum maximos corporis totius dolores cieret, aſſidentem lectulo rogatum vix habuit Franciſcum; cùm manu fronti appoſitâ metum omnem deponere hic eum juſſit. Abactuſque confeſtim dolor, pauciſque poſt diebus evaneſcens affectæ partis tumor, ſeù veræ præſenſionis, ſeù allatæ eo contactu opis fidem fecit. Nec minori admiratione peractum ibidem hoc alterum eſt, quod Cœleſti lumine, atque inſtinctu affiatam Franciſci mentem affatim prodidit. Pro Matre ſua Eleonora Tota Medicorũ judicio conclamatâ Franciſcum Andriæ in ſacris Miſſionibus agentem adiit ejus Urbis Civis Franciſcus Paulus Politus. Eum verò in Cathedralis Templi Sacrario obvium nactus, ut in moribundæ Parentis domum deduci ne gravaretur, enixè rogavit. Peracto Sacro præſto ſeſe futurum humaniter repoſuit Franciſcus; promiſſique memor Divinam vix Rem abſolvit; cum tacitus, ac ſine duce, veluti res alias curaturus, in non viſam aliàs ægræ domum rectà contendit, Cœleſti ſanè admonitu, vel Tutelaris Angeli ductu iter edoctus. Nec in præſentiendo fauſto ægræ exitu minùs perſpicax; eam ubi inviſit, & in Sancti Martyris Cyri clientelam concedere juſſit; non lethalem eum morbum fore commonuit, ampliora quippè vitæ ſpatia ad expiandum ferventiùs animum ægræ à Deo prorogari. Nec aliter, quàm prædixerat, evenere omnia: recreatæ ſiquidem eâ ex ægritudine Eleonoræ conceſſæ ſibi à Deo lucis uſurâ toto penè quadriennio frui integrum fuit. Longè verò utroque illuſtrius hoc tertium. Diſſidentes inter ſe homines duos jampridem ipſe alibi agens conciliare ſtuduerat. At verò, recrudeſcentibus deinde odiis, ſimultates eò devenere, ut in loco bidui itinere ab Urbe Andria disjuncto invicem obvii ad arma procurrerent. Sed tàm immani furore percitis, adeſſe ſtatim viſus Franciſcus, qui fractâ Deo fide utrique exprobratâ, firmandæ iterùm pacis eis Author fuit. Compertum

Digitized by Google

tum tamen non ità poſt multo fuit, eodem temporis articulo Andriâ pedem haud eum extuliſſe; ac memorabili prorsùs prodigio reconciliandis hìc cum Deo, illìc pacificandis inter ſe hominibus eundem interfuiſſe.

Denique Andrienſem Agrum per Sacræ Miſſionis tempora, conſuetum Apuliæ malum, obſederant Bruchi, ſegeti, ac vineis æquè infeſti. Ubi tamen Urbi, atque Agro benè pro concione precatus eſt Franciſcus, illud non ſine admiratione obſervari inibi cœptum, quod nullum exinde ex triduana ſubinde noxiarum animantium morâ vitibus, aut ſatis incommodum obvenerit. Fuitque annis non ità ab hinc multis, cum penè infinitæ earum copiæ in eum tractum immiſſæ domorum etiam cardines, & oſtia arroſerint: intactis tamen ſegetibus, nonniſi herbam in agro depaſtæ, nullam prorsùs annonæ moleſtiam crearint.

Finitimæ Andriæ exemplum vicinæ Franciſci operæ in ſuæ etiam Urbis utilitatem derivandæ cupiditatem in Barulitanis accendit. Infauſtum his antea Miſſionum nomen ſecuta eas olim fortè peſtilentia effecerat. Sed inanem publicæ calamitatis metum eâ petitione jam deponentibus haud abnuendum cenſuit Provinciæ Præſes. Anno igitur ſeculi labentis XIII., feſta Epiphaniæ luce, initium ibi ſacro operi datum, magnoque publicæ Pietatis incremento abſolutum. Eccleſiaſtici, ac Nobilium Primores publicè inſtitutarum ſupplicationum exemplo cæteris anteivere: ac nihilò minori religionis ſtudio omnia quà privata, quà publica agi apud eos viſa, quàm decem ante luſtris ſub celeberrimo Societatis Miſſionum Duce Honuphrio Saraco peracta ibi fuiſſe Seniores memorabant. Adoleſcentem potiſſimùm vehemens noxarum pœnitentia eò adegit, ut ab ea ſacra Ædе, quam Nazareth vocant (non breve hoc viæ ſpatium eſt) ad noſtrum Templum reptabundus, ac terram linguâ lambens acceſſerit, quò noxarum hic ſarcinam deponeret. Criminum item ſuorum confeſſionem coram Homologeta ipſo non tàm à verbis, quàm ab aſperrima ſui corporis verberatione ex paulò ante concepto in ſe odio exorſus eſt alius. Vicennis prætereà Adoleſcentulæ animum audita Franciſci concio ad Cœleſtium rerum amorem adeò perpulit, ut domum regreſſa abſciſſam ſuis manibus comam S. Franciſco Xaverio dicatum miſerit: lacrimis verò, ac precibus non ante temperarit, quàm in puellarum Gynecæum

reci-

Digitized by Google

recipi, ut optaverat, impetrarit. Illustrius triginta annos nati hominis exemplum fuit. Audito hic Francisco, eo in suos mores odio exarsit, ut suggestum conscendens, positis ibi vestibus in humeros, in brachia, in os ipsum ad quartam horæ partem desævire perrexerit; cumque è naribus, ac buccis sanguinem eliceret, ab atroci membrorum cruciatu nec Francisci ipsius authoritate, atque imperio abstineri valuit.

Quod verò Barulitanæ hujusce Expeditionis exitum præcipuè commendat, singulare est, quod præter expectationem protervo hòmini Deus contulit beneficium. Adolescens penè ad extremum perditus, ne Francisci vocibus, urgente scelerum conscientiâ, aures præberet, eum neque audire decrevit. Eo proinde tempore ità egit, ut & sacræ Ædis conspectum omninò vitaret, & Francisci nomen ipsum refugeret. Sed, quæ effusa in Homines Dei Benignitas est; impio adolescenti hæc ipsa nimiæ obstinationis recordatio adjumento ad resipiscendum fuit. Jam Barulo relicto, aliò concesserat cum suis Franciscus; cum acerrimis animum stimulis vehementer discruciatum expertus Adolescens, tacitis hæc secum reputare cogitationibus cœpit: *Mihi verò misero quid jam relinquitur, nisi ut reproborum hominum infelix me maneat exitus? Quid enim? Nonne quotidie me Dei Benignitas penè domi convenit? Ejus tamen Clementiæ audacter quotidie restiti. Iratum Dei vultum quâ nunc sustineam fronte, qui mitem, pacatumque ne conspicere quidem volui? Ex Civibus aliis jam in Dei Filiorum libertatem assertis, in me duntaxat pessimum mali Dæmonis servum hostilem Deus animum gerit.* Salubris hic piarum cogitationum conflictus tandiù tenuit, donec fractâ pertinacis animi duritie dedere se Deo diù refractarius tandem constituit. Nostram se in Ædem extemplò proinde se contulit, ibique universas vitæ sordes sacrâ Homologesi eo ardore eluere aggressus est, ut mutatis in melius moribus ad perfectam Christianæ Legis amussim vitam constantes exigere occeperit.

Nec sua Asturnarienſi quoque Excursioni celebritas defuit. Ingens Collegii Romani latifundium in Apulia Daunia situm hoc est, ex quatuor prædiis coalitum, quod communi omnibus vocabulo *Ortam* vulgò Incolæ appellant. Plurimorum, qui inibi sunt bubulcorum, opilionum, aratorum piæ institutioni agrestem eam expeditionem bis adornavit Franciscus. Sed eò accus-

ſentium Foveâ, Aſculo, Gerunio, atque è conterminis paſſim locis hominum copiâ, ſuſcepto ejus labori opinione uberiorem reddidit fructum. Cæterùm non agreſtium animis tantùm, ſed & agro ipſi percommodam hominis præſentiam fuiſſe hæc potiſſimùm prodidere. Enatas jam ſegetes infeſtas habere jam cœperat incredibile, ac vix per myriadas numerandum Bruchorum agmen, præſenti quidem pernicie timendum ſatis, at multò magis futuræ periculo. E' quibuſdam enim, quas in terra defigunt, vaginulis, veluti ex ovis, tot anno vertente ſæpè erumpunt fœtus, ut aucto in immenſum earum animantium numero certiſſimum enatis frugibus exitium immineat. Hanc porrò calamitatem Franciſco vix prædii Curator expoſuit; cum in preces ipſe primùm effuſus, flante mox Borea, è prærato domus ſolario conſuetis Eccleſiæ precibus circumjecto paſſim agro benè precatur. Eamque fuiſſe precum efficaciam Noſtratium ibi agentium teſtimonio conſtat, ut pluribus poſt annis nec noſtra, nec vicina prædia depopulatus ſit Bruchus, Franciſci voce, atque imperio inde extemplò exturbatus. Non unam ob eam rem tamen magni in eo prædio ipſe habitus: adempto ſiquidem amittendæ meſſis metu apud ejus loci Colonos jampridem inclaruerat. Hoſpitem eum olim ejus fundi Adminiſtrator excepit; cum de meſſis pernicie magis, quàm de officio ſolicitus, periiſſe ſementem, & cum ea ejus anni ſpem omnem vix primùm adventanti mœſtus expoſuit. Ità verò metuentem his verbis interpellavit Franciſcus; *Age jam, de dimidio meſſis lubens-ne hoc anno paciſceris?* Tacturum ſe digito Cœlum, ſi eò reditura res eſſet, extemplò Adminiſtrator repoſuit. Dimidium verò frugum eo anno collectum iri liberè pollicitus eſt Franciſcus; nec falſi eum proxima meſſis coarguit. Subductis quippè ejus, aliorumque annorum rationibus, quam peſſum ituram omninò crediderant meſſem, nonniſi dimidio minorem veniſſe, non ſine ingenti præſentionis admiratione prædicarunt Coloni.

Poſtremò in conterminos Apuliæ Lucanos excurriſſe ipſum pariter conſtat. Unius tamen, quam Melphiæ obiit, Expeditionis hæc habeo documenta. Coortas inter Urbis Præfectum, ejuſque Antiſtitem diſſenſiones mirâ ipſe agendi dexteritate jam compoſuerat. Ad prandium interim à Præfecto humaniter invitatus, ne officium contemnere videretur, tandem acceſſit. Cùm ab hujus Uxore, Filiæ ut miſereſceret, inter ſurgen-

Digitized by Google

gendum rogatur, cujus corpus horridâ Elephantiasi infectum conspiceret. Tùm statim ad ægram Franciscus: *Age dic mecum, Puella: Quandoquidem Medicus es, Cyre; sanitati me reddas, oro, obtestorque.* Nec diù cunctatus Sancti Martyris oleo eam inunxit. Alterius verò diei spatio vix interjecto, in ejusdem Præfecti domum cum Socio regressus, sospitem, ac ne vestigium quidem morbi præferentem Puellam invenit. Hac porrò re apud Populares vulgatâ, hominis opem turmatim decumbentes imploratum miserunt; eventu tamen pro cujusque fiducia magis, vel minùs prospero. Duos tamen potissimùm memorant præsenti ea ope adeò feliciter usos, ut, cum extremos penè ducerent anhelitus, ex ipsius lethi faucibus emergere ægritudinum conscils fuerint, ac domesticis visi.

CAPUT VII.

Extremus Francisci Excursus in Ditionem Cœnobii, cui Mater Domini *nomen.*

IN Picentinorum Provincia, seù Principatu Citeriori, ut nunc loquimur, haud procul Nucerià insigne Monachorum Ordinis S. Basilii Cœnobium est celebertimæ adjunctum Ædi, cui *Mater Domini* & nomen dedit, & beneficâ, quæ ibi colitur, effigie religionem auxit. Hùc, ut eorum, qui Cœnobium ambiunt Pagorum, Vicorumque saluti prospiceret, accedere Franciscum multò ante optaverat Dominicus Villanus loci Abbas: at aliis super alias differendi causis identidem subortis, nonnisi anno hujus seculi xv. tandem obtinuit. Optimi verò Cœnobiarchæ votis successus magnâ ex parte respondit. Præter enim alia ingenti Pietatis sensu à frequentibus populis quotidie præstita; Eucharistico hìc Epulo sexmille, ac sexcenti extremo die refecti, quorum plerique pœnitentium habitu è locis ad quindecim millia passuum disjunctis illùc confluxerant. Super hos, aliis mille, ac ducentis ob rudis ætatis imperitiam ad eam diem sacrâ Mensâ prohibitis solenniori ritu, ac pompâ non sine piâ spectantium voluptate ad Sacram Synaxim aditus primùm patuit.

Digitized by Google

Verùm ne integrâ piæ hujus Expeditionis voluptate Franciſco hìc frui liceret, mali Dæmonis invidia obſtitit. Ac niſi ad ſubortum diſcordiæ turbinem diſcutiendum tempori ipſe accurriſſet, in ingentem cladem, ac luctum Miſſionis ejus lætitia deſiiſſet. Hujus porrò calamitatis flammam Aulicus quidam Ephebus ſua inurbanitate ſuccendit. In ſacram quippè Ædem ingreſſus, propè Nobilem Matronam inibi orantem perinde conſtitit, ac ſi plebejæ alicujus è trivio fœminæ lateri aſſideret. Nec à præſente hujus Filio officii admonitus aliò, ut par fuerat, ſeceſſit, nec ullâ obſequii ſignificatione ſuam ut ruſticitatem oſcitationis, aut imperitiæ excuſatione purgaret, inducere animum potuit. Se verò, Matremque ſuam à cirrato, eoque infimæ ſortis adoleſcentulo ità contemni indignè Matronæ Filius ferens, nullâ temporis, ac loci ratione habitâ, furore præceps ſicâ in eum irruit, ſauciumque humi proſternit. Vulnerati contrà Ephebi, ac ſuppetias exclamantis voce percitus illùc confeſtim advolat alius ejuſdem Contubernii famulus; viâque per obſtantes ſtricto ſibi gladio factâ, non aggreſſori armato, ſed inermi ejus Matri, ac nil tale à conducto præſertim famulo verenti grave vulnus infligit. Quo ſtrepitu, quove confuſæ multitudinis tumultu ab immani facinore Sacra confeſtim perſonuerit Ædes, conjici cogitatione melius, quàm exprimi verbis poteſt. Conceptum verò non ex vano metum, ac rixam omnem pertior de re factus compeſcuit ſtatim Franciſcus. Eò ſiquidem è veſtigio accurrens vultu, voce, manu ferventis utrinque jurgii, ac diſcordiæ impetum repreſſit: ſauciiſque domum redire juſſis; ipſe, quò ab atrocis facti cogitatione affuſam ibi turbam averteret, inſtitutam eo die ſupplicationem conſueto ritu in publicum procedere imperat: brevibuſque hìc illìc concionibus in pii ſpectaculi, criminumque pœnitentiæ meditatione præſentium animos defigere pro viribus ſtudet. Ne verò ſopitæ ea luce diſcordiæ in periculoſioris poſtmodùm incendii vim erumperent; ejus, quod obibat, miniſterii authoritate conſuluit, pace utrique parti veluti pro imperio edictâ. Qua ſanè in re mirabile illud fuit, quod ejus dicto non conciliatis tantùm animis auſcultatum extemplò eſt; verùm à gravibus læſis cumulatius hoc Divinæ Legi præſtitum obſequium fuit, quod nempè omnis exortem pœnæ reum abire interpoſitis apud loci Judicem officiis enixè contenderint.

Turbatæ verò tranquillitatis è coortâ in Templo contentione

tione metum, simulque abeuntis è Cœnobii Ditione Francisci dolorem, non restituta modò inter nobiles Familias concordia, verùm & recuperatæ à fœmina valetudinis illustre prodigium absterfit. Duodecim hanc annis perpetuò decumbere morbus coegerat: Sancti Cyri tamen reliquias osculata, Francisco jubente, sospes è lecto prosiluit. Contrà alteri vehementi febre ibidem correpto accersitus ut adfuit, ægrum vix salutatum de conciliando sibi precibus Numine liberè admonuit. Quibus verbis vicinum sibi funus indici satis aptè interpretatus æger, procurato Sacris Mysteriis animo ad vitæ se exitum in tempore Christiano ritu paravit. Eòque majori fortasse emolumento mortis huic præsensio fuit, quàm memoratæ nuper fœminæ morbi depulsio, quò animo corpus, atque æterna salus perituræ tandem vitæ integritati præcellit.

CAPUT VIII.

Quasnam sacrarum Missionum causâ à malis ipsis Dæmonibus molestias subierit Franciscus.

IMmunem ab infernarum Legionum assultibus egisse Franciscum videri fortasse alicui ex eo poterat, quod nunquam ferè ex ea parte aggressus eas ipse fuerit, quæ superbas earum mentes ad acceptæ injuriæ ultionem armaret. Ex hominum quidem animis pro virili eas pellere suum esse duxit: iisdem verò è corporibus, quæ obsederant, abigendis usque eò abstinuit, ut inter memorabilia ejus effata illud nec insciтè, nec illepidè dictum circumferatur: *Nec Dæmonia, nec Matrimonia*: quòd justis scilicet, magnisque de causis declinandum sibi utrumque esse autumaret. Nec fateri id post ejus obitum cujusdam Energumeni ore mendax ipse dubitavit Tartareus Hostis, ingentes inter ululatus alicubi ità exclamare auditus: *Quid hoc? Vivens nobiscum confligere nunquam, hic voluit Senex: mortuus verò acerrimè nos & infestat, & cruciat?*

Non tamen ob hæc implacabilibus ipsum insectari odiis maligni nebulones ullo unquam tempore destitere. Et quan-

quam

Digitized by Google

quam capitalium hujuſmodi inimicitiarum cauſam, inſpectis Franciſci moribus, ac miniſterio, rimari difficile haud cuiquam foret; eam tamen diſertiſſimis verbis ipſimet hominum hoſtes Neapoli declaraſſe ſunt viſi. Conſuetis quippè Eccleſiæ Exorciſmis dum Energumeno cuidam præſtò olim eſſet ſpectatæ probitatis Sacerdos Joſeph Stella, illud inter alia imperandum malo Dæmoni cenſuit, ut quoniam ibi adeſſet Franciſcus, ad oſculandam hominis manum promptè accederet. Cui durum execratus imperium Tartareus veterator, *Faciam*, inquit, *ac lubens: Manum oſculabor, modò priùs linguam ſibi ipſe præcidat*. Hominis nempè verbis, & concionibus ſe, ſuoſque uri hoc dicto ſatis prodidit, cui elingui, ac muto obſequium pollicerì neutiquam detrectavit. Inextinguibili idcircò in eum irâ inflammati crudeliſſimi hominum hoſtes per ſuos, ut dixi, emiſſarios ejus operibus fraudulenter ſe opponere, nomini per Energumenos obloqui, nec maledictis, atque execrationibus parcere. Ab eo demùm, quòcunque pedem inferret, tanquam ab infenſiſſimo ſuis rebus adverſario paſſim metuere. In noſtrum Maſſenſe Collegium tùm primùm eum adventaſſe, reſciri ab ullo in ejuſdem Collegii Templo minimè poterat: moleſtum tamen novi hoſpitis adventum quidam ibi rebelli Genio exagitatus *his protinùs* verbis exclamans vulgavit: *Quid iſte hùc acceſſit Senex? Quæ, malum! illi res mecum eſt?* Adeò ex acceptarum alibi cladium recordatione odium, ac metus in immenſum excreverant.

Mirum proinde ob hæc haud cuiquam fuerit, ſi non merè intrà verba tantus ſe continuerit furor, ſed ea in ipſum nequiter ex intervallo auſus peſſimus tenebrio fuerit, quibus Apoſtolicos ejus conatus vel dolo eludere, vel aperta vi ulciſci pertenderit. Utrum-ne domi, intempeſta nocte, horum aliquid paſſus ab eo unquam fuerit Franciſcus, ex alto ejus ſuper hiſce rebus ſilentio, non omninò liquet. Exauditus tamen in ejus cubiculo horrendorum verberum fragor, clamores varii, ejuſque veluti alium aliquem objurgantis voces, alienâ potiùs vi acerrimè vexati, quàm ſævientis in ſemetipſum hominis ſuſpicionem pluribus fecere. At verò quod ſuſpicioſum alibi, perſpicuum Juliani, non longè ab Averſa Urbe, aperta malorum Dæmonum tùm fraus, tùm effrænata violentia effecit. Ad frequentem Populum in Templo ibi dicebat Franciſcus: cum improviſus deſuper tigno-

Digitized by Google

gnorum, tegularumque ſtrepitus ruituri in Auditorium tecti metum adſtantium animis ingeſſit. Abrupta ſtatim incondito fugientium clamore concio: terga omnes gregatim in ſubito pavore vertere, atque in anguſtis jam Templi foribus impedire ſe invicem, & collidere, ut majus à fuga nonnullis, quàm à ruinæ formidine periculum immineret. Sed cognita re, inanem eum metum eſſe ingenti vocis contentione exclamans è ſuggeſtu Franciſcus, trepidos è fuga revocat, atque ad redeundum ad concionem hortatur. Regredique ad locum conſternatos ad unum omnes cum hominis autoritas iis vocibus compuliſſet; patuiſſe ejus menti ſtructas à nequiſſimo veteratore ad diſturbandam concionem inſidias eò evidentiùs eſt agnitum, quòd non intacta modò in Templo omnia eſſe, verùm ne ſuſcitatum quidem ibidem pulverem, nec lapillorum fragmen ullum è faſtigio in pavimentum collapſum intereà fuiſſe attoniti obſervarint.

Præter vana hæc tamen fraudulentorum hoſtium terricula contemptu palàm eluſa, longè acriores eorundem in ſuum caput iras expertum ſe ibidem clàm noctu fuiſſe diſſimulare pro more haud potuit Franciſcus. Quamvis enim pluries alibi exporrectâ fronte in publicum manè prodiens, humerorum vibicibus veſte contectis, de nocturni ſtrepitus terrore ſciſcitantibus alia omnia reſponderit; in eo tamen Oppido è lividis contuſi vultus notis, atque ex audito à Contubernalibus atrocium plagarum crepitu maligni hoſtis ſævities manifeſtè adeò eſt deprehenſa, ut malè mulctatum ab eo ſe proximâ nocte fuiſſe inficiari manè nulla ratione valuerit.

Simili verberum incurſione ab iiſdem rebellibus gentis exceptum in Sancti Antimi Pago eum fuiſſe è tumultu, ac fremitu non minùs, quàm ex incuſſo ſibi per eam noctem pavore conjecit memoratus alibi ejus Socius, qui teſtatus poſtmodum hoc ſuis literis eſt, Gaſpar Ferrucci Societatis Sacerdos. Res ità habuit. Confectâ Miſſione è Sancti Antimi Agro Neapolim regredi dum pararet Franciſcus, ſubſiſtere eum ibi alio item die ſubortum ex improviſo negotium coegit. Quod ne veteris hoſpitis, aut ullius oppidanorum incommodo fieret, in publicum diverſorium ſeſe cum Socio recipere ſub veſperum cogitaverat. Huic tamen conſilio locupletior quidem loci incola comiter adverſatus, eum in decentiorem, quam habebat domum, omni

offi-

Digitized by Google

officio attraxit ; honoris quidem homini exhibendi ſpecie , reapsè , ut quam ipſe ſuperiorem domus contignationem malis dæmonibus infeſtam in totum deſerere coactus fuerat , tanti Viri hoſpitio expiatam recuperaret . In ipſum certè Tartareas eas peſtes auſuras nihil fore ſibi perſuaſerat . Ergo in obſeſſam tàm probis inquilinis domum totius rei , & conſilii imprudens ingreſſus Franciſcus , ut primùm à cœna in ſeparatum à Socio conclave ſeceſſit , ecce inter cœcas noctis tenebras horribilis extemplò fragor, ac ruentium lapidum ſtrepitus totâ domo exaudiri . Quâ improviſâ calamitate , ſimulque violenter detractis è lectulo lodicibus excitus è ſomno Socius , dum metuendis reſonare ſibilis cubiculum audit , ac veluti ruituræ in ſuum caput rupis impetum ſibi experiri videtur , ad lumen accendendum properat: irritâ tamen operâ. Ter enim accenſum ter excitati à lucis oſoribus venti impetu extingui videt . In proximum verò Franciſci conclave inferre ſe cupientem major inceſſit metus . Longè enim pejus turbari ibi omnia , ac non ſtridore , ac minis, ſed flagellis , ac fuſtibus cum ipſo rem peragi animadvertit . Quare lipſanothecâ pectori appreſsâ inſomnis totam noctem metu penè exanimatus extraxit. Ingenti verò nocturnorum Lemurum fragore ſub diluculum ſedato , dum triſtem nocturni conflictus hiſtoriam exponere adventanti ad ſe Franciſco jam vellet , ejus narrationem hilarè ab eo præverti his verbis audit : *Concepti in heſternam tuam Concionem odii indicium nocturnæ hæ improbi dæmonis intemperiæ , opinor , fuere . Tuis verbis læſus par pari reddere incuſſo tibi terrore molitus eſt* . Cumque in communi ea ærumna ad ſe metum , ad ipſum verò fuſtuarium ſpectaſſe , contrà objiceret Socius ; in riſum ipſe , ac jocos ſolutus , ſermone pro more in alias res jucundè derivato , gratiiſque hoſpiti humaniter actis primo manè diſceſſit . Ejus verò conſtantiæ , atque animi magnitudine victos egregiè dæmones turpi fuga exceſſiſſe , vacuamque domino in poſterum domum feciſſe , elapſo ſemeſtri ſpatio idem Socius edidicit . In callidum quippè hoſpitem fortuitò offendens , præclarè enimverò , tranquillèque apud eum ſe cum Franciſco pernoctaſſe amicè conqueſtus eſt . Cui ſtatim ille ; *At ego* , inquit , *pacatam , quietamque domum Franciſco debere me fateor . Ex ea quippè nocte libero , ac metu ſoluto inibi mihi ægere licuit . Tranquilla ibi omnia : ſupellex nemo quidem loco unquam eſt . Quid quæris ? Tartarei furoris nè veſti-*

Digitized by Google

vestigium quidem in ea deprehendas. Næ ille suarum precum amuleto ab infernis vexatoribus meam domum redimere est visus. Hæc ille, initi à se consilii successum, restitutamque sibi Francisco inquilino domus possessionem gratulatus.

Cæterùm de Francisci in rebellium Geniorum fraudes vi, ac virtute magnificè adeò non solus hic sensit. Huic de ipso persuasioni improbum dæmonem ipsum confessione suâ suffragatum non semel fuisse reperio. Etenim dum olim Neapoli miseri cujusdam Mercatoris corpus indignis vexaret modis, nec in eum dirè furendi finem faceret; qui solennibus eum Exorcismis compesceret, vocatus adfuit memoratus nuper Sacerdos Joseph Stella. Cui seù suopte nutu, seù, quod verosimilius est, Divino jussu, Latinè, uti aliàs fecerat, hæc tandem Dæmon: *Vade ad Patrem Franciscum, & fac, ut oret pro hac Creatura.* Quo sanè dicto, & quàm Deo acceptus, & quibus potissimùm armis metuendus sibi esset malè habitus à se toties Franciscus, luculentissimè significavit.

Nec minori erga ipsum obsequio, tùm quem obsederat puerum, Vincentii de Grado filium, Sancti Cyri reliquiis vix ab ipso attactum deseruit; tùm quanti ejus imperium faceret, palàm Tarenti vel invitus ostendit. Ibi enim in præcipui Tarentinorum Tutelaris Sancti Cataldi Sacello ad obsessi corporis deditionem compulsus, hac tantùm conditione audientem se dicto fore respondit, si is nimirùm, qui sacrando Cyri Martyris oleo in Templo vacabat, ad eam profectionem sibi indicendam accederet. Franciscum his vocibus designari agnitum: qui certior de re à Missionis Socio Joanne Baptista Cacciuttulo Societatis Sacerdote factus, facessere Dei nomine ex iniqua possessione sævum hospitem vix imperavit; cum veteri statione relictâ stetisse promissis mendacem cæteroqui dæmonem (uti juratus idem Socius de scripto testatus postmodùm est) certis indiciis apparuit. Profectò expulsionis suæ damnum ingenti Authore solari hoc facto expetiit dæmon. At & suam eâ re elationem, & egregiam Franciscí virtutem, ac meritum ex æquo prædicare est visus.

Digitized by Google

CAPUT IX.

Sacræ Peregrinationes eximiâ pietate à Franciſco ſuſceptæ.

His etiam Catholicæ Eccleſiæ ſenſu probatis Peregrinationibus ſeſe Franciſcum exercuiſſe reperio. Atque ut ex Aprutii Excurſionibus Lauretum, ad Gentium omnium religione inclytam Deiparæ Virginis Domum; ità è Neapolitanis laboribus Amalphim, ad Sancti Apoſtoli Andreæ ſepulchrum, pietas, propenſumque erga Sanctos Cœlites ſtudium ejus animum impulit.

Ac Lauretanam peregrinationem è *Tocchi*, in quo verſabatur, Oppido, tridui itinere diſcretam anno hujus ſeculi III., pedes, victuque precariò quæſito lubens ſuſcepit: nec niſi cum Deo, aut de Deo, cum pio, ac nobili, quem habuit, itineris comite, Raymundo Blanch agere voluit. Quas ipſe ibi delicias expertus animo fuerit, minimè liquet. E' ſalutata certè admirabili illa Mariæ Virginis Cellâ, Cœleſtibus adeò illecebris perfuſus abire eſt viſus, ut nullo alio mortalium rerum aſpectu paſcendos oculos duxerit. Quare eo è Sacrario redux oblatam videndæ Romæ opportunitatem reſpuit; veritus ne ſe pariter, non ſecùs ac alios plures, tantæ Urbis potiùs magnificentia, quàm religionis ſtudium ad deflectendum eò iter alliceret. Laureto proindè Aprutium eâdem, quâ venerat, viâ repetens pridie Chriſti Soteris Natalem diem, Adriam in noſtrum Collegium divertit. Ibi enimverò quantò potiores in Puerum Jeſum amoris flammæ è conſpectâ Lauretanâ Æde ejus ſe animo ſuperfudiſſent Adrianis Civibus oſtendit. Etenim poſteaquàm ter ad Aras ex ejus Solennitatis ritu litavit, Divini Infantis Simulacrum multis ſtipatum luminibus ſacris ipſe veſtibus amictus per primariam Urbis Ædem circumtulit. Dein benè longa concione in Cœleſtis Pueri laudes effuſus, quo in naſcentem è Virgine Hominem Deum æſtuaret ardore, piis potiùs lacrimis, quàm ullo verborum apparatu ità prodidit, ut ad ſimiles affectus frequens, quod ibi aderat, Auditorium provocaret.

Amal-

Digitized by Google

Amalphitanæ verò profectioni quadriennio post, anno nimirùm labentis seculi VII. Augusto mense, tùm Andreæ Apostoli, tùm vicinarum, quas plurimas is tractus habet, Sacrarum Ædium visendarum causâ animum lubens adjecit. Breve eò versus, ac maritimum unius diei iter pari pietate institutum. Matutinæ meditationi tempus in phaselo privatim datum. Mox eo præeunte à vectoribus, ac nautis in decantandis Deiparæ laudibus magna diei pars extracta. Nec sua per vices pia confabulatio defuit, quæ itineris simul tædium levaret, & accommodatis præceptionibus ad vitam rectè instituendam secum navigantes hilarè incenderet. Eò verò appulsus, apud eundem, quo comite venerat, Franciscum Torre duarum hebdomadûm spacio diversatus, non aliis, nisi è Cœlo quæsitis, animum explere deliciis eo in otio studuit. Mensa ad severioris parsimoniæ leges, reclamantibus nequicquam hospitibus, de more exacta: delicatiores epulæ in eorum gratiam vix delibatæ, adinventis tamen, quas familiares sibi fecerat, excusationibus duriori cibo posthabebantur. Nec somni appetentior, noctem vibratis precibus magnam partem traducere ex inferiori domus contignatione exaudiebatur; & lectulus concinnè compositus, nec nisi in cervicalis angulo sellæ contiguo depressior repertus, brevis, atque incommodæ quietis fidem quotidie fecit.

Ad Sacrum porrò, cujus gratiâ venerat, Apostoli Tumulum, suis stipatus hospitibus nullo non die rediit. Peractoque ibi Sacro, precibus ad multas horas intentus, Divinæ Clementiæ opem *Andreâ deprecatore* sibi, & aliis conciliabat. Ad Franciscanum etiam, quod eâ in Urbe est, Sancti Antonii Cœnobium manè quodam progressus, ubi dicatum Assisiati Patriarchæ Sacellum ei, dum in terris ageret, Cellam præbuisse inaudiit; amandatis aliò comitibus, intendere ibi liberè animum piis commentationibus, ac precibus diù solus voluit, quò cognominis sui Francisci recordatione ad ejus virtutum imitationem ferventiùs postmodùm inhiaret. Notabile verò per id tempus illud in eo fuit, quod cum repetendæ domus vicinus cum meridies admoneret, per angustos potiùs tramites, quàm per frequens Civibus Forum reditionem lubentiùs adornaret. Verùm ita faciendi infensum Fori vitiis, quem gerebat, animum causam esse, scitanti cuidam his prodidit verbis: *Forum, ità est, lubens declino: at num illàc transeam, ut malorum dæmonum,*

Digitized by Google

quæ plurimæ illic aguntur, choreis, me intrudam? Ludorum nempè, obtrectationum, fraudum, nefariarumque pactionum colluviem paſſim Fora eſſe longo rerum uſu, atque experientiâ jampridem didicerat.

Quoniam verò non tàm nativa oræ amœnitas, quàm celebrium ſanctitate Ædium vicinitas invitabat; Salernum quoque ad magnificum Matthæi Apoſtoli ſepulchrum; necnon Minoram, ſeù Reginnam Urbem, ad Virginis, ac Martyris Trophimenæ cineres venerandos; Ravellumque, Urbem Medici, ac Martyris Pantaleonis cuſtodito cruore inſignem, ſimilis religionis causâ per vices divertit. Nec difficilium aſcenſu callium aſperitate fatigatus, ſexagenario licèt major, pedibus per eas rupes incedere detrectavit. Amalphitanam interim eam moram ſuas ferias, factaque ſibi à Deo otia vocitabat; cùm tamen ne & huic otio ſuum deeſſet negotium, tùm audiendarum Confeſſionum labor, tùm habitarum ad ejus Urbis Aſcetrias concionum quotidiana exercitatio effeciſſet.

Nec levem præterea hujuſce otii partem exhibendum ægris per idem tempus levamen detrivit. Cauſam, & originem id genus petitionibus ipſa, apud quam diverſabatur, familia dedit. Martham enim Torre Franciſci ſororem Hydropi jampridem obnoxiam nactus ibi Franciſcus, eâ ſtatim viſâ, humaniter ſuccenſentis ſpecie: *Quæ veſtra*, inquit, *oſcitatio eſt? Medicum domi habetis; ejus tamen operâ ſtultè uti negligitis?* Nec diù cunctatus, Sancti Cyri reliquiis ægram vix primùm attigit, cum faſtiditum jamdiù cibum eam avidè ſtatim appetere non leve remittentis morbi indicium fuit. Ad eum verò attactum ter ſummùm per eos dies regredi neceſſe ipſa habuit, ut ante Franciſci diſceſſum non perfectè ſoltùm revaleſceret, ſed ut nullâ etiam intercutis aquæ moleſtiâ conflictandum ſibi in poſterùm eſſe, prout reapſe accidit, non ex vano ſperaret. Tantæ rei famâ excita enimverò certatim ægri Franciſco ſe quotidie ſiſtere, confuſo gemitu ejus auribus opplorare, ægritudini quiſque ſuæ opem expoſcere. Quos ipſe omnes Sancti Cyri oleo, vel aquâ donatos dimittens, plurimorum calamitatibus pio eo remedio præclarè conſuluit.

Denique ne humanorum adeò erga ſe hoſpitum corporibus magis, quàm animis profuiſſe videretur; extremâ hoſpitii nocte, ſe primo mane abiturum cum bona totius familiæ veniâ præfa-

tus,

Digitized by Google

tus, in gratiarum actionem plenis officii verbis se comiter effudit. Eorum in se beneficentiam magni se quidem facere professus est: at dolere sibi addidit, quod, undè tot beneficiis vicem rependeret, nil sibi pro tempore suppeteret: adesse tamen, qui in reddendâ gratiâ suæ inopiæ vices implere cumulatissimè valeat, Locupletissimum juxtà, ac Benignissimum Deum. *Quocirca* (erectis in Cœlum oculis ità loqui perrexit) *illud à te infimis precibus, Summa, ac Sanctissima Trinitas peto, ut optimè hanc de me meritam domum à peccati sordibus vacuam, ac puram serves: neque enim ulli mortalium familiæ præstantius beneficium optari unquam posse existimo.* Quibus sanè Cœlestis Sapientiæ verbis ex omnium, quibus benè precatus ad extremum est, oculis lacrimas discessurus expressit.

CAPUT X.

Sancti Martyris Cyri cultum Neapoli, alibique passim promovet Franciscus.

NEapolitanæ Professorum Domus Sacra Ædes, Jesu Servatori, immunique à primævæ originis labe Deiparæ Virgini Sacra, cum multis aliis, tum hoc præcipuè nomine celeberrimis *Italiæ Templis* accensenda meritò est, quòd ad dexterum Maximæ Aræ latus eidem Virgini, Divæque ejus Genitrici Annæ dicatum præ cæteris illustre Sacellum habet, si minùs ulla alia, certè centum, ac sexaginta Catholicæ Religionis Heroum insignibus Reliquiis locuples. In affabrè elaboratis ex utroque latere hæ Repositoriis sitæ, atque elegantibus thecis clausæ surgentis in medio Aræ, imò ipsius Templi & ornamentum, & religionem augent. Nam præter tertium Octobris Dominicum diem eorum laudibus festivâ pompâ in commune celebrandis jamdiù attributum; præter cultos consuetis Ecclesiæ ritibus Natales singulorum dies; ad eorundem Martyrum cultum in majus provehendum, Sacrâ Synaxi quot mensibus eo in Sacello refectis plenam delictorum Indulgentiam Nostrorum rogatu Benedictus XIII. haud ità pridem benignè concessit.

Inter

Inter hæc Cœlitum pignora decenti incluſum Lipſanotheca Sancti Martyris Cyri corpus ſervatur. Medicinam hic primò profeſſus, in Eremo deinde aliquandiù latuit; atque ex eâ demùm tuendæ veræ Fidei causâ in Urbes, veluti in campum, adverſus Ethnicos regreſſus, aſperrimis cruciatibus invictâ animi fortitudine toleratis, Martyrii Lauream adeptus feliciter eſt Canòpi in Ægypto, prid. Kalend. Februar., anno ſeculi tertii octogeſimo octavo. Plura ejus miracula Concilium Nicænum II. refert ad ſacrarum Imaginum cultum contrà Iconomachos firmandum; quod anno à Virginis Partu DCCLXXXII. Conſtantino, & Irene ejus Matre imperantibus, conſenſu Adriani I. Romani Pontificis ad profligandos Iconoclaſtarum errores coactum fuiſſe conſtat.

Porrò Inclyti hujuſce Martyris Cyri cultui, atque obſequiis eximiè ſe addixit Franciſcus, in ejuſque fidem, & clientelam tùm ſe, tùm, quotquot potuit, alios conferre enixè ſtuduit. Quæ verò potiſſimùm cauſa eum ad hunc ſibi præ cæteris Tutelarem deligendum adegerit, conjecturis, & quidem non improbabilibus, attingi fortaſſe poteſt; certis verò indiciis, ac firmo aliquo documento ſtatui, ac decerni non poteſt. Cœleſti eum inſtinctu impulſum ad ità agendum eum fuiſſe cenſuere initio nec pauci. Imò verò Cyrum ipſum è Cœlo delapſum videndum ſe ei obtuliſſe, ſuamque ejus laboribus operam pollicitum fuiſſe, in ejus ſanctimoniæ admirationem propenſiores opinati ſunt alii; ac neutris fortaſſe à vero aberrare contigit. Ipſe verò Franciſcus eâdem de re interrogantibus illud ſemper repoſuit; ſibi in animorum ſalutem intento æquum videri curandorum etiam corporum, quoad ejus fieri poſſet, ſtudium non omninò negligere. Ad id verò exequendum nil Cyri Martyris ope, ac tutelâ opportunius eſſe; quippè qui utriuſque Medicinæ Artem cum ingenti Chriſtianæ rei emolumento primis illis Eccleſiæ ſeculis exercuiſſet. Nec hujuſce cultus originem curioſiùs veſtigantibus patère, præter hæc, unquam quicquam aliud potuit.

Ejus igitur Reliquiarum particulas, è majori Hierotheca extractas, minori ipſe arculâ incluſas ſecum continenter habens, quotquot accerſitus adire decumbentes debuit, ad inſignis adeò Medici, ac Martyris implorandam opem hortatus eſt ſtatim. Ac præſentiſſimi quidem amuleti loco, quas ferret, ejus reliquias fore addebat, modò expiatos priùs noxarum confeſſione ægros attingerent. Ità membrorum valetudinis reſtituendæ obtentu

ad

Digitized by Google

ad curandos animorum morbos ſagax ejus artificium piè collimabat. Quod ſanè proſperè adeò ei ceſſit, ut innumeri ſint, qui ex inſita protrahendæ diutiùs vitæ cupiditate Franciſco auſcultantes, utriuſque morbi calamitatibus ſeſe feliciter expeditos perſenſerint. Atque invocatâ Sancti Cyri ope è difficillimis ægritudinibus præter omnium ſpem plurimos convaluiſſe tùm vulgatum ſatis Neapoli jam eſt; tùm in calce S. Cyri Hiſtoriæ, à noſtri Ordinis Sacerdote Franciſco Paternò anno hujus ſeculi VII. Italicè conſcriptæ, legere cuique licet; tùm denique è ſelectioribus quibuſdam curationum eventibus colligere integrum erit, quos interpoſitâ Sancti Cyri operâ impetraſſe Franciſcum & ipſe in loco referam. Neque enim, quæ adhibito Clientis ſui miniſterio impertita à Cyro fuere decumbentibus beneficia ex parte memorare ab inſtituti mei ratione alienum judico.

Hujuſce porrò inſignis adeò morborum depulſoris nomen, ac famam vulgari, ejuſdemque tutelam, ac fidem certatim à Populis expoſci idem fuit. Quare brevi temporis ſpatio factum, ut plurimos jam Cyrus numeraret Clientes; quorum alii laudibus, effuſis alii precibus, oblatis etiam muneribus plurimi egregium hunc Martyrem pro ſuo quiſque ſtudio, ac facultate conciliare ſibi cœpere. Eorum verò, quos ad hunc cultum excitaverat, pietati, ac ſtudio ut ſatis pro virili parte faceret Franciſcus, ſacratum à ſe Sancti Cyri nomine Oleum, Aquam, aut redactum è Floribus Pulverem petentibus diſtribuere commentus eſt. Et Oleum quidem capaci vaſe exceptum prægrandi veluti in lampade ardere in ejus obſequium priùs juſſerat: Aquam immerſis ejus lipſanis expiabat: Flores verò Martyri eidem anteà dicatos, ubi exaruiſſent, in pulviſculum contritos parvis obvolutos ſchedulis in languentium medelam piè dividendos ſervabat.

At minora hæc, nec niſi privata quodammodò ſingulorum erga Cyrum officia Franciſco viſa. Majus aliquod, idemque publicum his ut obſequium adjungeret, Feſtam aliquam Lucem, quâ ſolenni pompâ, maximiſque hominum concurſibus Cyri nomen, ac meritum paſſim celebraretur, decernendam duxit. Quod cum Natali ipſo Sancti Cyri die, quæ exeuntis Januarii poſtrema lux eſt, nimboſæ ut plurimum hiemes, longæque ejus temporis noctes fieri, ut par eſt, prohiberent; in tertium Maji menſis Dominicum diem, utpotè Populis, mitiori jam anni parte, evocandis aptiſſimum, inſtitutæ à ſe celebritatis perpetuò differen-

Digitized by Google

rendæ Author fuit. Quod quidem eò magis placuit, quòd eo potiſſimùm menſe è proximis Neapoli Oppidis, Pagiſque plenæ delictorum Indulgentiæ cupidos ad noſtram Ædem frequentiſſimos accurrere ſuâ jam induſtriâ edocuiſſet. Futurum igitur de facili cenſuit, ut feſtâ eâdem luce, & ab auctis Clientibus amplior in Cyrum laus, & à ſalutato Cyro major patrocinii ſpes, ac Cœleſtis Indulgentiæ commodum in hos viciſſim redundaret. In his verò rebus ad optatum exitum perducendis admirabilis omninò Franciſci felicitas fuit. Vix enim in augendam feſtæ ejus lucis anniverſariam celebritatem incumbere eſt viſus; cum Sancti Cyri beneficiis, vel etiam ſuis devinctos pii operis adjutores nactus eſt plurimos, quorum liberali operâ non longo temporis intervallo octo millia nummûm in ſortem redacta neceſſarios in eam pompam ſumptus annuo cenſu ſuppeditarent.

Nactus prætereà deinde & alios eſt, qui beneficæ Sancti Cyri tutelæ vel memores, vel cupidi, argenteo ejuſdem Simulacro eleganti opere elaborando quicquid pecuniæ opus foret munificè ſuffecere. Aggreſſuſque id operis paulò ante, quàm Terram deſereret, Franciſcus, perfectum, abſolutumque ſibi decumbenti afferri ab Aurifice vidit: ingens profectò propediem deceſſuri ſolatium, quòd ſui erga Cyrum amoris, & obſervantiæ extremum illud ſpectandum poſteris relinqueret monumentum. Cyrum porrò ipſe ſtantem Anachoretæ habitu, atque inſignibus effingendum curavit; lævæ palmam triumphalis Martyrii teſſeram inſeruit, dexteram verò in ſublime protenſam voluit, quæ Cyrum ſcilicet fauſtùm Clientibus ſuis precantem continenter oſtenderet. Opus è puro argento eſt, pondo librarum centum circiter, & quadraginta, elegantiſque artificii ratione habitâ aureorum penè tribus millibus æſtimatur. Feſtâque Sancti Cyri luce ad dexterum Majoris Aræ latus decenti impoſitum baſi adventantium omnium oculis & cultui patet.

Hæc pro adſcito in laboris ſui conſortium Cyro Franciſcus. Impenſis verò hiſce ejus ſtudiis quid contrà rependerit Cyrus, non alia ratione exponi à me poſſe melius arbitror, quàm ſi Franciſci ipſius verba commemorem, quibus perennem Cæleſtium donorum fontem in Cyri Beneficentiâ ſeſe Neapolitani Regni Incolis aperuiſſe indicavit. Extremo laborantem morbo Franciſcum dum Pontificius ad Neapolitanum Regnum Legatus

Digitized by Google

tus Theſſalonicæ Archiepiſcopus Hieronymus Alexander Vincentinus benignè inviſeret, S. Cyri mentione ſtudioſè inter piè confabulandum injectâ, metuere ſe apertè ſignificavit, ne, ipſo è vivis ſublato, tot inſignium S. Cyri beneficiorum penitùs areſceret vena. Conceptâ verò formidine eum illicò liberavit Franciſcus; &, *Ità metuendi*, repoſuit, *cauſa jam nulla eſt. Neapolitanarum rerum patrocinium, quod jam Cyrus ſuſcepit, me extincto haud deſeret profectò. Certè ſi, quæ hactenùs in plurimos per me indignum cæteroqui hominem contulit, beneficia ad calculos revocentur, dena eum millia elargitum fuiſſe compertum erit, atque in his ſuprà naturæ vires, atque ordinem plurima: nam præter cæteros, duobus potiſſimùm inſaniæ morbo laborantibus mentis uſum reſtituit.* Quo ſanè dicto cùm ad gratam veterum S. Cyri beneficiorum recordationem, tùm ad ampliſſimam novorum ſpem in Neapolitanorum animis excitandam dici, aut excogitari nihil commodius poteſt.

Iis porrò verbis, *Per me indignum cæteroqui hominem contulit*, quæ inter ſupremi morbi angores Franciſco excidiſſe apparuit, conceptæ jam olim de ipſo plurium opinioni ingens pondus acceſſiſſe, eſt viſum; idcircò ſcilicet Cyri nomen, ac pignora eum paſſim adhibere conſueviſſe, quò rebus ſuâ etiam operâ admirabiliter geſtis obtentui ea eſſent; ità que fieret, ut, ſe modeſtè occultato, integram prodigiorum laudem, ac prædicationem in laboris partem vocatus ſibi præciperet Cyrus. Qua in re magnum illud Societatis lumen, veræque Sanctimoniæ exemplar Bernardinum Realinum Carpenſem imitatus videtur. Ut enim Lupiis ille Virginis, Martyriſque Irenes, ita ipſe Neapoli Sancti Cyri lipſanis ad averruncandas calamitates admotis, alienæ virtutis oſtentatione, ac præconio patratorum ſubinde miraculorum opinionem à ſe amoliri ſatagebat.

Sed de Cyro, & Franciſco, ut non parcus hactenùs, ità uberior multò in dicendis inferiùs redibit ſermo. Interim ejus Virtutum magnitudinem fuſiùs enarrandam aggredior.

Digitized by Google

VENERABILIS

FRANCISCI DE HIERONYMO VITÆ

LIBER III.

CAPUT I.

Franciſci in Deum Fides, ac Spes.

HRanciſci jam vitam, ac res geſtas ordine, quo licuit, executus, ad ejus nunc animi mores, ut par eſt, Virtuteſque per capita, & ſpecies enucleatiùs commemorandas accedo. Ut & quibus è fontibus egregius ejus promanarit labor, & quem ad ſcopum ſuſceptæ ab eo vitæ ratio, atque inſtitutum collinearit, unâ, eâdemque operâ legentibus liquidiùs pateat.

Principiò igitur Virtutum omnium parens illa, atque altrix in Franciſco adeò emicuit Fides, ut nullâ in re altiſſimorum ejus Myſteriorum maximâ Religione non apparuerit imbutus. Præcipua ejus Dogmata ubi populo in Concionibus proponeret, quàm altè loquentis animo ea hærerent, incredibilis, quo ea explicabat, ardor ſatis prodebat. Veræ ejus Doctrinæ dilatandæ ſtudio in Indias, ut dixi, tranſmittere Junior voluit. Eâ verò ſpe frau-

Digitized by Google

fraudatus, corrigendis licèt ad Divinæ Legis normam Christiani populi moribus sedulò intentus, instruendorum tamen Catechesi rudium nullo unquam tempore munus neglexit. Id domi ut quisque præstaret, vehementissimis verbis suos hortabatur Sodales. Quorum etiam operâ ad erudiendos, quos per se ipse neutiquam poterat, utens, publicas ab his adiri Custodias jubebat, quò detentos inibi adultos rudes nec paucos Christianæ Fidei rudimentis pro modulo informarent. Ipse verò Urbis angiportus persæpè obire, coactæque ibi plebeculæ Catholicæ Veritatis summa capita planissimè veluti per otium aperire, atque ad exercendos Theologicarum Virtutum actus voce præire: ne scilicet turpissimâ rerum harum ignoratione Christianum populum perire contingeret.

Ut piè non minùs vivere, quàm mori, edoctus à se populus disceret, in Sanctæ Mariæ Constantinopolitanæ Æde (ubi tertiâ Hebdomadæ feriâ longo annorum spatio conciones habuit), laudabilem illum induxit morem, ut singulis mensibus, solemni veluti formulâ, ea quisque sanus, atque incolumis profiteretur, quæ, attritis extremo morbo viribus, nec voce tenùs eloqui fortasse valeret. Jam ubi Christianæ Fidei sacramentum renovandum conceptis verbis jam esset; gestu, ac voce è superiore loco Franciscus ad id ex animo præstandum Auditores vehementiùs excitare; eaque in Catholicæ Religionis commendationem addere, quibus ad eam vitæ, si opus foret, jacturâ testandam Audientes inflammaret; ac, *Sancta Jesu Christi Fides, ac Religio vivat*, clamare non rarò confertam multitudinem juberet. Adeò virtutis hujus inter Christianos fovendæ studium ejus animum incenderat.

Hinc nullus eum acriùs pungebat dolor, quàm si exteros homines, mercaturæ, aut alterius cujuslibet rei gratiâ, Neapolim appulsos parùm Orthodoxè inter Orthodoxos loqui inaudiret. Horum ipse garrulitate, ac licentiâ nihil privatæ, publicæque Pietati incommodius esse arbitratus, ad eam, quâ voce carpendam, quâ operâ exterminandam curas intendebat omnes. Et sanè in his, quæ ad Catholicam Doctrinam spectant, delicatum adeò ejus aurium judicium fuit; ut ab uno etiam è Nostris, cui ambiguum nescio quid in Concione in Foro habitâ exciderat, explicari clariùs aliâ Concione sententiam jusserit; ac, si quâ parte detorqueri ea in pravum posset, etiam retractari. Nec dispari

Digitized by Google

ardore proſcriptis ab Eccleſiâ libris infenſus, ſi quos virulentæ hujuſmodi lectionis adſtrictos deprehenderet, gravitèr increpitos à ſe inexpiatos dimiſſum iri denuntiabat, niſi manus, ac mentem periculosâ hac peſte priùs ipſi expiaſſent. Eodemque odio veneficia, amuleta, & quicquid anilis ſuperſtitio comminiſci unquam ſolet, de plurium manibus excuſſum extemplò cremandum curabat.

Ad hæc, ab Heterodoxis perperàm ludibrio habita Catholicæ Eccleſiæ Dogmata, ac Ritus ut ſummo ſibi in honore eſſe edoceret; de Romani Pontificis Dignitate, atque Authoritate, eâ, quâ par eſt, veneratione, atque obſequio loquebatur. Primariæ ejus Cathedræ Oracula Sancta, Auguſta, ac Religioſa exiſtimabat: publicarum Supplicationum re non minus, quàm voce uſum probabat. Ad petenda Sanctorum Cœlitum præſidia, ad criminum Indulgentias catervatim ut in noſtram Ædem quot menſibus confluerent homines, vigili laborabat curâ. Nec diſſimili induſtria, ubi publicâm Chriſtiano Orbi expiationem Romanus Pontifex indixiſſet, incumbere ad eam ipſe promulgandam eò diligentiùs ſolebat, quò Cœleſtis lucri ſpe facilius ad pœnitentiam ſceleſtos allici putabat. Iſtiuſmodi verò beneficii in ſe pariter derivandi non minus cupidum ſe eſſe, hoc *prodidiſſe* videtur documento. Ad Philippum V. Hiſpaniæ Regem Neapolim appulſum S.R.E. Cardinalis Carolus Barberinus Clementis XI. Romani tunc Pontificis nomine de latere Legatus Româ venerat. Nihilo minori in Urbem pompâ, atque equitantium totius Regni Dynaſtarum comitatu ingreſſus hic eſt, quàm paucis antè diebus videndum ſe Urbi Rex ipſe præbuerat. Utraque magnifici ſpectaculi novitas, à Carolo V. Cæſare ex Africano bello redeunte nunquam aliàs Neapoli viſa, Neapolitani Regni incolas penè omnes excivit: Franciſcum verò ne tentavit quidem. Ac Noſtris paſſim pro Domus Profeſſorum Ædis foribus confertim adſtantibus, in Templi ipſe angulo ſolus toto eo tempore egit: inſolitæque ejus pompæ magnificentiâ oculos fraudavit ſuos. Ubi verò ſub noctem adventare jam Pontificis Legatum conjecit, aliis ad Templi fores adjunctus illicò apparuit. Cur verò ita faceret, ſcitanti familiariùs cuidam; *Adſum*, repoſuit, *quò benè precantis Pontificii Legati Indulgentiâ & ipſe proficiam*. Par eum ejuſdem lucri ſupremis vitæ horis cupiditas tenuit. Ab adjutore quippè ſocio conſecratum Chriſtiano ritu

Nu-

Digitized by Google

Numiſma ſibi è cubiculo afferri avidè cupiit, nè ritè conceſſæ morientibus noxarum veniæ, plenæque Indulgentiæ expers decederet.

Præcipuis verò hiſce Chriſtianæ vitæ, mortiſque præſidiis fermè deſtitui, imò in ejurandæ omninò Religionis diſcrimine aſſiduè verſari cum eos omnes ſciret, quos diro Turcarum ſervitio piratarum furor, vel fraus infeliciter addixiſſet; eorum ipſe calamitate, ac periculo commotus nullum Neapoli non movebat lapidem, quò eos miſerâ captivitate exemptum iret. Ac licèt nonniſi ingenti ære collato redimendos hos cerneret; apud pios tamen, ac locupletes familiares, necnon apud hujuſmodi operum, quæ in Urbe plurima ſunt, Curatores, tanti ſemper Franciſci petentis authoritas valuit, ut ejus, quam ad hunc uſum exquireret, pecuniæ obtinendæ ſpe penè nunquam fraudatus abierit: recuperatæque idcircò non minùs libertatis, quàm conſervatæ Religionis plurimis poſtliminio receptis author eſſe potuerit. Imò & Turcarum miſeram dolens vicem, quos ab Evangelii luce abhorrere avitæ ſuperſtitiones jubent; eorum ipſe, quos, ſive in Triremibus captivos, ſive in locupletum domibus pro mancipiis habitos nactus Neapoli eſt; eorum, inquam, contumaciam frangere eâ arte, atque humanitate ſtuduit, ut qui ejus operâ impia Mahometis ejurarint dogmata, è Regiis duntaxat Triremibus triginta penè numerentur, præter alios utriuſque ſexus non paucos privatis in domibus ad Chriſtianam Religionem, ac Diſciplinam addiſcendam illectos. Gratiſſimus hic ipſi erga viliſſima hæc capita impenſus labor; dilatandi quippè apud Infideles Evangelii jamdiù expetitâ voluptate imbutus. Quare munuſculis, blanditiis, omnique humanitatis genere his ipſe ſibi conciliandis intentus, ad Chriſtianæ Fidei, ac Legis Sanctitatem amandam paulatim alliciebat. Baptiſmi mox cupidos primis Chriſtianæ Catecheſeos Elementis ad multas horas è Penitentiæ ſubſellio imbuere penè in deliciis habebat. Tarditatem in pluribus, refractarium ingenium in aliis nactus; neutrius tamen vitii tædio fractus, uſque eò repetitis ſuaſionibus, ac precibus inſiſtebat, donèc illi res ex voto ſuccederent. In unum præ cæteris *Axar* nomine offendit, craſſi adeò, ac rudis ingenii, ut è diuturno Catechiſmi perſæpè auditi labore nonniſi hæc verba ediſcere valuerit: *Baptizari, ac Mori*. Hæc ipſa tamen, nec fruſtrà, hebetem, ac penè ſtolidum eum hominem didiciſſe in ejus

vitæ

Digitized by Google

vitæ exitu patuit. Senio quippe jam confectus, Deo mentem illuſtrante, ad Sacrum Baptiſmi Fontem animum tandem adjecit. Nec ità poſt multò decedens, quod verbis didicerat, re ipsâ exprimere viſus eſt: *Baptizari* nimirum, ac *mori*. Impenſa porrò hæc in ſuæ conditionis homines officia tanti apud ipſos Turcas fuere, ut alii Parentis nomine grati animi ergo appellarent Franciſcum; modeſtiam, atque amabiles alii prædicarent mores; ipſi denique, qui obfirmato in ſuis ſuperſtitionibus animo auſcultare ejus verbis apertè detrectarent, ab ejus tamen virtutibus pro rudi ſuo captu commendandis neutiquam abſtinerent.

Hac in Deum Fide ſubnixa quàm in ſublime Franciſci in eundem Deum Spes eniteretur, dici vix poteſt. Mortalium rerum illecebris omnibus infra ſe habitis, Æternam Felicitatem & ſibi, & aliis obtinendam ſuis metam laboribus præfixerat. Ejus cogitationis dulcedine ſuperingruentium curarum tædium lenire, atque ad inſtandum acriùs ſuſceptis pro amplificandâ Dei Gloriâ occupationibus ſeſe incitare. Earum verò causâ ſe laudibus à quopiam ornari, cùm aliis de cauſis, tùm etiam eo nomine refugiebat, quòd collata in se ab hominibus mortalis laus illa Immortalis Mercedis à Deo retribuendæ partem non exiguam veluti decerpere videretur. Gratulari ſemel ejus *labori* Domus Profeſſorum Præpoſitus voluit, quod hominum viginti tria millia Cœleſti ſe Pane in noſtrâ Æde uno, eodemque die refeciſſent. Perperàm verò id ſibi gloriæ tribui his contra verbis contendit Franciſcus: *Rebus licèt omnibus ad exitum felicitèr perductis, inutiles ſervos Divini Magiſtri Oraculo reputare ſeſe ipſi Apoſtoli debuere. Pro longè ergo minori labore quodnam mihi nomen obtingere poſſit, equidem non video.* Quæ ſanè verba confuſus adeò animo proferre viſus eſt, ut, ad ejus verecundiam publicæ commendationis moleſtiâ liberandam, virtutem hominis mirari, quàm coràm laudare ſatiùs in poſterum Præpoſitus duxerit, quem nimirùm laudis multò potioris ſpe ad egregios labores impelli jam noſſet.

Ex hujuſce item Spei ſuaviſſimo fonte perennes illi Cœleſtis lætitiæ in ejus animum derivabant rivuli, qui ejus in laboribus, atque ærumnis Virtutem alerent, ac ſuſtentarent; quique in ejus oculos, vultum, ac verba ex ingenti copiâ redundare videbantur. Profectò in difficillimis rerum anfractibus nunquam ità premi quis eum conſpexit, ut mœſtitiâ opprimi animadverteret.

Digitized by Google

ret. Joci potiùs, ac facetiæ in ejus ore per aspera ea tempora amæniores, frequentioresque. Obductis è nimio pedestris itineris labore callis, peracutis veluti terebris, pungebantur pedes. Recusatâ, quoad potuit, oblati currus copiâ, iis veluti stimulis ad urgendum hilariùs iter incitari se reputabat. Intolerandum jam in summis caloribus Solis æstum esse, viæ tædio victus amicè conquestus cum eo olim est Adjutor socius: *Benè igitur habet*, hilarè respondit Franciscus; *In hiemem servatus usui calor hic esse poterit*. Uberrimam ei nempè non intermissi in hoc vitæ exilio hujus gaudii segetem Cœlestis Patriæ, Æternæque Felicitatis assidua recordatio suppeditabat. De eâ ipse familiaribus in colloquiis jucundissimè differere, ejusdem expectationem, ac desiderium timidis, ac desidibus ingerere; Immortalisque Mercedis proposito fructu, se, atque alios ad breves vitæ calamitates æquo animo accipiendas hortari. Adeò verò amplam, gratamque dicendi materiem promissa illa Dei Filiis Sempiterna Hereditas sufficiebat, ut Concionum in Sanctæ Mariæ Constantinopolitanæ Æde habitarum argumentum maximâ cujusdam anni parte eam fecerit. Quo tempore, & è purissimâ illâ Æternæ Voluptatis scatebrâ haurire quæ diceret, & ejus, quam Auditoribus ingereret, Spei affatim plenus esse est visus.

At verò è benignissimo Divinæ Providentiæ sinu non hæc duntaxat, quæ maxima cæteroqui bona sunt, verùm & alia omnia, inferioris licèt notæ, expectanda sibi esse ipse censebat. Atque hâc fretus fiduciâ immensâ quadam animi magnitudine ardua quæque, atque hominum judicio difficilia moliebatur. Quâ in re usitatum morem adeò excedere nil dubitavit, ut temerè potiùs, quàm prudenter quandoque agere videri potuisset, ni non tàm humano, quàm Divino consilio, atque ope in rebus aggrediendis eum subniti pluribus jam documentis palàm fuisset. Etenim digladiantium inter se Militum furori non semel inermis se opposuit: procacium adolescentium libidini intrepidus obstitit: ad extorquendam ab obstinatis in scelere criminum pœnitentiam tot annorum spatio constanter, atque egregiè incubuit. Hæc enim verò, & si quæ sunt alia Christianæ Fortitudinis exempla jam fusiùs in superioribus memorata, nonnisi singulari in Deum Fiduciâ munitus edere ipse potuit, cujus ope, & alta spectare, & ingentia conari haud unquam refugit. Profectum indidem etiam est, quod opem poscentium succedentibus sibi quoti-

Digitized by Google

tidiè turmis obſeſſus, nec animum deſpondit, nec præſto ſe cuiquam fore diffidit. Unde enim homini Religiosâ Profeſſione pauperi, virtute pauperrimo tanta diſpertiendæ viritim pecuniæ copia? Profectò afflictæ pauperum, atque ægrorum fortunæ, Virginum pudicitiæ, pœnitentium meretricum honeſtati, unde largè, ac citò conſuleret, ipſi non defuit. Quod in pia redactum munuſcula benè de ſe meritis ultrò donaret, etiam habuit. Super hæc, in annua, eaque magnifica, tùm Sanctæ Trinitatis, tùm Martyris Cyri ſolennia, qui neceſſarios, ac perpetuos reditus providerent, quique etiam Sancto Cyro argenteum magni ponderis ſimulacrum curarent, nactus eſt plures. Næ iſthæc omnia ad optatum exitum perducta non tàm adhibitæ à Franciſco induſtriæ, quàm collocatæ ab eodem cum certâ Spe in Summi Numinis Providentiâ Fiduciæ præclara, ac nunquam interitura ſunt documenta.

CAPUT II.

Ejuſdem in Deum Amor.

EXimii, quo in Deum Opt. Max. Franciſcus arſit, Amoris luculentiſſimum argumentum tota ejus vita dici meritò poteſt, cujus nulla pars ab eo unquam vacare viſa eſt. Quò enim tot ſuſcepti ab eo labores, quò egregia molimina, ac facinora ad unum omnia collinearunt, niſi ut dilecto ſibi Supremo Numini Caritatem, ac ſtudium probaret ſuum? Teſtari hoc invitus ſub mortem ſuis ipſe verbis debuit. A Domus enim Præpoſito aperire pro imperio juſſus, ſingulare-ne aliquod, atque inſuetum Dei Donum expertus in vita unquam eſſet? Nonniſi hæc obortis lacrimis reſpondit: *Hoc verò maximum, ac ſingulare in me Dei Beneficium reputo, quod quadraginta annis Dei Gloriam, proque eâ amplificandâ æterna proximorum commoda duntaxat exquiſierim.* In hunc igitur ſcopum curas, cogitationeſque perpetuò cùm referret omnes, mirum quantùm felici huic incendio augendo aſſiduâ Apoſtolici Muneris exercitatione pabulum ipſe quotidiè ſuppeditarit.

Et verò is ſemper ejus pectori Divini ardoris inſedit æſtus, ut ſui, mortaliumque rerum omnium immemor nonniſi de Deo

vel

Digitized by Google

vel extra concionem, nonnisi cum Deo vel extra statuta orandi tempora loquendi cupidus videretur. Familiarem sermonem quòcunque quis deflexisset, in Deum semper insitâ quâdam non tàm dexteritate, quàm propensione detorquebat. Ac tacitus etiam, quem animo fovebat ignem, quòcumque incederet, mirè afflabat. In Deum prætereà, ac Divina mediis in negotiis, hominumque congressibus ejus mentem rapi, appressæ pectori manus, erectique identidem in Cœlum prodebant oculi, obversantis animo dilecti Numinis certissimi indices. Ab ejus verò nutu, atque arbitrio pendere se ita gestiebat, ut nec prosperis rebus efferri, nec adversis deprimi se sineret; suisque omnibus consiliis, ac votis anteferendam semper duceret Dei Voluntatem. Hinc alta illa mentis tranquillitas, quam nulla calamitas frangeret, nullus infelix rerum eventus dejiceret. Mirari præ cæteris non semel fuit, immensum illum evocandorum ad Sacram Synaxim hominum laborem decidui imbris ingenti copiâ in irritum recidisse. Eâ verò re nil commotum Franciscum, exporrectâ ad hilaritatem fronte, dolentibus eam jacturam suis Sodalibus dixisse: *Dolendi causa nulla est: In invitandis hominibus morem Deo, prout oportuit, jam gessimus. Aliter hodiè ejus Sapientiæ visum: Ejus voluntati nostri sensus congruant necesse est.* Moliri prætereà pium aliquod opus si fortè inchoasset; ubi ei absolvendo Moderatorum imperium obstare intelligeret; *Desistamus*, ajebat: *Quod Deus non vult, egone ut velim?*

Tantæ verò malaciæ, ac tranquillitati extemplò turbandæ satis superque id unum erat, si in hominum nempe scelera, offensique Numinis injurias cogitationem detorqueret. Perditi nescio cujus hominis moribus ut prospiceret nondùm eo tempore Sacerdos Antonius Sanfelicius, nunc Neritinus Antistes, immania ejus vitæ flagitia, ac labes Francisco, ut expertissimo in id genus morbis Medico, apertum adiit. Offensi verò Numinis dolore in lacrimas ubertim ipse resolutus ad singula penè audita exclamare, *Ten' Jesu bone, indignè adeò à tuis haberi?* Eodemque ardore inflammatus refugienti remedium ægro tandiù institit, donec eum adeptus à scelere, ac noxis abstineret. Universim verò, impiè, ac nefariè patratum uspiam aliquid ut primùm audiret, ingentem animi mœrorem, ac luctum in ejus vultu jam legere integrum erat. Hinc frequentes illi ejus gemitus, hinc flebiles illæ voces: *Proh incognitum hominibus Deum meum!* Hinc etiam ad propulsanda hujusmodi contra Divinum honorem

Digitized by Google

flagitia ſanguinis profundendi nunquam interrupta cupiditas. *Faxit Deus*, auditus dicere ſæpènumero eſt, *Faxit Deus, ut ejus ego Gloriam meo tueri ſanguine, toleratiſque cruciatibus poſſim.* Egregium verò hoc ejus votum non se merè intra verba continuiſſe mirabilia illa affatim edocent facinora, quæ pro avertendis ſceleribus, cum aperto capitis diſcrimine, aggreſſus intrepidè non ſemel eſt. *Quis enim*, ajebat, *Quis Dei Militem, atque Adminiſtrum metus percellat? Scelus qui admiſerit, is Vindicis Dei metu juſtè perfunditor.*

Jam verò, Divinæ Caritatis ardore ad fervidè adeò, fortiterque ejus causâ agendum impelli aſſiduè Franciſcum, ex ejus dictis, ac geſtis conjici non difficili negotio potuit. Altioris indaginis, longèque difficilioris conjecturæ, ſuſpicantibus quantumlibet plurimis, illud fuit; Nùm ſcilicèt non operoſa ſolùm ejus Caritas fuit, verùm etiam ad ſublime illud mentis otium pervenerit, quod Cœleſtibus abundare deliciis ſolet; abſtractumque à corporis contagione animum in Divinæ Pulchritudinis, & Magnificentiæ contemplatione ità defigere, ut nonniſi Cœleſte Numen ſentire videatur? Cognitu profectò difficilè id ſemper viſum; eòque magis, quod & nocturnæ ejus contemplationis omninò impervia Noſtratibus eſſet cognitio; & ubi ei diuturniùs in Spiritualibus Exercitiis quotannis vacandi tempora appeterent, aut Stabias, in remotam à noſtro Collegio Sacram Ædiculam, aut in ſemotum aliquod rus, ubi inobſervatus pro libito ageret, impetratâ à ſuis Moderatoribus veniâ, conferre ſeſe in more jam haberet. Ad hæc, ſecreti ſui ex animi demiſſione apprimè tenax, celatum id omne pro virili cupiebat, quòd virtutis ſuæ admirationem ingerere ſpectandi cupidis poſſet. In familiari etiam de Divinis rebus congreſſu animi ſui votum amiciſſimo cuidam his olim verbis expoſuit; *Pactum ſe cum Deo jam iniiſſe, ut in ejus quidem Gloriam amplificandam mentem ipſe, vires, ac vitam, opus ubi eſſet, impenderet; eâ tamen veluti conditione, ut nihil viciſſim earum rerum experiri ſibi obtingeret, quæ in virtutis, ac Sanctimoniæ prædicationem pellicere homines ſolent.* Ità ſcilicèt, ſe contempto, in Deum unicè gloriam omnem uberiùs redundaturam intelligebat. Quamobrem alto obvoluta ſilentio jacerent hâc ſuper re omnia, ſi quemadmodum Franciſci votum, ità & appoſitam ab ipſo conditionem ratam Deus eſſe voluiſſet. Irritam verò eam fuiſſe ex eo patet, quod

ſuis

Digitized by Google

ſuis ſe vidiſſe oculis coràm Franciſco Caraſa Nolano Epiſcopo juriſjurandi interpoſitâ Fide teſtatus eſt Hyacintus Feſta Ordinis Minimorum, Cimitinenſis propè Nolam Cœnobii Vicarius. Id verò hujuſmodi fuit.

In Caſertano, quod ad Tifatæ montis radices eſt, ſui Ordinis Templo orantem, altiſſimâque Cœleſtium rerum contemplatione defixum mane quodam nactus hic eſt Franciſcum. Cumque à meridie Solem haud longè abeſſe conſpiceret, tanti nominis Advenam ad prandium pro ſuâ humanitate invitare æquum cenſuit. Verùm benigno hoſpitis officio pari comitate recuſato, è Templo abſcedens aliò divertit Franciſcus. Vergente porrò jam in veſperum die, Franciſci jam nil memor, in proximum Cœnobio pulcherrimum nemus, quod ad Caſertanorum Dynaſtarum delicias Romanam magnificentiam imitatur, in hoc, inquam, nemus honeſtæ deambulationis ergo, uti ſolebat, conceſſit Hyacinthus. Hìc verò in quodam nemoris angulo, non longè à rotundâ, quæ inibi eſt, è lapide mensâ, flexis genibus, junctiſque orantium more manibus, intento in Cœlum ore, atque oculis viſum jam manè iterùm ſpectat Franciſcum. Stetit enimverò ille inexpectati ſpectaculi ſacro quodam horrore perfuſus. Ad rem attentiùs contemplandam exinde accedens, tribus circiter palmis ab imo ſolo ſublimem ipſum efferri deprehendit. Inani-ne inſolitæ rei ſpecie deciperetur, diù hæſit. Verùm ubi reapſe Franciſcum eſſe, qui immotus perſtare ità pergeret, non brevi temporis intervallo animadvertit, pias in lacrimas ex admiratione effuſus, ne ſuas homini delicias invidere videretur, ipſum non interpellatum in eodem mentis exceſſu agentem è nemore illo pedem referens reliquit.

Ex hoc ſanè ſpectaculo, quod Hyacintho inſpicere fortuitò licuit, non inſolitum Franciſco Cœleſtis hujusce voluptatis genus fuiſſe non abs re conjecit nonnemo. Quare admirabili hoc oſtento poſt ejus deceſſum vulgato, quæſitum diligentiùs à multis eſt, ſimile-ne quid obſervare in ipſo alius quiſpiam potuerit? Inventuſque eſt Andreas Trotta, domeſticæ rei Adjutor, idemque Templi Profeſſorum Domus Ædituus, qui ſimili penè in re hoc de Franciſco teſtimonium tulit. Obſeſſâ ſub Leopoldi Magni Cæſaris Regno à Turcarum exercitu Viennâ in Auſtriâ; cum incredibilis Othomanicæ potentiæ terror Italiam omnem pervaderet, tertiâ menſis Dominicâ, flexâ jam penè in

Digitized by Google

meridiem luce, rariſque jam in noſtrâ Æde hominibus, Euchariſticum Orbem expoſitum Sacrâ in Arcâ ritè depoſiturus jam erat Franciſcus. Ad Sacram interim Synaxim ſuis induta ſaccis ea acceſſit Sodalitas, quæ à Purgatorio igne, cui levando precibus vacat, nomen deſumpſit. Ac Sodalitatis ipſius Cruce arreptâ, ad ſupremum Majoris Aræ gradum conſcendens Franciſcus, indè ad ſacrum opus eâ, quâ par eſt, reverentiæ ſignificatione obeundum hortari eos voluit. Injectâque inter dicendum formidandi Turcarum exercitus mentione, de commendandâ Chriſto Soteri totius Europæ ſalute non pauca elocutus, hæc inter alia, inſueto quodam ardore è vultu ſeſe prodente, proferre auditus eſt: *Sancta, ac vera Jeſu Chriſti Fides, ac Religio vivat. Ipſo propitio Byzantium ſpero ibimus, victricemque ejus Crucem in hujus Urbis arces inferemus.* Ad quatuor verò digitos ab Aræ gradu, dum hæc diceret, ſublimem eum efferri, tùm Ædituus ipſe, tùm eorum Sodalium aliquot non ſine admiratione, ac lacrimis conſpexere. Quis porrò inſtinctus Franciſcum eo tempore egerit, paucis poſt diebus agnitum luculentiùs eſt. Nunciato enim poſt paulò, profligatas Turcarum copias Viennâ profugiſſe, verſâque belli aleâ, è penè victoribus in turpiſſimè victos ceſſiſſe; corpore non minùs, quàm animo evectum in ſublime Franciſcum Chriſtianæ ejus victoriæ felicitatem præmonere divinitùs valuiſſe, agnitum à rei conſciis eſt.

Hæc amantiſſimo ſui Franciſco ex inſitâ Naturæ ſuæ Bonitate redamans rependit Deus. Pergratos verò ſibi ejuſdem labores, Caritatem, cæteraſque univerſim virtutes fuiſſe colligere abundè ex eo licet, quod in ejus commendationem piæ cuidam fœminæ immiſsâ cœlitùs luce illuſtrari jam ſolitæ, patefeciſſe narratur. Id ego iis attexendum verbis hìc cenſeo, quibus, tanquam à Deo auditis, animi ſui Moderatori, ac Duci rem omnem de ſcripto teſtata hæc olim fuit. *Adeſſe*, inquit, *menti meæ viſus eſt Deus, atque ità loqui: Moderatori tuo dicas, Filia, Prudentiæ à me Donum in Franciſcum promanaſſe, necnon plura alia, qualibus ornantur viri pauci. Inſtituti ſui Leges, uti cuſtodiri neceſſe eſt, ità cuſtodiit. Scito, conjunctiſſimam mihi ejus mentem in omni vitâ fuiſſe: quæ ſanè conjunctio aſſiduæ precationis loco ei erat. Hinc illa alacritas, atque animi vigor, quo ſeipſo, Mundo, maliſque Dæmonibus prorsùs contemptis, ad irrogatas meo Nomini injurias propulſandas promptiſſimè accurrit. Pro eâ, quæ*

Digitized by Google

me profecutus est, benevolentiâ, pro me laboravit semper: suffectisque sibi à me viribus ad excolendos hominum animos, atque ad excitandum mei, quà amorem, quà metum in perditorum mortalium pectoribus usus est. Gaudio illi labores, majorique gaudio repensæ pro laboribus contumeliæ fuere... Scito præterea mihi, inter eos, quos proximè circumacto, ac præsenti, quod nunc volvitur seculo, egregiè fideles habui famulos, ob singulare in me studium, spectatamque Fidem, valdè placuisse Franciscum. Jam ut in omni vitâ placere ipse mihi, animi sui angore susque deque habito gestiebat, ità collatis à me Donis vicissim eum ornari, hominesque ad exhibendum ei honorem aliquem excitari valdè delector. His ego præmiis eos remuneror, qui examussim omnibus in rebus summâ mihi fide placere peroptant... Menti meæ, dum scriberem, dictari hæc omnia audiebam. Obstrepere contra, ut ab iis audiendis me avocaret, malus conabatur Dæmon: verùm has ejus technas, fraudesque nihili facio.

CAPUT III.

Caritas in Proximos.

SI quæ verò virtus præ cæteris est, cujus præcipua, maximèque illustria à Francisco exhibita extent documenta, juvandorum hominum studium, atque insignis in eos Caritas profectò ea fuit. Ac si in eam duntaxat partem, quæ humanæ naturæ potissima est, in animos nempè fovendos, excolendosque suis ipse laboribus incubuisset; quis enimverò hebes adeò, ac stolidus inveniri unquam posset, qui hominem, cui vitæ commodis omnibus, imò vitâ ipsâ potior proximorum semper salus fuisset, egregiæ hujus virtutis incendio veluti quodam arsisse non intelligeret? At verò in Æternam licèt humani generis Felicitatem irretortam, ut videre in superioribus licuit, ipse mentis aciem nunquam non intenderet; ut facilem tamen huic procurandæ apud quosdam sui omninò immemores pararet aditum; vel etiam, ut proclivi per se ad benè de omnibus merendum voluntati morem gereret; nullum, qui ad se adiret, mortalis hujus vitæ calamitatibus, aut infortuniis pressus, non aliquo

quo ſolatii genere levatum, quoad licuit, dimittere ſtuduit.

Et verò maximam virtuti huic materiem plurimorum ejus implorantium opem inopia, atque egeſtas ſuppeditavit. Cui ſublevandæ cum ipſe ex Voto Pauper de ſuo, quod tribueret, habere jam nihil poſſet; incredibile dictu eſt, quot alienum in commodum pias artes, atque induſtrias excogitarit. Semel, atque iterùm quotannis à noſtrarum Domorum Sartoribus, ſi quid lacerum, obſoletum, Noſtrorumque uſibus jam ineptum in ſuis haberent Officinis, ad deſtitutos veſtibus pauperes tegendos benignè ſibi erogandum curabat. Quam ipſe detritam ſupellectilem ſecum auferens, ſubceſivis quibuſdam horis, domi ſuis ipſe manibus reconcinnabat, eâque miſerrimæ complurium nuditati conſultum ibat. Et ſuffarcinati id genus indumenti nonnihil ab ejus obitu in cubiculo repertum, uti Religioſæ ejus Paupertatis, ità & eximiæ in egenos Caritatis illuſtre documentum fuit.

Ad hæc, à prandio in Culinam ſeſe quotidie transferre: ibique ſiquæ è mensâ ſupereſſent ciborum reliquiæ, eas ſportulis exceptas præſtolantibus ad januam mendiculis afferre, eâque ratione importunæ plurium fami proſpicere. Imò, ut de ſuo aliquid obſonio quot diebus comparceret, à Præpoſito impetravit, ut decumbentis cujuſdam, humaniſque ſubſidiis deſtituti Sacerdotis vitam aleret: quæ ipſi liberalitas quotidianâ plurium annorum parſimoniâ ſtetit.

Verùm circumfundentium ſe Franciſco pauperum non dico aviditati, ſed veræ inopiæ depellendæ, quota ſubſidii pars hæc omnia eſſe potuere? Quare ne ſpe fruſtratos abire hos pateretur, miſerorum ipſe vices apud pios, ac locupletes gerere cœpit. Valuitque apud hos adeò gratiâ, & authoritate Franciſcus, ut ingentem à pluribus pecuniæ ſummam non difficilè per vices acceperit. Imò nactus etiam non paucos fuit, qui erogandæ à ſe pro facultatum viribus ſtipis arbitrium ei omne permiſerint. Quibus ipſe præſidiis in aliorum commodum auctus, quamquam omnibus præſto eſſe pro modulo ſatageret, dividundæ tamen viritim pecuniæ hunc ferè prudentem tenuit ordinem. In vulgandi corporis diſcrimen egeſtate adductas, vel ab infami quæſtu abductas aliis prætulit, quò paratam ſceleri viam ſuis largitionibus præcluderet. Secundas iis partes dabat, quibus inopiam oppidò moleſtiorem diuturni efficerent morbi; quippe quibus

nec

Digitized by Google

nec labore, nec mendicatione victum parare integrum esset. Denique nec eas negligebat familias, quarum eò miserabilior domestica difficultas, quò ob petendi verecundiam minus nota piis divitibus foret.

In hisce verò ipsis piæ Caritatis officiis sedulò erga miseros exequendis, comprehendi cogitatione vix potest, quantum ei negotium, non aliquot duntaxat divitum in repellendis ejus petitionibus asperitas, verùm & pauperum ipsorum importunitas facessiverit. Ac inter locupletes quidem, Dynastam nactus est ità sibi infensum, ut & omnia ejus dicta, factaque secùs acciperet; & si fortè in obvium incurreret, aversò aliò vultu, salutaturi comiter hominis officium de industriâ declinaret. Adire ad hunc olim Franciscus debuit, non levem scilicet pecuniæ summam clàm surreptam, suppresso debitoris nomine, eidem redditurus. Quanquam verò aditu exclusus ab ipso bis fuerit, ejus tamen fores tertiò pulsare, ut permissam suæ tantùm fidei pecuniam traderet, haudquaquam renuit. Vix verò renunciatum Dynastæ est, Franciscum in limine jam tertiò adesse, cum ad Conclavis Ephebum; *Quid huic mecum?* inquit, *Meretrici fortaßе alicui dotem flagitat? Ageßis, aditum ei permitte.* Ac reverà admissus tandem ad alloquium, ad implorandam opem accessisse se apertè pronunciavit Franciscus: paucis quippe ante diebus adolescentulam resipuisse, cui lectulo ob inopiam opus esset; se stipis proinde aliquid pro eâ postulatum adventasse. Cæterùm posse id ab ipso nullo præsentis pecuniæ dispendio facillimè præstari; ingentem quippe pecuniæ vim in Hispanos aureos redactam ipsi redhibendam sese attulisse, cui tantillum hoc in pium illum usum detrahere nullius negotii sit. Inexpectatum hoc Francisci beneficium, quod, si minus alio beneficio, luculentâ certè gratiæ significatione remunerari quilibet alius studuisset, hic contrà nonnisi irâ, & indignatione rependit. Atque oppidò majus auri pondus sibi deberi animi impos exclamat; imò &. cujusnam nomine eam pecuniam redditum accesserit, scitari improbè audet. Cumque latere ea omnia oportere constanter juxtà, ac prudenter responderet Franciscus; accepto ipse avarè auro, non dico indonatum, seù petitæ stipis spe frustratum, sed nec satis comiter habitum domo tantùm non expulit. Quam hominis asperitatem eâ animi tranquillitate dissimulavit Franciscus, quâ exhibitum ab eodem honorem, ac munera accepis-

set.

Digitized by Google

ſet. Verùm enimverò, ut apud hujuſmodi homines non rarò fit, ubi adverſæ res ingruant; de iniqua adeò acerbitate remittere Dynaſtam hunc lethalis edocuit morbus. Ubi quippe ad exitium ſe vergere admonitus à ſuis eſt, in eo vitæ, mortiſque confinio ſupremam ſibi opem afferri nonniſi à diù anteà contempto Franciſco poſtulavit. Quem è Beneventanæ Diœceſeos Oppido quodam, Sacræ Expeditioni id temporis vacantem, accerſiri in Urbem oportuit, ut mutatæ deceſſuri jam Dynaſtæ voluntati fieret ſatis. Biduo ipſi animam agenti adfuit, nullâ pietatis, aut benevolentiæ ſignificatione erga languentem omiſsâ; extremoſque ejus anhelitus, ſi minùs, ad languentis votum, præſentis vocis ope, fuſis certè precibus juvit. Franciſco ſiquidem, poſt tertiam apud eum vigilatam noctem, litatum ad Aras manè egreſſo, æger & vivere, & multiplicis Franciſci virtutis experimentum ſumere deſiit.

At verò rariùs à Divitibus; ab Egenis tamen opinione ſæpiùs toleranda id genus fuere convicia. Nam aut prolatari ſibi quandoque ſubſidium, aut ſpe minus diſtribui gravatè adeò à quibuſdam acceptum, ut eorum petulantiæ quominùs ſuccenſeret, novæ Caritatis acceſſione Franciſco opus fuerit. Circumſiſtere illum ad pecuniæ aliquid eradendum alii; in Templo, ad Januam, ad Pœnitentiæ Tribunal agentem alii aggredi; obvium in compitis ad reſiſtendum cogere; contumeliis demùm, ac jurgiis cum ipſo inurbanè agere; ut ambiguum jure meritò ſit, ſuâne in ejuſmodi homines beneficentiâ, an exhibitarum ab his moleſtiarum tolerantiâ admirabilior ejus virtus extiterit? Profectò æquanimam hanc ejus facilitatem, ſi quid unquam aliud, audax certè olim mulierculæ importunitas ſpectabilem reddidit. E' meretricio hæc emerſa, ne in idem barathrum relaberetur, Neapoli excedere cogitaverat: exſolvendi tamen Nauli inopia ſubitæ profectionis ſpem ei præcidebat. In obvium Franciſcum hæc fortè offendit, omnique conſilii ſui, ac moræ ratione expoſitâ, benè ab ipſo ſperare juſſa eſt; facturum enim ſe propediem recepit, ut tàm piæ navigationi neceſſaria ſuppeterent. At verò nequicquam eam ſpem differri, præſenti ſibi ſubſidio opus eſſe, veterem immodeſtiam non ſatis dedocta mulier publicè exclamat: quin ejus pallii laciniâ manibus arreptâ, nullâ eum ratione divelli ab ſe patitur. Procacem hujus temeritatem indignatione, atque aſperitate à quovis alio fortaſſe rejiciendam, benignitate,

ac

Digitized by Google

ac miseratione deliniendam duxit Franciscus. Consilio proinde in arenâ, ut ajunt, accepto, per frequentes eo in Foro Opificum Tabernas eam circumduxit; apud quos ejus inopiæ causam agens, necessariam ad maritimum iter pecuniam facilè redegit, quò ad honestius vitæ genus aliò commigrans fœmina sese traduceret. Cæterùm hoc semel: alios verò sese turmatim subinde affundentes, ubi re non poterat, mollissimis saltem verbis solari satagebat; ut si non minùs inopes, minùs certè tristes ab ipso discederent. Quâ in re lepidi æquè, ac blandi ejus effati viget adhuc memoria, quo ab ingenti mendiculorum turbâ se olim expediit: *Pergite jam*, inquit, *& vivum Franciscum hodie deglubite: venum fortasse in Nundinis expositа pellis mea hæc qualicunque vobis subsidio erit; præsertim, cum præter hanc, quod vobis suppeditem, nil habeam.*

Mirabilius porrò est, quod ficubi inopiam callidè ab aliquo simulari deprehenderet, eum non acerbè, aut asperè, sed nonnisi humanissimis verbis correptum repelleret. Expertus id præcipuè nequissimus quidam Nebulo Neapoli fuit. Hic corradendæ nefariis artibus pecuniæ appetens, se nullâ re meliùs id consecuturum opinatus est, quàm si Francisci nomine, atque authoritate suas fraudes protegeret. Ejus igitur Autographum aliquod sibi ut ad manus esset, callidè conquisivit: quo dolosè potitus, ut erat ad nectendas fraudes manu non minùs, quàm ingenio promptus, exaratas ab eo literularum formas ità ad unguem expressit, ut oculatissimi cuiusque sagacitatem similitudine deciperet. Ità non paucis id genus nequiter confictis epistolis, veluti ab Francisco missus, eorum, quos adiit, divitum crumenas, tanti Viri authoritate interpositâ, per fraudem non semel emunxit. Et verò clàm omnibus id facile fuisset, si repetito sæpiùs sceleri diù latere contingeret. Re verò compertâ, in manifestum fraudis Nebulonem agendum legibus apud Judices esse censebant plurimi: pessimi quippè exempli rem fore, si vaferrimus pauperum expilator ludificatis toties divitibus, Franciscique famâ ludibrio expositâ, impunè abiret. Contra verò Franciscus accito ad se homini, admissi duntaxat criminis atrocitatem ostendere contentus fuit, ne impiâ in posterum adulterinarum literarum se fraude obligaret. Cæterùm morum correctionem pollicitum, irrogatâ sibi injuriâ libentissimè condonatâ, mulctæ omnis expertem abire permisit.

Digitized by Google

Utiliter-ne verſipelli huic homini tanta ejus humanitas ceſſerit, nec diſputo, nec compertum habeo. Inter pias certè Caritatis artes eam non ſemel Franciſcus adhibuit, ut aliis modeſta ejus taciturnitas, aliis inſignis aliqua beneficentia objurgationis loco eſſet. Ac taciturnitate quidem duarum ipſe mulierum improbitatem, ac petulantiam caſtigandam ſuſcepit; quæ ſimulatæ egeſtatis, ac probitatis ſpecie ubi decipi à ſe eum poſſe deſperarunt, nec Sacræ Ædis, nec Tribunalis Pœnitentiæ majeſtatem reveritæ, negatum ſibi pecuniæ ſubſidium, acceptam veluti injuriam, tot in eum conviciis, ac maledictis publicè perſequi ſunt auſæ, ut cautam Franciſci in deneganda ipſis ſtipe prudentiam ſatis ipſæ defenderent, dum protervè adeò accuſarent: ipſarum verò nequitiam compoſita toto eo tempore ad modeſtiam Franciſci frons tacitâ veluti objurgatione ad pudorem adigeret.

Contractam verò ab infelici alio homine execrandi conſuetudinem præſenti beneficio mirè compeſcuit. Suſceptum huic Artificis munus malè ità ſucceſſerat, ut flocci paſſim habitus, ſuſtentandæ ſuis laboribus Familiæ impar jam eſſet; irâque propterea abreptus, in ſe, in ſuos, in Superos ipſos impiis haud parceret verbis. Hujus & vitio occurrere, & inopiæ ſuccurrere æquè cum pergeret Franciſcus, imperare hunc dolori ſuo quadamtenùs viderat, non tamen adeò, ut proclivem ad malè precandum linguam in tantâ rei familiaris difficultate correctum citò iri ſperaret. Ac nocte quadam, cum ne panem quidem, quem familiæ divideret, ſibi ſuppetere, ſuoſque incœnatos cubitum dimitti oportere doleret maximè; in furorem actus, *Videat*, inquit, *hæc modò Franciſcus; atque execrationibus temperare exindè me jubeat.* Eodemque mox impotentis iræ impetu furias in ſe omnes invocat: ſibi, ac ſuis morbum, peſtem, ſupplicia, ac diras imprecatur omnes, nec impiam linguam ab ipſis Cœlitibus abſtinet. Suas interim pulſari fores intempeſtivè audit; pulſantiſque primùm capite diris damnato, Quis eum tandem velit, ſui adhùc impos, per rimam explorat: cum notâ Franciſci voce appellari ſe intelligens, ad nefarias, quas effutiverat, voces, acri objurgatione diſtringendas eum adventaſſe opinatus, invitus quidem, aperit tamen. Cum eo verò ne verbum quidem eâ ſuper re commutavit Franciſcus, pecuniam duntaxat, quâ ſibi, ac ſuis ea nocte abundè conſuleret, extentâ porrigit manu, ac tacitus

Digitized by Google

citus actutum abscedit. Fortuito-ne, an Divino admonitu id ipse peregerit, incertum. Illud extrà controversiam est, improvisâ hac beneficentiâ ad malesani Artificis temeritatem arguendam nil commodius fieri potuisse: æstuantis quippè animi furore damnato, de corrigenda adversis in rebus impiæ linguæ petulantiâ constanter, ac seriò infelix postmodùm Artifex cogitavit.

Non ità tamen ad tot miseros passim inopiâ liberandos animum intendebat Franciscus, ut potissimas solicitudinis suæ partes suæ Missionis Sodalibus, si opus unquam foret, debere se ullo unquam tempore obliviscereturr. Præter enim frequentia in horum plures, singulis mensibus, aut hebdomadis, pro eorum inopiæ ratione, distributa subsidia; his etiam paulò amantiùs sublevandis, in more illud habuit, ut aliquoties per annum binis prandium per vices sufficeret, quos pecuniâ auctos hilariores domum remitteret.

Porrò erga implicitos morbis quanta ejus caritas foret, assiduus, ac vix ulli tolerabilis in iis passim invisendis labor declaravit. Vulgatâ siquidem per Urbem famâ adhibitis ab ipso S. Cyri lipsanis plurimos convalescere; periculosiori ægritudine tentari se Neapoli vix ullus sensit, qui ad eam depellendam sacro illo pignore ab ipso tangi minimè cuperet. Hinc nullo non tempore ipsum plurimi accersere, pluresque ad longè disjuncta Urbis loca pertrahere sæpenumerò eum velle: sæpè etiam diuturnæ concionis labore defessum alii ex aliis hàc illàc ducere. Fuere, qui nocte concubiâ, hieme perfrigidâ, pluvio Cœlo ipsum reposcerent; molestam tamen ipse operam haud unquam abnuere, sed è vestigio, pedester utplurimùm, viæ ducem sequi, quò decumbentium votis faceret satis. Quanquam verò novum hoc, atque assiduum solandorum ægrotantium studium consueto Missionum muneri obfuturum tandem suspicarentur non pauci; utriusque tamen laboris naviter obeundi rationem in sui commodi neglectu unicè repositam invenit Franciscus. Quare traditâ sibi Missionum Provinciâ haud unquam posthabitâ, ad Summates juxtà, atque Infimates accitus nullo delectu sedulò accurrere, atque à splendidis Dynastarum domibus ad inopes mendiculorum casulas eò alacriùs se quotidie inferre, quò has ad fovendam animi demissionem magis facere existimabat. Imò in hos ipsos mendiculos humano solatio penitùs destitutos longè pro-

Digitized by Google

penſior, poſt impenſum amanter Cœleſte ſubſidium, pecuniâ etiam pro inopiæ ratione donatos relinquebat, quò ea ſuffulti morborum calamitatem æquiùs tolerarent. Aſſidua verò hæc ſolandorum languentium cura eò univerſim collineabat, ut perſanandi corporis obtentu depellendis animi morbis viam ſtrueret. E' quo piæ induſtriæ artificio illum certè fructum callida ejus Caritas retulit, ut plurimos mortalis vitæ ſervandæ ſtudio illectos, ad immortalem quærendam, prout optabat, impulerit; quò ſcilicet conciliato, ut dicebat, Magni Medici Cyri patrocinio, vel utriuſque, vel alterius ſaltem, quæ potiſſima eſt, vitæ compendium iis facere liceret.

Hæc ipſe in omnes, inopes præſertim, quos morbus affligeret. In duobus verò, eximia hæc ejus benignitas ſeipsâ major eſſe viſa eſt. Æthiops vili ab omnibus habitus horum alter fuit, Chriſtianæ tamen Religionis Myſteriis initiatus, qui de Triremibus à neſcio quo pretio emptus, eidem ſervire, quoad per vires licuit, diù debuit. His verò fœda ægritudine debilitatis ab Hero Mancipii ſui calamitatem pertæſo manumiſſus quidam, ſed adeò illiberaliter fuit, ut vitam nonniſi mendicatò alere hic cogeretur. Ac tecti, & victûs inops, proximè noſtram Ædem facens, ingenti herniâ, exhalatoque inde fœtore, horrori potiùs, quàm miſerationi prætereuntibus erat. Huic omnium rerum egeno, pædore, ac ſordibus obſito præſtò ſemper eſſe non dubitavit Franciſcus. Pio hunc alloquio ſæpè ipſe levare, pecuniam, ac cibaria ſubinde afferre, comiter mœrentem ſolari, atque ad ægritudinis moleſtias tolerandas blandiſſimè hortari. Cum verò huic miſero in proximam Sanctæ Claræ Porticum translato ſupremum jam imminere diem agnovit Franciſcus, extremam opem allaturus confeſtim adfuit, nec paucis eum verbis ad Cœleſtis Patriæ amorem illexit. Mox bajulis evocatis geſtatoriâ in ſellâ ad Inſanabilium Noſocomium ægrum ipſe deduxit, nec, niſi ejus loci Adminiſtris cuixè commendatum, reliquit. Adeò verò apud hos pium illud Franciſci officium valuit, ut omnia erga miſerrimum illud caput caritatis munia ad ejus uſque deceſſum abundè impleverint.

Alterum in ſimili re æquè illuſtre virtutis ejuſdem exemplum in inope quadam Virgine edidit. Victoria huic nomen, quæ ob maturè ſuſceptum Pietatis ſtudium, iniquis ſemper domeſticis uſa, eò ſe rei familiaris angustiâ adactam doluit, ut à

Fran-

Digitized by Google

Franciſco ſuorum morum Inſtitutore non minùs honeſtatis præcepta, quàm ſuſtentandæ vitæ neceſſaria petere debuerit. Perſtititque ac lubens de ipſa benemereri Franciſcus, tùm ob eximias virtutes, quibus Aſcetriarum plurium Sanctimoniam facilè æquabat, tùm præcipuè quòd, ut noxarum periculis immunis ageret, deformari ſibi vultum à Deo cupiiſſet, idque ſe inductâ in ſupercilii ſfœdâ cicatrice, ab eodem ſe impetraſſe gloriaretur. Hanc aſſiduâ corporis afflictatione, ac morbis vexatam mors tandem oppreſſit. Ejus cadaver noſtram in Ædem tumulandum inferri à Domûs Præpoſito jam ipſe impetraverat. Nullâ verò lucri ſpe inopis fœminæ funus Sandapilâ ſe exportaturos apertè negarunt Veſpillones: nec precibus, aut mercedis pollicitatione ullâ ad miſericordiam flecti cupidorum hominum durities potuit: præſenti nimirùm pecuniâ præſens officium repenſum volebant. Adducto tunc ſupercilio, compoſitâque ad ſeveritatem fronte Franciſcus: *Ne plura*, inquit: *Quod à nobis officium Chriſtiana expectat Caritas, egomet hujuſce mei Socii operâ adjutus promptè exhibere nil moror.* Rejectoque repentè in humeros pallio, Veſpillonem jam ipſe agere nil verebatur. His verò dictis, eâque animi promptitudine pertinacium hominum avaritiam ad pudorem adduxit; qui ejus authoritatem, ac verba reveriti, facturoſque ſe omnia gratuitò polliciti, extinctæ cadáver ſuccollantes, in proximam noſtram Ædem, ſequente procedens funus Franciſco, prout receperant, detulere.

CAPUT IV.

Modeſtia, Animique Demiſſio.

HAc etiam laude continenter excellere viſus adeò eſt Franciſcus, ut incertum pleriſque ſit, an cæteris virtutibus palmam hæc præripuerit: præreptam ei certè à nullâ aliâ fuiſſe, conſtans omnium ferè judicium eſt. Profectò ipſum vidiſſe, vivens virtutis hujuſce Simulacrum intueri erat; audiſſe verò ipſam, ſi vocibus uteretur, modeſtiam intelligere. Quamvis verò non pauca hujus rei documenta in enarrandis libro ſuperiore ejus geſtis exhibita à me fuiſſe meminerim; alia tamen nonnulla

hic

Digitized by Google

hìc lubens attexo, quibus virtutem hanc Sanctis etiam Viris non adeò facilem in ejus veluti mores abiiſſe planum faciam.

Principiò igitur quàm ipſe de ſe demiſsè ſentiret, tùm ea, quæ ſibi indiderat nomina, ſatis indicant, *Plebeji*, *Ruſtici*, *Indocti*; tùm penè perpetuum illud *Franciſci Peccatoris* cognomentum, quod ſubſcribendis ad Familiares Epiſtolis paſſim uſurpabat. Familiaria etiam (prout ſæpiſſimè à ſe audita teſtatus eſt attributus ei Socius Adjutor laicus) ſibi ea fecerat verba, *Pejora mereris, pejora*: quibus ipſe vel laſſeſcens nimiâ fatigatione corpus increpare, vel obluctantem adverſis rebus animum frangere conſueverat. Imò poſtremis vitæ annis, dum domum ſe ſub veſperum reciperet, hiſce in ſe verbis invehi à Noſtrorum quodam auditus: *Quid miſero mihi tandem fiet? Fruſtrà in Societate diù vixi; quid enim è tàm amplo fonte Sanctitatis hauſi? Olim malus, nunc deterrimus. Brutum animal, atque execrabilem belluam me fatear oportet; cum in virtutis itinere non progredi, ſed retrogredi meum adhùc ſit.*

Sicubi verò aliquid, quod in ipſius apud alios laudem redundaret, neceſſariò agendum occurreret; nihil omittere, quo conceptam illam exiſtimationem in ſui contemptum detorqueret. Hoc tùm aliàs, tùm ipsâ, qua ſolennem quatuor Votorum apud nos Profeſſionem edidit, luce apud ſuæ Sodalitatis Alumnos admirabiliter præſtitit. Ne enim, ut res erat, ſe probatæ virtutis, aut altioris doctrinæ laude florere apud illos fama increbreſceret, vix quatuor ſolennibus palàm in Æde editis ſimplicia alia Profeſſorum Vota in Sacrario addere de more deſiit; cum eam dignitatis acceſſionem gratulantibus Magiſtro ſuo Sodalibus; *Falſi*, inquit, *animorum eſtis, ſi ulli meo merito id honoris deberi in animum inducitis. Hoc me officio pro ſua Caritate Societas proſequi voluit, quæ tamen me infimæ facis, ac nullius literaturæ hominem, nec niſi perpetuo exilio à ſuo Cœtu arcendum probè pro ſua Sapientia noſſe debet.* Hæc porrò verba non è pio aliquo ſeſe deſpiciendi impetu, ſed ex altè defixâ animi ſe nihili facientis ſententiâ profluxiſſe, cùm in vitâ ſæpiùs, tùm etiam proximè mortem, quæ vitæ plerumque ſpeculum eſt, cumulatiſſimè oſtendit.

Et in Vita quidem in ſui cognitionem conſtanter intentus, aliorum ſe longè inferiorum opem ad ſe corrigendum ſæpè implorare; eorundem etiam conſilium ad prudentiùs agendum expoſcere, alienæque ſententiæ ductu perlibenter res exequi conſue-

Digitized by Google

fuerat; nisi si firmissimæ sese dejiciendi voluntati fortasse id adversari arbitraretur. Qua in re mirabilis, ac plena sapientiæ ejus responsio fuit, quâ se cujusdam è nostris Senioribus seù petitioni, seù suasioni subtraxit. Agitabat hic animo novum aliquid, quod è Divinæ Gloriæ ratione fore ipse cum aliis non abs re cogitaverat. Cum verò ad id exequendum Generalis Præpositi facultate opus esset; ad eam faciliori negotio impetrandam enixè à Francisco petiit, ut aliis Seniorum Epistolis suam & ipse adjungeret, quò interpositâ ejus authoritate novum, idemque majus in tanti momenti re petitioni pondus accederet. Se verò ità rogari admiratus Franciscus, obortis repentè lacrimis; *Men'*, inquit, *men' ad Generalem Præpositum literas dare, qui hujusce Domus misericordiâ vivo?* Flebiles hæ demittentis se hominis voces tanti apud petentem fuere, ut admirabili ejus modestiæ molestiorem, quàm impetrandæ rei utiliorem suam petitionem fore arbitratus, de sententia deturbandum eum minimè esse censuerit.

Nec abs*imili animi sensu benevolæ Antistitis cujusdam suasioni se comiter opposuit. Ejus hic in senium vergentis labores miseratus, hortari ex animo cœpit, ut suæ valetudini ratione aliqua consultum iret: metuere quippè se dixit, ne, non sine plurium incommodo, ac detrimento, labascens ejus ætas oneri citò succumberet. Tanti verò Viri benevolentiæ habere se gratiam, agereque ipse reposuit, amicèque monentis consilium in bonam partem se, ut par erat, accipere: *At verò*, addidit, *quî aliter faciam, ne panem otiosus domi rodere videar?*

Par in beneficiis seù æstimandis, seù in majus augendis sedulitas, & ex nimio se demittendi studio gratior animi significatio. Ad Puteolani agri prædium ex Medicorum consilio æger extremo vitæ tempore missus, quanquam nihil ei melius, quàm cæteris Valetudinariis apud nos assolet, factum constaret; quòd tamen solicitiorem de se Neapolitanæ Domus Probationis Rectorem Carolum Vespolum arbitraretur, ità ad eum scripsit; *Heus tu, quali me compedum genere amantissimè obstringis, Pater? Ten' erga me benevolum adeò esse, quem suis è caulis ipsi si saperent, expulsum cuperent Canes? Suâ me benevolentiâ. isti, quos curando prædio præfeciſti, verè onerant Fratres, atque, ut veriùs dicam, tantùm non opprimunt. Tuum verò in me studium, si nihil aliud, demirer necesse est.* Dein quinto die vix elapso, alte-

Digitized by Google

alteras ad eundem literas dedit, quarum hoc initium; *Centies equidem, ac millies diù, noctùque, tuas exoſculari manus ob inſignem adeò erga me benevolentiam maximè cuperem, præſertim cum nullo meo merito me lautè adeò accipi pudorem mihi æquè ingerat, ac metum. Vereor enim, ne ſi quid unquam egiſſe in vita videor, hiſce duntaxat rebus mihi rependat Deus. Nunc iners, ignavus, ſegnis hìc fruges conſumo. Sed quando ità me agere Deus vult, æquiſſimæ ejus Voluntati meam prorſus attempero.*

Jam verò, ut quam ipſe conceperat, pravam de ſe exiſtimationem & aliis ingereret, ſi minùs aliâ ratione, acutè ſaltem excogitatis verborum ambagibus id aſſequi moliebatur: verbiſque à vero per ſeſe non aberrantibus eo ipſe ſtudio in ſui contemptum adducere audientes ſatagebat, quò ſuas alius laudes ad aucupandam inter homines gloriam inſinuaſſet. Profectò in Nobilium Seminarium ad tradendas Adoleſcentulis Spirituales Exercitationes primùm adſcitus, inexpectato hoc Exordii genere opus aggreſſus eſt. Mirari ſe æquè dixit, & Moderatorum in ſe ad ſublime illud munus deligendo judicium, & ſuam hebetis hominis arrogantiam, qui in eo Nobilium Convictu vocem emittere nil vereretur, unde ipſe, Societate nondum initâ, Cubiculi Præfectum cum ageret, expulſus fuiſſet, imò & vapulaſſet. Ità memoratum alibi alienæ temeritatis vitium, ipſumque Dei inde eum extrahentis ad Societatem amplectendam, impulſum in ſuam contumeliam verſum apud eos depinxit. Par verborum artificium ad exhibitum ſibi honorem declinandum Cryptaleis excogitavit. Eò ipſe ad propagandum apud Populares ſuos Sancti Martyris Cyri cultum contenderat. Ubi verò obviam prodire ſibi è Patriciâ Cicinellorum Dynaſtarum Familiâ unum conſpexit, nec ullam obſequii ſignificationem ab eo erga ſe omitti, ut honorifico illi officio ſe ſubtraheret: *Atqui*, ait, *cujas ego ſim, neſcis, opinor; an colligendo me hìc luto Adoleſcentulum operam dediſſe hactenùs te edocuit nemo?* Æditimum ſcilicet in Patriæ Sodalitio puer egerat: verrendis proinde ejus Templi ſordibus manum admoverat.

Ubi id genus verbis locus non eſſet, in ſui deriſionem, ac probrum laudes, gratulationes, obſequia omnia deflectebat. Falsò Neapoli vulgata Franciſci à Sicariis interfecti ſæpè mors fuerat: improbum tamen rumorem ejus in Urbem regreſſus citiſſimè diſſipaverat. At verò ejuſdem ipſius necis conſtans adeò,

Digitized by Google

iisque confictæ indiciis apud cujusque ordinis homines semel fama percrebuit, ut à Nostris factum negantibus callidè rem tegi nec pauci, nec imprudentes arbitrarentur. Qui igitur eum rumorem visus falsi revinceret, revocatus statim è Sacra Expeditione Neapolim Franciscus à Moderatoribus fuit. Hunc porrò ejus reditum incredibilis Civium lætitia excepit; vili siquidem insidens equo ingressus in Urbem vix est; cùm per vias lætissimè plures effusi, suam alii damnare credulitatem, alii de ejus vita, tanquàm de communis omnium Parentis salute, sibi invicem gratulari; pro ipso demùm incolumi omnes gratias Superis agere. At verò hoc populi plausu se reducem excipi ingratum adeò hominis modestiæ accidit, ut eam benevolentiæ significationem publicæ ignominiæ loco acceperit. Interrogatusque à nonnullis rei insciis; Quorsùm inexpectatus præmaturè adeò rediisset? *Redii*, pudore suffusus reposuit, *ut quod mervi fustuarium Neapolitanis in Compitis sustinerem.*

Et verò suæ ipse laudis, præclaréque de se existimationis ofor perpetuò tàm contumax fuit, ut ad eam deterendam nullâ non ex re præsidium petere moliretur. Inermem Viatorem à Latronibus circumventum hac in re imitatus, qui, quicquid in manus venerit, ad aggressores arcendos jacit. Nihilò enim minori ipse constantiâ ad popularis laudis, communisque obsequii retundendos impetus, à se, à suis, ab omni denique aliâ re mutuatus semper aliquid est; quo, velut jaculis quibusdam, de suæ modestiæ, ac demissionis possessione deturbari se minimè sineret. Ac ne extrà Hydruntinam Provinciam, quam paulò superiùs memoravi, hujusce rei documenta quærere cogar; ibi eum agere nunciatum vix fuit, cùm quotquot penè, ea loca frequentissimi incolunt Dynastæ, ac Toparchæ, è suis sedibus effusi, ejus visendi, vel consulendi studio accurrere gestierunt. Quorum ipse humanitati dum comiter, ac modestè sedulam impendit operam, à pannosâ muliere ad alloquium se posci haud procul aspexit; nulloque ejus inopiæ pudore, ad Nobiles eos Viros in sui nominis contemptum adducendos commodùm eam advenisse ratus, lepido ad eos risu obversus, *Ignoscite*, inquit, *quæso inopi huic fœminæ: arcto necessitudinis vinculo ea mihi conjuncta est. Vestram hinc Dignitatem haud verita, vobis præsentibus me alloqui ausa est.* Eo tamen conatu nihil apud eos Franciscus, nisi conceptam jampridem suæ San-

Digitized by Google

ſtimonia opinionem auxit; ejuſque virtutes cum tantâ ſui deſpicientiâ conjunctas nemo non ſuſpexit. Nec ſegniùs ad ejuſdem virtutis cuſtodiam Neapoli excubans, germanum fratrem Cataldum recèns in Urbem appulſum, ac febri correptum, hoſpitem ab ullo excipi ſedulò vetuit, ne pium illud erga fratrem officium in ſui honorem aliquatenùs redundare videretur. Ac pluribus, ut hanc ſaltem homini benè de omnibus merito rependerent gratiam, febrientis ſibi curam ultrò depoſcentibus; *Pauper eſt Cataldus*, repoſuit, *nec pauperem, niſi Noſocomium, decet*. Eum proindè ad Sancti Angeli, quod ad Nilum vocant, Valetudinarium deduci juſſum, ejuſque loci Præfecto traditum, quò abjectæ conditionis ſe eſſe percrebreſceret, Fratrem ſuum eſſe haudquaquàm diſſimulavit.

Quanquam verò tenuem Fratris fortunam ad publicum ſuæ abjectionis documentum obtenderet; adduci tamen haud unquam potuit, ut eidem ſublevandæ animum ratione aliqua intenderet. Facillimi id quidem negotii ei fuiſſet, qui apud plures Regni Primores, penèque apud locupletiſſimum quemque authoritate, & gratiâ plurimùm floreret. Ac ſi quo ſtudio, & induſtriâ alienis, eâdem familiæ ſuæ rebus proſpicere ſtuduiſſet; hanc ipſe, ne dùm jacentem erigere, verùm *ad altiorem* opum, ac dignitatis gradum evehere de facili valuiſſet. Verùm in aliorum hæc commodum libentiſſimè ab eo præſtita: pro ſuis ne verbum quidem ſibi apud aliquem excidere debere judicavit; ſeù ne Evangelicæ Caritati naturalis ille in Conſanguineos amor officeret; ſeù, quod veriùs judico, ut ſuos tenui ſorte contentos arrogantiæ, ac faſtus periculo abſtineret; eâdemque operâ ſuorum ipſe humilitatem ad ſui contemptum apud alios augendum obtruderet.

Quoniam verò iis, quas tùm ipſa hæc animi demiſſio, tùm integerrimæ vitæ probitas, tùm perpetuus in publicæ, privatæque rei commodum ſuſceptus labor ei laudes conciliabant, obſiſtendum etiam pro virili erat; ad eas ipſe declinandas, fruſtrà quidem, ſed tamen in omnem partem ſe vertere, quò conceptam de ſe Sanctitudinis perſuaſionem, inanem veluti larvam ex aliorum mentibus depelleret. Si quos proindè ſuis genibus alicubi advolvi, ſi quos ad veſtium ſuarum præſegmina furtim præcidenda accedere animadvertiſſet; hos ſubiratus ipſe ſeverioribus verbis expellere, importunitatis inſimulare, nec

intem-

Digitized by Google

intempestivum cujuspiam obsequium impunè abire unquam vellet. A Josepho Samblasio Nobili Consentino ad gravitèr ægram Conjugem invisendam accersitus, se nullo pacto accessurum diserte respondit. Cur verò ità præter morem facere vellet, requisitus; *Facio*, inquit, *quia Vaticino me Spiritu afflatum putatis, futurarumque rerum oracula præter fas à me dici in animum indaxistis*. A Nostrorum etiam Juniorum quibusdam postpium, quod apud eos habuit alloquium, rogatus, ut Divinum Amorem suis cuique precibus impetraret; ne in sui existimationem ea petitio utlatenus vergeret, conceptam de sua virtute opinionem ex eorum animis evellere his verbis contendit: *Divinum, quem flagitatis, Amorem haud equidem mereor: ejus potiùs Timorem mihi quotidiè petendum, ut par est, censeo*.

Præterea coràm ipsum laudare Ascetria olim quædam minimè verita, congestisque insuper laudibus preces addere, ut sibi parceret, neve nimio labore vires attereret: neque enim sine ingenti valetudinis detrimento fieri posse, ut Concionibus nunquàm, ac nusquàm abstineret. Repentinam verò hanc laudem in sui contumeliam his verbis extemplò vertit Franciscus: *Benè est*, inquit, *ea me agere loqueris, quæ & ab Asinis fieri quisque videt. Ubique intempestivè rudere proprium hoc ipsis; mihi verò cum ipsis commune est. Age jam, ut deinceps gratior ad me in Sacro hoc Subsellio salutandum accedas, Asinum, plebejum, indoctum me appella: haud quippè à vero tua aberrabunt verba; atque isthac appellatione quis, qualisque ego sim optimè in memoriam reduces*.

Institutam hanc porrò sui cum vilibus Onagris comparationem non ex improviso aliquo se despiciendi impetu, sed ex obfirmata animi in sui contemptum perpetuò intenti cupiditate profluxisse, tùm in Sacris Expeditionibus sæpè, tùm in Sacrarum Virginum Templis non semel palàm fuit. Oblongâ enim fune, ceu capistro, collo circumdatâ, petiit pluries, & à stolidiorum hominum nonnemine impetravit, ut abjecti Asselli more, modoque, trahentium manu per Templi pavimentum raptatus circumduceretur, quò se hominum cœtu indignum ad Brutorum Animantium Caulas amandandum esse, suo ipsius calculo firmata opinio invalesceret. Si verò usquàm aliàs, in suorum maximè Artificum Sodalitio hujusmodi exercitationum sibi ipse Palæstram aperuit. Suâ quippe apud

Digitized by Google

hos authoritate uſus, in ſui contemptum his imperandum multò diligentiùs, quàm in aucupandum obſequium quilibet alius animum intendiſſet, omni cura incumbebat. Hìc ipſe coràm Crucifixi Servatoris Simulacro ad Aram proſtratus, vepribus caput, collum craſsâ reſti cingere: inde à Sodalium aliquo per vices enixè flagitare, ut impoſitos Capiti dumos pedibus premere, corpus per humum arreptâ funè raptare ne gravaretur. Ubi verò in hiſce rebus exequendis exorari à ſe neminem poſſe conſpiceret, ad Sodalitii Limen in genua provolutus prodeuntium è Conclavi Sodalium pedes ſigillatim exoſculari ſatagebat. Hæc ex procul auditis eorum gemitibus, ac ſingultibus tunc agnita non ſine lacrimis ad unum omnes nunc paſſim evulgant: eorumque mentibus quamvis aliarum Franciſci Virtutum opinio altiſſimè inſideat; communi tamen ſuffragio ejus animi demiſſioni primas deferendas eſſe deprædicant.

Eodem ex hoc ſeſe deſpiciendi ſtudio, ni falſus animi ſum, ſingularis etiam illa profluxit in irrogatis ſibi injuriis eximii beneficii loco amplectendis diligentia. Quare ubi ea, quæ ipſe ageret, malam in partem ab aliquo accipi, carpi, reprehendi reſciiſſet; huic ipſe tanquàm prudentiſſimo rerum æſtimatori laudem tribuere, officia procliviùs rependere, famæque tantundem ſuâ huic authoritate conciliare, quantùm garrulitate ſuâ ſibi ille detraxiſſet. Pluries hæc, at præcipuè erga unum è Noſtris videre non ſemel fuit. Ad hujus quippè, Eccleſiaſten noſtra in Ædc de more per annum agentis, Conciones tùm ipſe ſtudioſè accurrere, tùm ſuos confertim Sodales de induſtria adducere præter morem eſt viſus. Mirantibus porrò hominem audiendarum manè Confeſſionum, Concioniſque apud Sodales habitæ longo labore defatigatum ad occupanda Auditorii ſubſellia promptè adeò accedere; ex ejus virtute eam aſſiduitatem proficiſci tandem innotuit: compertum nempè ei ſatis eſſe patuit, apud eum Concionatorem non benè ſe audire, ſuoſque mores ad cenſuram ab ipſo non ſemel vocari. Hinc augendæ ejus laudi eò propenſiùs inſiſtere, quò alieniorem ergà ſe animum ab illo geri æquiùs exiſtimaret. Verùm eximiâ potiùs Franciſci virtute, quàm gravi aliquâ Concionatoris hujuſce obtrectatione notabile id fuiſſe cenſeo: neque enim nili leve, & inconſideratum aliquid, opinor, pius cæteroqui, ac religioſus homo garrire in eum potuit. In longè acrioribus alterius cujuſdam contortis in ſe calumniis

Digitized by Google

lumniis comitate, & officio prosequendis nihilò minor ejus affabilitas eluxit. Eâ hic, quam è suæ artis peritia collegerat Neapoli, famâ in Franciscum abusus, quas ipse diebus festis in Triviis ad populum Conciones haberet, prorsùs intolerabiles esse prædicabat. Quò enim, ajebat, tantam in Circulatoribus ad lucelli desperationem adigendis sævitiem? Horum nugis, ac fabulis popellum non inhonestè detineri. Importunè proinde, inconsideratèque eum agere, qui in adimenda otiosæ multitudini eâ voluptate animum obstinasset. Imò nec fraude vacare suo judicio, addebat, paratam vendendarum mercium occasionem infelicibus Circumforaneis, Pietatis obtentu, impedisse, earumque pretium è manibus penè eripere. Hæc ipse pro Mimis, Agyrtis, Funambulis Histrionibus passim in Franciscum jactare, susceptumque ab ipso pro Dei causa laborem, quòcumque pergeret, considentèr vitii insimulare. Nec latere diù tanta ejus mordacitas Franciscum potuit: quare in obvium eum fortè offendens, ad ejus veluti amicitiam, & familiaritatem captandam, in eo comitèr salutando, ac perhumanitèr alloquendo, totus adeò fuit, ut derideri se, vel argui potiùs, quàm honore affici, suarum in eum obtrectationum conscientiâ, ratus, ab ejus se conspectu non sine novâ contumeliæ specie iratus averterit, consuetisque eum sannis, & conviciis insectari perrexerit. Infelix huic vitæ obtigit exitus: è prælto enim tabulato, quod artis suæ exercendæ studio conscenderat, cedente ponderi assere, miserè corruens, repentè oppetiit. Contemptam Franciscì Virtutem eo supplicii genere ulciscì Deum voluisse multis incessit suspicio: quibus tamen ego refragari, aut adstipulari minimè ausim: Arcana quippe Dei Consilia quis è rerum duntaxat eventibus metienda esse pronunciet?

Jam qui ex inolitâ se demittendi consuetudine infensos sibi præclarâ adeò laudis, honorisque significatione ornandos susceperat, ejusdem virtutis ductu omnibus decedere, magnificèque de ils & sentire, & loqui consueverat. Ac vix cujuspiam offensionem se non satis cavisse suspicatus est unquam, quin vel eum ad veniam de genu petendam adierit, vel ab eodem aculeatis fugillari se dictis modestissimè tulerit. Utriusque sanè rei simul præstandæ recurrens annua Sancti Cyri lux cumulatam ei occasionem attulit. Ingenti florum copiâ cum nostram ipse Ædem eo olim die ornandam curasset; cumque floribus li-

lia

Digitized by Google

lia etiam internexuiſſet ; ob flores Æditimo Adjutori laico ; ob lilia Sacerdoti Ædis Præfecto iram movit. Etenim unâ è florum teſtulis caſu confractâ conſpurcari pavimentum conqueſtus eſt Æditimus : præacuto verò lilii odore delicatas Matronarum nares lædi ægrè tulit Præfectus. Id ubi agnovit Franciſcus, demiſsè petitâ fortuiti erati veniâ placatum ſtatim priorem reddidit. Minùs verò exorabilem nactus Præfectum, publicam in ipſa Æde ejus objurgationem ſubiit, atque ab eo oſcitantiæ, atque imprudentiæ ſugillatus, veriſſime eum loqui, ſeque ob eam rem correctione, ac non levi mulctâ dignum eſſe repoſuit. Univerſim verò ut omnium infimum ſe proderet, omnes pro ſuo quemque gradu, ac merito vereri, omnibus aſſurgere, & quantùm prudentis obſequii ratio ſineret, maximi omnes facere conſuetum, ac familiare illi jam erat. Ab eo, quem Socium habuit Adjutorem Laicum, purgari ſibi Cubiculum, nonniſi Moderatorum imperio adactus, permiſit. Contrà verò ipſe, tùm humilibus domeſticorum Adjutorum miniſteriis præſto eſſe amantiſſimè ſtuduit, tùm in ſui potiſſimùm Socii obſequium proclivior nullum officii genus apud externos negligere, quò ei apud ipſos honorem conciliaret. Arctis in ſemitis priorem incedere illum jubere, priorem item in Nobilium Cubicula ingredi, ingreſſuroque velum honorificè allevare. Domi verò eidem velut optimè de ſe merito de genu gratias modò agere, modò defatigationis ex longo itinere veniam poſcere, modò ad impetrandam ſibi à Deo criminum veniam preces expoſcere. Nec lectum huic ſternere, prout receperat, renuiſſet, ni ad præoccupandum id muneris cautior ille accurriſſet. In externarum verò Miſſionum Socios Sacerdotes multò hæc propenſiùs ab eo exhibita. Ac reapſe alicubi nonniſi unicum in Hoſpitii Domo lectulum nactus, juniori Socio eum deſtinavit : ſtramine, ac paleis nocturnæ ſuæ quieti reſervatis. De honore Eccleſiaſticis Viris per ea tempora exhibito alibi dixiſſe me memini. Quanti verò apud ipſum Sacri paſſim Homines eſſent, ex eo liquet, quòd ad ſuarum manuum oſcula hos nonniſi ægerrimè admitteret : contrà ad horum ipſe dexteras exoſculandas piâ quâdam ambitionis ſpecie feſtinaret. Quâ in re ſingulari memoriâ dignum videtur mutuum Caritatis, ac Modeſtiæ certamen, quod cum veteri Amico è præclarâ Ordinis Prædicatorum Familiâ inſtituit. Quòd diù inter ſe uterque non viderant, vix primum obvii in plenos

Digitized by Google

mutuæ benevolentiæ amplexus ruere properarunt. Mox, ut de alterius alter Sanctimoniâ præclarè existimabat, osculandæ invicem manus utrumque cupido incessit. Cumque id obsequium alter ab altero admittere recusaret, renitentis dexteram eâ vi ori admovit suo Franciscus, ut malè hærentem gingivis eâ occasione dentem excusserit, quò ex honesta illa modestiæ contentione abire superior valeret. Longè verò illustrius hoc aliud, quod erga alterius Familiæ Concionatorem publicè exhibuit. Ad frequentissimum Populum in Foro dicere olim ipse jam cœperat; cum ad simile opus eòdem accessisse pium illum Regularem Sacerdotem procul aspexit. Utrique munus suum absque ullo alterutrius incommodo liberè exequi ipsa loci amplitudo, ac celebritas permittebat. At verò se publicè deprimendi aptissimam sibi occasionem obtigisse ratus Franciscus, Concione abruptâ, in alterius illius Concionatoris commendationem magnificis verbis effusus, pietate illum, atque eruditione sibi longè præstare prædicavit. At ne ad speciem hæc merè dixisse videretur, Concione suâ, tanquam minùs utili, eo die relictâ, raro, ac mirabili virtutis exemplo, & se, & omnem, quæ sibi aderat, Turbam, ad illum audiendum traduxit.

Hæc, aliaque id genus non pauca, ad se perpetuò abjiciendum in omni vita Franciscus. Quibus nullâ ex parte dissentiunt ea, quæ in morte egisse, ac dixisse perhibetur. Ægrum eum certè extremis vitæ mensibus, ac domi adhuc deambulantem, quidam è Nostris nactus, scitatus humaniter ab eo est, quî valeret? Idque eò se facere adjunxit, ut obviis quibusque *de ejus vitâ solicitis grato aliquo* responso faceret satis. Se verò, suamque vitam curæ ulli esse iniquiùs ferens Franciscus, ut commune hoc Civium studium in sui despicientiam callidè detorqueret, quid contra de se ipse sentiret ex intimo quodam animi sensu ita pudore suffusus exposuit. *Meæne valetudinis alicui in mentem ut veniat? qui nempe (me miserum!) tot hominum millibus longo annorum spacio impositi*. In extremo verò vitæ articulo, Sacro jam muniendus Viatico, protestatus palàm omnibus est, Societati se gratias enixè agere, quòd se omni literaturæ præsidio destitutum in suâ Domo degere toleraverit. Addidit communis Sepulchri honore indignum se prorsùs esse: domesticum proindè in Viridarium projiciendum suum Cadaver esse, quò prætereuntium pedibus ex merito protere-

re-

retur. Imò inviſenti ſe Patricio cuidam Viro, qui ad vitam ei prorogandam nulli ſe parſurum impendio pollicitus liberalitèr fuerat, eidem ipſe inſiſtens ſententiæ, poſt laudatam ejus in ſe humanitatem, nonniſi his verbis paulò antè repoſuerat: *Ità ne verò? In ruſtici, ac trioboli hominis gratiam tantùm pecuniæ prodigi? Apage: plus nimiò quippè eſt, quod in me malè de ſe meritum, atque inutilem Filium mea Mater Societas hac occaſione profundit.* Tandem extremâ vitæ nocte, in ea, quam fusè, ac diſtinctè admodùm dictavit, tùm rerum ad Sanctum Cyrum ſpectantium, tùm pecuniarum in pauperes diſtribuendarum memoriali Scheda, ſubjicere hæc ad extremum voluit: *Memor denique ingentium beneficiorum, quæ in me tot annis apud ſe toleratum Societas contulit, vultu ad terram demiſſo, ad Sancti Parentis Ignatii pedes proſtratus, omnium, quæ in domeſticarum Legum, ac Votorum cuſtodia deliqui, veniam peto. Patremque Provincialem, Patrem Præpoſitum, omneſque ad unum Patres, Fratreſque idem rogo; quos ſi pravis meæ vitæ exemplis unquam offendi, mihi ut ignoſcant, oro, obteſtorque.* Cui ipſe ſcripto tremulâ, ac deficiente manu hæc demùm addidit: *Franciſcus de Hieronymo cum integrâ animi demiſſione Moderatori ſuo.*

CAPUT V.

Corporis Afflictatio.

SI nihil hìc aliud, niſi quos in alienæ ſalutis commodum diu, noctuque ſubiit Franciſcus labores, in medium proferrem; inexorabiles eum cum ſuo Corpore inimicitias exercuiſſe inficias iret, opinor, nemo. Eorum enim nec numero, nec mole terreri, ſuæque vitæ immemorem nullo unquàm tempore intermiſſos eos velle, quid, niſi animi capitali in ſeipſum odio infenſi certiſſima forent indicia? Verùm indulgere ſibi plùs nimiò ipſe cenſuiſſet, niſi edomitum jam labore corpus aſperrimis item afflictationibus ſubigendum ſeveriſſimè ſuſcepiſſet. Non ſemper quidem ità pro libito licuiſſe, ſed Moderatorum arbitrio, ac nutu corporis caſtigationem in Societate aſſumi à ſingulis debere, duriſſimum primis Religioſæ Vitæ annis ſibi obti-

obtigisse testatus in familiari colloquio cuidam è Nostris olim fuit, nec nisi peculiari Divinæ lucis adminiculo domesticæ hujus sanctionis æquitatem agnovisse. Coràm Venerabili siquidem Eucharistiâ dum hac super re in Neapolitano Collegio vespere quodam tacitis precibus expostularet, ac mitiùs secum agi Societate jam initâ conquereretur, quàm domi anteà ad sese macerandum assueviſſet; certissimâ hac voce angore se statim omni liberatum protinùs fuisse asseruit: *Atqui te tui Juris haud esse memor sis, jàm decet.*

Ob hæc, intermissum quadantenùs, non depositum corporis odium ubi absoluto Theologiæ curriculo resumere liberiùs potuit; voluptatis jam omnis spe sibi intercisâ, in rebus etiam ad sustentandam vitam necessariis non unquàm ex æquo, & bono, sed summo secum jure agere contento studio consuevit. Noctes in effundendis coram Deo precibus insomnes magnam partem extractæ: ut nonnisi perpaucæ supereſſe potuerint horæ, quas quieti non denegatas veriùs dixerim, quàm datas. Nec verò brevis hic somnus detractis corpori vestibus super Culcitâ, ac linteis ut plurimùm captus; sed, nisi morbi, vel extraordinariæ lassitudinis languor aliud suaderet, sella, aut nudi asseres cubilis ei loco fuere. Certè eum, aut Sacræ Missionis, aut alterius rei causâ extrà domum noctu agere coactum, linteis penitùs abstinuisse testati sunt, qui ea mane iisdem inter se cohærere aciculis comperere, quibus ea vesperi ad rem explorandam de industria connexuerant. Cæterùm sextâ quâque singularum hebdomadûm feriâ *Christi Soteris* cruciatibus sacrâ nonnisi nuda ei humus, aut posita humi Crux præbere stratum consueverat.

Par, nisi etiam major, in denegando sibi cibo, potuque austeritas, quanquàm eo semper artificio operta, iisque jocis, ac facetiis dissimulata, ut minùs sagaces non facilè adverteret. Non enim appositas dapes recusare; sed frugalem illum, quo utimur, victum, aut vix gustatum à se callidè arcere, aut multo sale aspersum palato insuavem reddere; nec nisi humi sedens, aut de positâ in Triclinii medio humili mensâ flexis genibus sumere. Lautiùs verò, ùt fit, aut suarum Concionum gratiâ Domi, aut Hospitii causâ in Collegiis de more habitus, illatas sibi delicatiores dapes; suum illicò defraudans genium, proximè assidentibus dono dare, vel ægrotanti famelico alicui refocillando reservare jam assueverat. Rogatus verò quandoque; Cur

de alienâ inediâ adeò ſolicitus, ne minimùm quidem laboraret de ſuâ? dentium modò vitium, modò illatas jam ſaturo epulas, aut ſimile quid promptè cauſatus, non intermiſſam abſtinentiæ ſuæ ſeveritatem aut quæſitis fucare coloribus, aut hilarè dictis obtegere ſatagebat.

Quantus deindè ipſum Dominicis diebus maneret labor, longo jam experimento didicerat; non ideò tamen ſpontè ſibi indicto in Deiparæ obſequium præeuntis Sabbati jejunio vires atterere penſi quicquam habuit. Ac ne edomitâ fame, vinci ſe ſiti permitteret; vicinum licèt Cubiculo haberet puteum; ad gelidæ tamen hauſtum, aut ad aridas fauces aquâ proluendas, ne in ſummis quidem caloribus illùc acceſſit. Jam ità in ſe domi rigidus, eandem foris cum externis agens in nullâ ſibi re indulgendi rationem tenuit. Oblatos quippè à Nobilibus, quos ſubindè inviſeret, delicatos cujuſque generis hauſtus, modò ut valetudini noxios rejicere, modò, ſi id artificii minùs ſuccederet, ne exhibentium dignitatem inurbanè contemnere videretur, vix ſummis delibatos labris Pincernæ ſtatim reddere. Ubi verò vel Sacrarum Miſſionum, vel Quadrageſimalium occaſione Concionum hoſpitari diutiùs apud Magnates cogeretur: quemadmodùm in Andriæ in Apulia, ut ejus Urbis Dominæ *morem* gereret, facere potiſſimùm debuit: nonniſi parci, ac tenuis victus conditione priùs acceptâ, gratam ſibi apud eos moram fore denunciabat. Hinc ubi ſuæ magis magnificentiæ, quàm pacti memores, opiparis onerare eum hi epulis vellent; demenſo ſuo parciſſimè indè detracto, paratas illas baſilicè dapes in pauperum, ægrorumque uſum, ne in abſtinentiæ ſuæ commendationem id vergeret, clàm erogabat. Æger denique ipſe, atque in Vulcani Foro (Sulphurariam nunc dicunt) propè Puteolos ad affecti pectoris levamen extremo in morbo agere juſſus, ad donatum ſibi à veteri Amico lautiùs epulum delibandum adduci requiit, niſi de eodem cibo tàm Adjutor Socius, quàm addictus ejus famulitio mediaſtinus pari conditione præguſtaſſent: quò imminuta illa abſtinentiæ ſeveritas animi demiſſionis ſaltem cenſui accreſceret.

Solius porrò inediæ, ac vigiliæ cruciatu non ſatis conceptum in ſua membra expleri odium potuit. Alias prætereà ex aliis commentus eſt afflictationes, quibus jam abundè attritum laboribus corpus acriùs extenuaret. Domeſticâ relaxatione à

Mem-

Digitized by Google

Mensa, ut moris apud nos est, sibi perpetuò interdixit: brevibus, ac perpaucis ab aliorum se cœtu hilarè expediebat, atque Eucharistiæ è Templi Odæo salutandæ impensum id tempus volebat, quò Christi in ea latentis colloquio se dulciùs, atque utiliùs exhilararet. E' maximis verò, diuturnisque laboribus breve respirandi spatium ne optare quidem, nedum postulare unquam est ausus. Laborandum potiùs Moderatoribus fuit, ut feriari aliquantisper à curis, atque occupationibus in Collegiorum prædiis ne gravaretur. Jam ne ipsum tamen ibi sine negotio otium obtingeret, erudiendis Christiana Catechesi pueris, ac rudibus, inflammandis Concione agrestibus, eorum Confessionibus audiendis, iisdemque Eucharistiæ Epulo reficiendis, imperatarum sibi vacationum obtentu operam dabat. Idem ne ipsa per Urbem discursatio sine cruciatu esset, ad ferventis Solis radios æstate, detracto è capite pileo de industria incedebat: hieme verò, aut pluvio Cœlo, deciduum imbrem, aut sævientem ventum oblato vehiculo declinare apertè recusavit. Extatque adhùc in hac re lepidi ejus dicti recordatio, quo Patricio cuidam eum curru secum excipere cupienti gratias egit. Quamvis enim ab ingentis nimbi vi in domus cujusdam Porticu defendere se conatus eo die fuisset; consueto tamen lepore invitantis ad Currum comitatem his verbis elusit: *Equidem in Societate peditem hactenùs egi: an levi adeò de causa equitem confestim agam?* Ad Pagos verò ad Sacram Synaxim evocandos quamvis, ut dixi, meritorio equo vehi necesse haberet; adhùc tamen permisso Agasoni equo, pedes ipse iter ad se vexandum instituere non semel est observatus: atque à quodam è Nostris in eo deprehensus, amicèque objurgatus: Quorsùm affectis jam senio, ac morbo viribus ità ageret? pudore suffusus, clàm ut domi res esset, enixè petiit.

Nec tamen ob hæc tàm asperè corpori imperata sibi quicquam placatior, illud veluti refractarium, atque immemorem officii servum ad pœnas quotidiè deposcebat. Ter ipsum singulis diebus Sacrarum Missionum tempore flagris in se desævire consuevisse memoratum in loco superiùs est. Penè idem Domi sese cædendi tenor: nisi si ad impetrandam à Deo sceleſti alicujus correctionem, aut ad solenniores anni dies majori pietatis cultu celebrandos, acriorem longè, ac diuturniorem sui verberationem præmitteret. Is certè catenarum fragor ex ejus cubiculo noctu

Digitized by Google

exauditus, qui atrocitatis horrorem, tùm proximè accolentibus eo tempore noſtris Tyronibus, tùm fortè illàc prætergredienti domeſtico famulo non ſemel incuſſerit; ut, Franciſci-ne ſeſe aſperrimè afflictantis, an verò malorum Dæmonum opus crudeliſſima ea verberatio fuerit, in medio adhùc ſit. Hirſutum prætereà à ſcapulis ad genua demiſſum Cilicium plurium annorum ſpatio induit, donec Moderatoris juſſu ea de re à Socio admonitus à nimio illo tabeſcentis jam Corporis cruciatu abſiſtere coactus eſt. Quamvis verò hàc illàc ad animorum ſalutem diſcurſandum per Urbem ei continentèr eſſet, hamatâ tamen Catellâ lateribus adſtrictâ à primo mane ad meridiem armatum ſemper eum inceſſiſſe, indubio Noſtratium quorundam teſtimonio liquet.

Opinione porrò longè majorem caſtigandi corporis cupiditatem in eo efferbuiſſe, omnium optimè ab ejus deceſſu inventa in ejus Cubiculo declaravit ſupellex. Quàm enim aliis rebus inornatum, tàm exquiſito id genus inſtrumentorum apparatu Conclave illud inſtructum apparuit. Cuſtoditæ ibi diligentèr in Arcula acutis armatæ aciculis zonæ, ferreæ Catellæ ad pungenda latera aduncis hamulis duplici ordine elaboratæ: non unius generis, aut è virgis, aut è vepribus flagella; crenatis etiam diſtincta orbiculis ad extrahendum ſanguinem ſpartea flagra: inter quæ unum præcipuè pendulum ex imâ parte habens imbutum ſanguine ſaxi fragmentum, adjectâ ad id tergendum ſpongiâ, quæ laceratorum artuum ſuſpicionem oculis ſubduceret. Lineus etiam pannus ibidem repertus, ad fluentem è corpore cruorem excipiendum humi ſtemendus, ne eo natare pavimentum deprehendi unquàm poſſet: qui ſanè pannus ſpectantium oculos etiamnum ſacro quodam horrore percellit. Uſui verò hæc omnia Franciſco ſæpè fuiſſe tùm ex hactenùs memoratis conjicere pronum eſt, tùm intelligi præcipuè ex eo poteſt, quòd Nolæ ſuis ſe vidiſſe oculis teſtatus eſt, qui ejus curabat Cubiculum domeſticæ rei Adjutor. Franciſco quippè ad Aras manè litante, hic ad purgandum ejus Conclave introgreſſus, circa genuale Subſellium recenti madidum ſanguine pavimentum reperit, ejuſque, qua ſe dirè ceciderat, catenæ annulos quoſdam temerè humi diſperſos non ſine pietatis ſenſu proſpexit. Hoc verò, quanquàm pro inſita animi demiſſione clàm omnibus eſſe voluiſſet Franciſcus, non caſu,

ſed

Digitized by Google

sed Divino consilio patuisse opinor, quò certissimis exploratum indiciis esset, quàm infensum in se animum ex virtute gereret, qui in suis membris, seù propriæ, seù alienæ salutis causâ, inclementer vexandis penè modum excederet.

CAPUT VI.

In Animi Affectus imperium.

LOngè verò difficilius, ac pulchrius illud, quod ad impotentes animi motus sub Divinæ Legis, rectæque rationis jugum mittendos, geritur bellum, nihilò minori contentione susceptum persequi in omni vita suum esse duxit: ut ipsa corporis vexatio ad compescendas abhorrentes ab honestate cupiditates plurimùm conduceret. Præfervida sanè illi indoles, atque ingenium à Natura obtigerat, quâ subitis iræ motibus nil magis obnoxium. In eam tamen virtute comprimendam ità incubuit, ut nonnisi ad infectanda acerrimè vitia, ac scelera, eam in Concionibus adhiberet: post quas, depositâ veluti personâ, ad præstitutam mentis tranquillitatem statim redibat. Cæterùm contumeliis, ludibriis, fraudibus, importunis circumfusorum inopum clamoribus, hominumque universim ejus operâ in mortalis hujus vitæ commoda duntaxàt abuti volentium odiosis petitionibus quotidie impeteretur licèt; nedum incendi tamen, atque excandescere, sed ne incitari quidem ad stomachum, & iracundiam videbatur. Comis in omnes, ac facilis, ludibria modesto risu excipere, contumelias, fraudesque insigni aliquo beneficio rependere satagebat; iisque ipsis, quibus morem à se geri non posse, aut non debere existimabat, perhumanitèr, ac nulla tædii significatione pro eorum libito auditis, si minùs re, mitissimis saltem verbis satisfacere contendebat. Nec verò, quem foris dissimulaverat, animi angorem egerere domi auditus est unquàm; sed perindè ac si curâ, ac labore solutus ageret, singulorum ità se indoli, ac moribus attemperabat, ut familiaribus ejus colloquiis nemo non oblectaretur: eòque proindè mirabilior cunctis ejus Virtus accideret, quò ab omni severitatis affectatione aliena modestos in sales, ac facetias propensiùs se in loco effunderet.

Fue-

Digitized by Google

Fuere quidem per vices nonnulli, qui vel ſuâ, vel invidorum hominum opinione decepti, pios ejus conatus intervertere egregii facinoris loco ducerent, laudique ſibi apponere nil vererentur, quòd creare Franciſco moleſtiam valuiſſent. At ejus animum de eximiâ illâ, quam ſemper prætulit, affectuum tranquillitate ſe deturbaſſe ne falsò quidem jactare potuerunt: adeò impetus, propenſioneſque omnes in ſua ditione habere penè illi in ingenium verterat. In *Teverolæ* Pago dum Sacræ Expeditioni obeundæ intento vacaret ſtudio, Epiſtolam à Præſtite quodam ad ſe miſſam attentiùs legere conſpectus à Socio eſt. Expoſtulatione, acerrimis objurgationibus, ac minis referta hæc erat. Scitanti verò Socio; Novi-ne aliquid eæ literæ nunciarent? *Novum profectò*: ſubridens, atque imperturbatus reſpondit; *verendum ſcilicèt Franciſco eſt, ne in magno Foro Nundinario, quod Neapoli eſt, è trabe infelici ſuſpenſus intereat*. Nec de conſuetâ vultus hilaritate quicquam remittens, ad Averſanum Epiſcopum, S. R. E. Cardinalem Innicum Caracciolum ſtatim contendit; quîcum ſermone remotis arbitris non diù habito, maximâ honoris ſignificatione ab eo dimiſſus ad Pagum rediit. E cujus rei ſerie, cum tacitè eam diſſimularet Franciſcus, nil, niſi ſuſcitatam in *ipſius Caput* procellam penitùs evanuiſſe conjectum eſt.

Non ità de facili diſjecta altera eſt ſævior, ac diuturnior coorta in ipſum tempeſtas; in qua eximiæ ejus Manſuetudinis conſtantia prorsùs emicuit. Invidorum quorundam hominum criminatio duos ſacrarum rerum Antiſtites eò adduxit, ut conſuetis Miſſionibus alter, alter conceſſo olim ad ſuæ Ditionis Aſceteria acceſſu interdictum Franciſco ſeveriſſimis verbis voluerit. Celeberrimi in Urbe hominis famam utroque eo Edicto peſſimè labefactari exploratum jam erat; ac priori potiſſimùm, cui nempe obtegendo nullus valeret color. Incolumem quippè Franciſcum concionibus abſtinere perindè jam erat, atque Athenis, ut ajunt, abeſſe Noctuas. Enimverò quamvis impediri, ac retardari Divinæ Gloriæ incrementum familiariter ferret; hanc tamen ſui dedecoris notam haud quicquam de ſua exiſtimatione ſolicitus, hilari vultu, atque animo tandiù ſuſtinuit, donec errore, ac fraudibus detectis, de laborioſo Miſſionis munere ei reſtituendo iidem, qui abrogaverant, honorificè decrevere. Alterius verò Interdicti ſeveritate perculſus adeò non

eſt,

Digitized by Google

est, ut pacatus juxtà, atque interritus ei, qui ad id sibi denunciandum advenerat, promptè responderit, imperata se equidem facturum, eòque lubentiùs, quòd gratius Deo fore crederet ab ea messe abstinere, in quam immittendam à se falcem haud esse Ecclesiastici Agri Administratores judicarent. Cæterùm etsi nihili hominem se in Societate esse intelligeret, sperare tamen, ut imbuendis postmodum Christianâ Cathechesi rudibus, ac pueris pro modulo intentus, animorum lucra quæsiturus ea esset, quæ nullius offensionem incurrerent. Nec plura eâ super re adjecit Franciscus. Interrogantibus verò de ea, de nullo conquestus, nil aliud, nisi suo vitio, quicquid id esset, accidisse reposuit. Imò percontanti Domus Præposito facti totius seriem enarraturus, & pacatissimis omnia verbis exposuit, & sese inscitiæ, imprudentiæ, inurbanitatis, aliisque id genus ignominiæ titulis ità inter dicendum oneravit, ut si aliis unquàm rebus, eâ certè narratione insigne ejus, quàm animo foveret, Virtutis documentum audienti exhibuerit.

Iræ, odiique cupiditatibus ità edomitis, ad aliorum quoque affectuum impetus refrænandos nihilò segnior fuit. Quàm enim nullus periculi, aut adversæ rei eum metus vinceret, tùm aliis, tùm eâ occasione potissimùm prodidit, quâ armatos, ut dictum in loco est, milites è Meretriculæ meritoriâ tabernâ intrepidus abegit, vel quâ ejusdem professionis alios in Lupanari libidinum suarum causâ armis inter se contendentes, sceleste eorum furore intrepidè objurgato, discedere à certamine jussit, eoque memorabili dicto ad obsequium coegit. *Ita-ne contemptis Dei Legibus mutuam in cædem inconsultè exardescitis? At nihil est, cur à vestris ego armis jam metuam; quæ utinam mihi pro Christi Soteris honore certanti vitam eriperent! Equidem ita occumbere maximæ felicitatis loco ducerem.* Nec dissimili vitæ contemptu per medias armatorum utrinque Militum turmas ultrò, citròque discurrere quicquam pensi habuit, cum Austriacis Caroli VI. Cæsaris Legionibus anno labentis seculi septimo pacificè Urbem ingressis, de cogendis ad deditionem occupatis adhùc ad Hispano Milite Arcibus ageretur. Castrum, quod Novum dicitur, circumsederant Germani. In Urbem contrà incendiariis ignibus sese desævituros alteriùs partis Milites minitabantur. Porrò tantus belli terror quanquàm citò desierit; ad imminentem tamen hanc Urbi cladem deprecandam, metu

omni

Digitized by Google

omni depoſito, accurrere non detrectavit Franciſcus, eumque qui Caſtro præerat, ut Civibus ſaltem parceret multis precibus exorare. Et ſanè, tametſi periculi plenum id opus eſſe domum regreſſus narraret Socius; Franciſco tamen ab utriuſque partis Militibus liberè, quò vellet, ità permeare permiſſum, ut aditum ei intercludere religioni veluti ducerent.

Et verò in communi aliorum pavore jam indè ab anno circumacti proximè ſeculi octogeſimo octavo metus expers agere didicerat; quo nempè anno horribili agitata motu Urbs tota contremuit, ipſumque ab interitu non caſus aliquis, ſed Divinæ Providentiæ peculiare Beneficium vindicavit. Deſcenderat eâ fermè horâ Sacram in Ædem, ſive ad aures confitentibus præbendas, ſive ad pias preces perſolvendas Franciſcus; in eamque ex ea parte, quæ domeſticæ Januæ adjacet, vix pede illato, inſueto quodam animi admonitu inde ſe retrahi expertus eſt: cum, ipſo ei voci obſequente, concuti, ſimulque ſuccuti eo impetu Urbs paſſim cœpit, ut præter alias ejus partes ingenti ruinâ fœdè deformatas, præceps Noſtræ Ædis Tholus disjectis hàc illàc ingentium ſaxorum ruderibus totius penè Ædificii molem miſerabili tùm Noſtrorum, tùm Externorum aliquot clade labefactarit. Subtractus verò ei calamitati Franciſcus, invictâ, quam prætulit, animi magnitudine trepidis eo tempore Civibus non mediocri ſolatio fuit, & ad placandum pœnitentiâ iratum Numen incitamento non minùs, quàm adjumento.

Aliàs porrò, ſi quæ officium minùs violenter detrectarent animi cupiditates, contemptu potiùs, quàm certamine ſuperandas ſuſcepit. Nihil enim de ullâ quamvis innoxia ſenſuum, animique voluptate ſolicitus, nullo oculos ſpectaculo, nullâ aures novarum rerum notitiâ oblectare voluit, in ſuum, ſeù potiùs in Dei negotium utiliùs ſemper intentus. Amplam, quæ Regio Palatio Neapoli protenditur, Aream olim cum Socio prætergrediens: *Hem*, inquit, *baſilicè conſtructum iis, qui pro Rege præſunt, Palatium! Egregiè illud ædificatum opinor quidem: cæterùm hùc ego nec pedem unquàm intuli, nec oculis hactenùs ſpectavi meis.* Jam quid in Europa Principes, quid in Regno Indigenæ, quid in Urbe agerent Cives, quid quis aut pro ſuo munere curaret Domi, aut quid curandum à quopiam decernerent Moderatores, id ne ut audiret quidem adducere animum potuit: adeò Immortalium rerum cupiditas mortalium eventuum

agni-

Digitized by Google

agnitionem extrariam ei, atque insuavem effecerant. Hinc non ab re, quemadmodùm ob immensum corporis afflictationi adjunctum laborem, ferro, atque ære constare ipsum mirabantur quidam; ita ob rejectam fluxarum rerum omnium cogitationem, spiritu duntaxàt conflatum esse Franciscum alii dictitabant.

Universim porrò quâ vi, quâve constantiâ de reluctantis animi motibus in maximi etiam momenti rebus triumpharet, non minùs egregiâ ejus virtute, quàm inusitato prodigio illustris ostendit eventus. Mataluno, ex Oppido non longè disjuncto, Neapolim Marcus Appriettus Pater, atque Agatha Cimina Mater ægram Filiam adduxerant. Ulcere hæc gravabatur, quod seù morbidi sanguinis vitio, seu Medicorum negligentiâ in eo penè erat, ut in gangrænam degeneraret. Nec accitis Neapoli peritioribus Artis Professoribus impendenti huic metui obviàm itum; curationes, ac malagmata omnia vincente jam morbo. Ad miseræ hujus solatium rogatus accessit Franciscus, qui ægræ miseratus vicem, procumbere statim domesticis in genua jussis, atq; Adolescentulâ ad Sancti Medici Cyri implorandam opem erectâ, ejusdem *Divi* pulvisculo ulcus asperšit. Dein generosum Sancti Francisci Xaverii exemplum animo versans, ad illud imitandum manantem è fœtido ulcere saniem naturalis nauseæ victor exsuxit. Quo facto benè sperare ægram his verbis jubet: *Quærendum jam tibi Neapoli supereſt nihil. Morbi proindè metu depoſito, in Patriam ſecura regreditor.* Eo Francisci imperio freta Matalunum incolumis repetiit Mulier, cui vera ipsum præcinuisse sanitas *ex integro* recuperata probavit. Insigne hoc virtutis *prodigium*, simulque *admirabilem* hanc curationem, is, cujus domi ægra diversabatur, Joseph Savinus, procurati à Francisco Deiparæ Sodalitii assecla, oculatus testis asseruit: insanabilisque præterea ejus morbi cessationem è tàm egregio hominis facinore extitisse non levi sanè conjecturâ judicandum reliquit.

CAPUT VII.

Paupertas, & Castimonia.

QUanquam Franciscum in alias ex aliis curas distractum alienæ salutis amor singulis penè horis occuparet; in sui

Digitized by Google

tamen curâ impenſiùs, ut par erat, defixus, nihil earum rerum neglexit unquàm, quibus tamquam propriis Chriſtiani, Religioſique hominis Virtutibus ad Evangelicæ Perfectionis normam ſuum ſibi excolendum animum eſſe meminiſſet.

Ac voluntariæ quidem Paupertatis cultor ità egregius fuit, ut in eâ ſuas collocaſſe divitias crederetur. Quod Junior in Profeſſorum Domum è Neapolitano Collegio translatus primum ſortitus eſt cubiculum, id ad extremam uſque ætatem retinuit. Anguſtum illud, incommodum, domeſtici Viridarii ſolo cohærens, temporum inclementiæ obnoxium, parum Solis, imò & lucis admittens. Hoc tamen, utpotè fovendo Paupertatis ſtudio aptius, ut devexæ ætatis ratione habitâ incommodiùs, ac laxiùs commutaret, ne repetitis quidem Moderatorum precibus adduci unquàm potuit; nec niſi extremi morbi eum ad commune Valetudinarium compellentis neceſſitas relinquere illud coegit. In eo verò nil à ſeveriſſimæ Paupertatis legibus diſſonum admiſit unquàm. Tota ejus ſupellex lectulus, ſella, abacus, paucique de Aſcetica re libelli. Detritarum etiam veſtium nonnihil ab ejus deceſſu in eo repertum, quas ſuis ipſe manibus in pauperum uſum, ut dixi, reſarciendas ſuſceperat: ac præter hæc, diligentiùs paulò cuſtoditum multiplex affligendi corporis inſtrumentum. Cultu omni neglecto, veſtes nonniſi detritas, atque obſoletas induit. Novas cum ab eo refugi expertus jam eſſet domeſticus Sartor, ne moleſtiam homini crearet, ne offerre quidem eſt auſus. Ut novo caput pileolo tegeret, veterem ad Aras operaturo furtim in Sacrario ſurripere neceſſe fuit. Papyri præſegmina ex iis, quas accepiſſet epiſtolis, excerpta diligenter ſervabat: atque in his exarata videre eſt plurima, quæ in ſuarum Concionum uſum deſcribenda cenſeret. Deo ſcilicet obligatam Voti religione Paupertatem decere arbitrabatur accuratam illam in integris chartæ foliis cautè abſumendis parſimoniam. Vulgari ſemper uſus eſt cibo: delicatiores, ſi fortè in menſam inferrentur, epulas bonâ Moderatorum veniâ in ægrorum pauperum uſum ſeponebat. Sibi peculiare aliquid quærere auditus eſt nunquàm, niſi ut levandi morbi obtentu communis cibus in viliorem aliquem verteretur; quod quidem à Socio piarum ejus artium parum callido Puteolis aliquandiù extorſit. Illùc ipſe in extremo morbo Medicorum ſententiâ diverſari juſſus, quò ſulphurei aëris reſpi-

Digitized by Google

respiratione hærentem pectori pestem abigeret, domesticum Adjutorem Socium habuit, cui severè indictum, ut in affecti hominis, quam susciperet, curâ, nulli eam in rem sumptui parceret. Id tamen in sui corporis levamen benignè adeò imperari cum minùs æquum arbitraretur Franciscus, blando verborum artificio apud ipsum egit, ut sibi nonnisi incocta jusculo Rapa apponeret: depellendo quippè pectoris morbo aptissimum id oleris esse. Ac vile quidem hoc obsonii genus nec semel, ac tandiù ægro credulus apposuit Laicus, donec suæ sibi facilitatis religione injectâ, lautiori, quàm ipse judicasset, victui, interpositâ Moderatorum auctoritate, acquiescere jussit Franciscum.

Jam summa, quæ in eo floruit, Castimoniæ laus videri eò admirabilior potest, quòd non solitarium aliquod vitæ genus, atque ab hominum turba semotum professus fuerit, sed inter mortales vitiorum, ac præcipuè libidinum cœno immersos versari è suscepti Apostolici muneris ratione debuerit. Sed tamen Solis imaginem quandam suis moribus perpetuò expressit, cujus fervor, ac lux nullo sui dispendio, aut detrimento ad illustrandum, exsiccandumque etiam lutum diffunditur. Impuris quippè hominibus, ac projectæ libidinis mulierculis alloquendis, atque audiendis penè quotidiè intentus, nullâ id genus labe animi, corporisque sui candorem ex eorum consortio aspergi unquàm sensit. Ab eo certè virginalem Pudicitiæ florem ad extremum usque spiritum custoditum fuisse, suppresso suo nomine juratus asseruit is, qui ei à confessionibus erat, P. Simon Bagnati, idem qui Italicè ejus vitam iterùm scripsit. Ad eum siquidem cum paulò ante decessum adiisset Franciscus; accisis ut erat viribus, ac membra vix poplitibus sustinens: *Totius*, inquit, *vitæ noxas deponere apud te habeo, Pater; at citò, opinor, me expediam*. Nec abfuit verbis fides: brevi quippe temporis spatio in ipsa noxarum enarratione acceptam in Baptismo candidam Innocentiæ vestem nulla unquàm ex parte fœdatam Servatori suo brevi à se restituendam eidem ostendit.

Magnum hoc quidem, ac singulare: cum alienâ libidine præliatus assiduè, nullo tamen ejus vitii ictu saucius septuagenario major jam Senex. Mihi verò majus longè, ac singularius hoc aliud videtur, quòd in hoc pugnæ genere victus ab eo toties, lacessere eum tamen humani generis hostis ne ausus quidem fuerit; nec nisi semel (proùt ex ipsâ enarrandæ rei serie

Digitized by Google

non ex vano mihi conjicere videor) in ejus animo oppugnando vires suas acerrimo decretorii prælii genere experiri tentaverit. In Missionibus extrà Neapolim agebat Franciscus ; cum noctu molestissimo fœdæ imaginis objectu solicitari animum sensit. Novæ rei horrore perculsus, atque in malum Dæmonem extemplò excandescens : *Quid verò?* ait, *Men' ut hac parte intercipere audeas ?* Nec iram intrà verba continens, eo in se desævire impetu cœpit, ut libidinis sensum quidem omnem extinxerit ; at, ni subitam laboranti opem medica S. Cyri manus tulisset, susceptо Missionis operi prosequendo ex asperrimâ corporis carnificinâ idoneus ipse mane futurus haudquaquam fuisset. Victorem è tàm periculoso certamine Dei beneficio se rediisse videre per se jam poterat Franciscus. Verùm hanc ipsam suam victoriam veritus, bonarumque mentium more, anxius ne aliquâ innocentiæ jacturâ atrox adeò prœlium stetisset, Sacerdotem Socium sub ipsum statim lucis initium adit, eique in Sacra Confessione initæ à se nocte concubiâ pugnæ rationem omnem exponit ; confususque adhùc animo ob rei novitatem invitus subdit, sexagenarium se hominem eâ primùm nocte obscœnis hisce imaginibus acritèr adeò conflictari debuisse. His porrò, nec sine ingenti ejus virtutis admiratione à Socio auditis, interpellandus ei his verbis visus est Franciscus : *Ità affectus cum sis, non Concionibus, sed malè habito corpori curam modò impendas oportet.* Cui statim ipse : *Haudquaquam ità fiet ; revalui quippè jam satis, ac Sancti mei beneficio revalui. Visendum se ipse oculis obtulit, viresque, ac sanitatem dicto citiùs reddidit.* Hac profectò confessione, quam animi sui integritati metuens aggredi ipse festinavit, ad rimandas tùm quæ in ipso laterent virtutes, tùm manifesta erga eum S. Cyri beneficia, nil opportunius fuit. Eam proindè vulgandam ab ejus decessu ad Dei Gloriam semel, atque iterùm censuit is, qui eam audiit, P. Sylvius Galderius ejus tùm Missionis Socius, qui non multò post audiendis graviter febrientium Remigum Neapolitanorum Confessionibus navatâ strenuè operâ, lethalique inde contracto morbo, dignam Apostolico homine mortem oppetiit.

Cæterùm tàm eximia animi, corporisque sanctitate Divino licèt munere honestaretur Franciscus ; in eâ tamen tuendâ cautior-ne, an cautior fuerit, in medio est. Præter enim non intermissam corporis afflictationem, de qua in loco ; in sensibus

coer-

Digitized by Google

coercendis ea in ipso eminuit cura, qualem vix ullus libidini maximè obnoxius adhibuisset. Et rigidam quidem hanc sensuum custodiam jam indè à puero didicerat. Id enim ætatis impudici alicujus verbi audito vix sono; liberiùs ità loqui ausos aut declinato repentè eorum conspectu, aut compositâ ad ingenuum pudorem fronte tacitus, ut poterat, objurgabat: ut ex hoc vel auditæ libidinis horrore Angeli cognomentum sortitus apud suos populares jam esset. Adultior verò, imò & jam senex ne latum quidem unguem ab eâ severitate, ac verecundiâ deflectens, oculos præcipuè ità cohibuit, ut Cœlo quidem subindè liberè frui, reliquarum rerum nonnisi necessario aspectu contentos eos esse constantissimè jusserit. Ex illibatæ porrò Castimoniæ studio profectum hunc Modestiæ morem fuisse ex ejus verbis patuit, quæ interroganti olim Socio reposuit. Huic enim quærenti; *Quî tandem fieret, ut in tractando cœno versatus semper, fœditatis nihil unquàm contraheret? Quia*, inquit, *nunquàm in oculos, proindèque nec in animum se intromittit hoc lutum*. Et verò impuras tot fœminas cum ex impudicitiæ sordibus extraheret, nonnisi defixo humi obtutu ad necessarium alloquium admittebat. Immò nec absimilem erga honestas ipsas Matronas servatum ab eo morem fuisse experimento didicit è Nostris quidam, qui ad solandum Equestris Ordinis Virum ex morbo decumbentem eum secum olim adduxit. Ut primum enim Franciscum domi esse hujus Uxor, non minùs genere, quàm formæ elegantiâ nobilis, admonita est; post omnia, quæ ad Viri levamen pertinerent, confecta; consulere eum & ipsa de animi sui rebus voluit. Colloquioque in longum protracto, explorare diligentiùs eâ occasione voluit Socius, verè-ne à Francisco oculos in fœminas inter loquendum minime intendi fama vulgasset? Famâ verò longè majorem hominis virtutem esse eo die suspexit. Etenim temperatam gravitate, ac modestiâ comitatem ità ab eo servari miratus est, ut oculos toto eo temporis tractu in Matronam, ne obiter quidem, eum conjeciisse observarit.

Præter hæc, quemadmodùm ex animi demissione nunquam Sacros Homines; ità ex Pudicitiæ studio nunquàm fœminas, quamvis infantiam vix egressas, ad manuum oscula admisit. Ubi verò benè iisdem ægrotantibus apprecandum esset, eas non manu, sed S. Cyri lipsanothecâ adhibitâ tangere consueverat; ne

ullo

Digitized by Google

ullo ſcilicet Modeſtiæ ſuæ detrimento in alienum intenderet emolumentum.

CAPUT VIII.

Obedientia.

NEc verò, præcipuum optimi Parentis Ignatii Filiorum decus, Obedientia in non degeneri ejus ſoboleFranciſco minùs ſplendidè enituit. Ex quo enim dato Societati nomine ſuæ ſe libertate, atque arbitrio ſponte abdicavit, Majorum nutu, quos Dei loco venerabatur, fingendum ſe ex toto dedit. Nec ullum tàm arduum imperium fuit, cui non ex animo obtemperarit. Ingentes exequendarum rerum difficultates, vel Dei Gloriam, ut à pauculis nequiter fit, ad mandata ſubterfugienda prætexere, alienum omninò tùm ab ejus animi candore fuit, tùm ab eâ, quàm tenaciter hauſerat, perſuaſione, optimum ſcilicèt factu id eſſe, quod faciendum Divinæ voluntatis Interpretes Moderatores decreviſſent. Hinc rebus omnibus poſthabitis ad ejus, qui imperâſſet, arbitrium, animum, atque operam extemplò attemperare ſuum eſſe reputabat. Profectò quanta ipſe ſedulitate lucrandis Deo perditorum hominum animis inhiaret, clariùs jàm ex memoratis ſuperſtùs eſt, quàm ut novâ enarratione opus habeat. Id tamen ſtudii Moderatorum juſſu intermittere, vel prorsùs omittere adeò nil penſi habuit, ut eorum imperia cunctatione aliqua differre, aut pro libito interpretari maximæ ſibi religioni duceret.

Non unum porrò tantæ ejus Obedientiæ periculum ab iiſdem factum. Capreas, in Inſulam ad meridiem Neapoli obverſam, pii operis causâ evocatus quò minus contenderet, oppidò majoris operæ negotiis præpediri ſe Neapoli cauſatus jam erat. Verùm cum petenti, noſtri Ordinis amantiſſimo homini, gerendum in ea re morem eſſe Domus Profeſſorum Præpoſitus arbitraretur, eam ipſi profectionem ſuo nomine indici ab eodem, qui petierat, juſſit. Capreas verò Moderatoris ſui auctoritate ſe deſtinari ab hoc vix audit Franciſcus; cum aliarum rerum cogitatione omni ſtatim depoſitâ; *Nulla in me mora eſt*, repoſuit, *In promptu me eſt, qui Capreas me vehat, phaſelus?* Ita majoris, ut

ipſe

ipse rebatur, momenti curas longè minori negotio Moderatori obsecuturus posthabuit.

Præclarius fortasse æquis ejus Obedientiæ æstimatoribus hoc aliud fuerit. Aberat Neapoli sacrarum Expeditionum causâ Franciscus, cum Neapolitano Viro Patricio ex pessimo viscerum ulcere proximam opperienti mortem ab amicis significatum, convalescere eum optimè posse, si Franciſci adventus ejus lethum præverteret. Ipsum S. Cyri reliquiis, atque ope fretum desperatis ægrorum rebus præsenti præsidio sæpè fuisse. Respirare ad oblatam vitæ spem Patricius visus; ac licèt damnatis jam Medicæ Artis præsidiis, pro indita sibi prudentiæ ratione, animi sui rebus maturè consuluisset; extremum tamen hoc veluti demissum è Cœlo amuletum experiri ut sibi liceret, à nostris Moderatoribus per eos, qui sibi frequentes aderant, nobiles viros impensè flagitavit. Datæ igitur ab his tabellario confestim ad Franciſcum literæ, quæ eum Neapolim curriculò revocarent. His verò vix ipse acceptis, ut parendi studium rebus omnibus anteferret, è medio optimè inchoatæ Missionis cursu Neapolim nullâ interpositâ morâ regreditur. Auditoque ob dubiam privatæ valetudinis spem publici animorum emolumenti evidens lucrum intermittendum à se fuisse; nullâ molesti animi significatione ægrum Patricium citò adit: biduoque apud eum, alterius Homologetæ operâ jam uti solitum, otiosus agere pacatissimè sustinet; non alio ejus moræ fructu, nisi quod æger protrahendæ diutiùs vitæ abjectâ spe, ut Sacro se Eucharistiæ Viatico ad extremum iter pararet, Franciſci manu id sibi porrigi voluit. Decessisse porrò hunc ut ipse vidit, satisfactum jam Moderatorum voluntati arbitratus, ab eo otio ad longè gratissima suæ Missionis negotia sese recepit.

Huic suppar omninò in aliâ Missione ex parendi studio intermittendâ alacritas; quanquàm sui commodi neglectu illud effecerit, ut diuturnioris inediæ patientiâ & imperata exequi, & ad inchoatum munus regredi eodem die potuerit. Ad S. Cypriani Pagum in Aversana Diœcesi piam Expeditionem obeunti à Provinciæ Præfecto missæ fuere olim literæ, quibus ad nobilis Virginis in Domnæ Reginæ, ut Neapoli dicunt, Asceterio gravitèr laborantis audiendam confessionem revocabatur. Quò minus sub ipsum, ut volebat, vesperum concione vix absolutâ dictis pareret, obstitere Socii, sudore adhuc madido cor-

Digitized by Google

corpori nocturni itineris incommoda inculcantes : poſſe abſque ullo Caritatis, atque Obedientiæ neglectu ſub poſteræ lucis auroram eam profectionem differri : preces etiam, ne ſecùs, quàm cenſerent, faceret, addidere. Nec verò ex Sociorum præſcripto rem agere detrectans Franciſcus, Neapolim antelucanus ſe contulit, decumbenti Aſcetriæ aures præbuit : poſt quæ, ne momento quidem quieti dato, ſuæ ſe ſtationi celeriter adeò reſtituit, ut veſpertinæ Concioni neminem ſuffici paſſus, conſuetum laborem ſub Solis occaſum eâdem, quâ anteà, alacritate, ſuſceperit. Quod quidem eo mirabiliùs Sociis accidit, quod inſtituti à Franciſco itineris rationem à Rhedario percontati, candidè hunc reſpondentem audierint ; vacuâ ſe rhedâ Franciſci iter pedibus inſtituentis veſtigiis inſtitiſſe : Ab hoc partim Concionibus ad obvios habendis, partim percurrendo precatorio Deiparæ ſerto iter Neapolim versùs confectum. Moratum eum quidem in Aſceterio fuiſſe ; at vix inde egreſſum, nullâ cibi, potuſve curâ, omnes ad citum reditum cogitationes traduxiſſe : ipſum proinde benè longâ ambulatione famem obſonaſſe quidem ; at nec panis, nec alterius cujuslibet obſonii fruſtulo eam toto die ſedaſſe. Quæ ſanè audita tùm incredibilis ejus animi magnitudinis, tùm reparatarum à Deo medios inter labores peculiari curâ ejus virium fidem fecere.

At verò, ut id quod res eſt eloquar, illuſtria minùs, non tamen his minora ea fuere, quæ impigræ ejus Obedientiæ quotidiana Domi eluxere documenta. Non enim ullis virtutem hanc circumſcripſit cancellis, ſed quicquid adornaret, aut ageret, Moderatorum vetito, ſeù juſſu denunciato, ad imperata facienda animum extemplò convertere non dubitabat. Immensâ diurni laboris mole fatigatus ſæpè ad perſolvendum Divinæ Pſalmodiæ penſum ſe in Cubiculum receperat. At Superioris nomine vix audito, elatis in Cœlum oculis, ſive ad novas vires petendas, ſive ad quas haberet Deo offerendas, ſacrum illud opus relinquere, atque ad illud alacer ſe accingere, quod ex evocantium arbitrio præſtandum ſibi eſſe intelligeret. Exploratum id Noſtratibus adeò erat, ut ſicubi Franciſcum à quopiam accerſitum confeſtim accurrere Domeſtici Janitores cuperent, his callidè verbis uti ſolerent : *Eſt, qui ut te Domi habeat, Præpoſitum ſupplex adiit* : Vel etiam : *Pergratum Præpoſito eſt te illùc pergere*. Ad hæc quippe dicta rebus omnibus intermiſſis,

Digitized by Google

sis, nullo temporis diurni, nocturnive; nullo sereni, pluviive Cœli discrimine, impatientem moræ ad Januam Franciscum descendere constantissimè viderant, eòque confestim accurrere, quò Moderatorum sponte se mitti intellexissent.

Et sanè magnum, ac Majestatis plenum Superioris ei nomen ipsum videbatur. Hinc nec ut sedens eum alloqueretur, neque ut caput coram eo tegeret, adduci unquàm potuit. Hinc etiam ab eo accersitus perindè advolabat, ac si Dei ipsius voce, atque imperio accerseretur. Hinc denique ejus dictis, Divinis veluti responsis, interpretatione omni rejectâ, examussim auscultabat. Fœminam è meretricio olim abduxerat: hanc ad perstandum in suscepto melioris vitæ proposito pro more adhortabatur; simulque tutum aliquod, quò ea se reciperet, Asylum curare jam cœperat; cum ad eum missus in aurem insusurrat Nuncius, Superiorem in Professorum Domûs Ædem ejus reditum præstolari. Eripi sibi iis vocibus opimam è manibus prædam probè vidit Franciscus: non tanti tamen id esse apud se statuit, ut differendæ ad breve tempus domuitioni justam causam præberet. Tanti proinde momenti re actutàm relictâ, eò se maturatò ad imperata accipienda contulit, quò tanti nominis Auctoritate vocari sese admonitus fuit. Devexâ præterea jam ætate, ac valetudine enixè à Præposito petierat, ut, ne turpi otio contabesceret, ad menstruam Sacram Synaxim populos evocare sibi saltem liceret. Ut liceret, hac moderatione impetravit, modò se intra Neapolitanæ Civitatis limites contineret. Per Urbem id præstare ad extremum usque perrexit: ab adjunctis verò Civitati Suburbiis ità sedulò abstinuit, ut iis vix conspectis Sacerdoti Socio, desumptâ à Forensibus rebus metaphorâ, lepidè diceret: *Tuâ nunc Concione opus est: Mihi, quò ne hiscere quidem hìc audeam, Prætoris edicto liberæ custodiæ cujusdam loco permissa duntaxàt Civitas est.*

Ubi verò in iis, quæ egisset, Moderatorum, non dico voluntati contraivisse, sed eorum cogitationibus minùs congruum aliquid fortè gessisse, offensosque idcircò eos sibi esse admoneretur; se statim vitli, atque inscitiæ insimulato, ad omnia demissi animi officia descendere, veniam supplex petere, pœnam etiam suâ, ut ajebat, noxâ dignam exposcere: nec planè acquiescere, donec è conciliatis eorum animis obliteratam offensam omnem jam esse sensisset. Mirari id in eo è tot Franciscì Mode-

Digitized by Google

ratoribus uni præcipuè contigit, cui cum ipſum extra Neapolim ſui muneris causâ olim pernoctaſſe minùs gratum accidiſſet, ſe quidem non hominis factum facultate jam ſibi generatim traditâ utentis reprehendere, ſed boni id conſulere aliis de cauſis haud poſſe dictitabat. Eum verò ità Domi muſſitare vix Franciſco ſuboluit; cum ejus pedibus advolutus, quòd mœroris ac moleſtiæ nocturna ea mora ei cauſam præbuerit peſſimè à ſe factum confirmat; impune ſe abire haud æquum eſſe; religioſæ proinde ſeveritatis in ſe exemplum aliquod ut pro libito edat, impensè precatur. Plura verò in ſe dicere acerbiùs aggredientem amplexatus ex animo Moderator ſurgere ſtatim juſſit: eoque obſequio delinitus agnoſcere tandem potuit, tùm quanti apud ipſum Moderatorum nomen, ac Dignitas eſſet; tùm altiori eum ductu ad agendum impelli, quàm veſtigare, ac percipere humi repens humanæ Prudentiæ ſagacitas valeat.

Non ſolis verò primi veluti ſubſellii Moderatoribus, verùm & iis obtemperare, & obſequi in more habuit, quibus vel pro domeſtici muneris ratione, vel pro demandatâ iiſdem ſuæ valetudinis curâ auctoritatis aliquid ineſſe arbitraretur: Laici, an Sacerdotes forent; prudenter imperarent, an ſecus, haud unquàm diſcuſſo. Imò ut Obedientiæ animi demiſſionem eâdem operâ adjungeret, ad auſcultandum domeſticis adjutoribus proclivior propemodùm eſſe videbatur. Tantæ porrò virtutis Lydius veluti lapis Noſtratis cujuſdam Coqui petulans importunitas fuit. Pauperibus ad Januam opperientibus ſtatim à Menſa collectas è Culina ſportulas, ut in loco jam dixi, ſemicinthio tectus afferre quotidiè conſueverat Franciſcus. Cum vano leviſſimæ cauſæ obtentu mane quodam eum pio huic operi ſe in poſterùm ingerere inconſideratè, inurbanèque Coquus prohibuit; nec nimiæ in mendicum quendam propenſionis ipſum inſimulare impudentiſſimè dubitavit. Pauperrimum ſcilicet Sacerdotem illum indicare voluit, cui cum nec quotidiano celebrati Sacri ſtipendio, nec ſtipe oſtiatim emendicatâ ex diuturnâ ægritudine vivere jam liceret, impenſiùs paulò ex demenſo ſuo proſpicere ipſe ſatagebat. At verò aſperè adeò, imperioſèque ſecum agentem ne verbo quidem repreſſit; omnique tùm ſui purgandi, tùm abrogandi interdicti cogitatione penitùs omiſsâ, tacitus ita homini parendum cenſuit, ut in Culinam à Menſâ ne pedem quidem poſtmodùm unquàm intulerit. Nec abſimili virtu-

Digitized by Google

te valetudinarius Senex Adjutori Socio sibi addito subesse, ejusque dictis audiens ad unguem esse sedulò studuit. Eo siquidem ad nostri Tyrocinii prædium, quod in Puteolano agro est, salubrioris Cœli causâ misso, domestico Adjutori ejus Socio indixerant Moderatores, ut homini ætate, ac viribus affecto omni ope prospiceret. Jam hic ab ægro post traductam frequentibus suspiriis noctem maturè nimis stratum manè relinqui, non levi incommodo esse arbitratus, prosilire è lectulo eum vetuit, donec evigilandum esse statâ ipse horâ monuisset; *Idque*, eodem sermonis impetu adjecit, *pro imperio à me dictum puta*: *Auctoritas quippe omnis hìc penès me est*. Laico auctoritatem sibi vindicanti parendum omninò esse statuit Franciscus; atque ex eo tempore à cubitu somnum sibi, licèt incassum, conciliare, tussim non sine insomniæ incremento, ac pectoris molestiâ studiosè comprimere, dolere à decubitu, angique magis; nec tamen nisi Laico præmonente manè surgere. Nec duro illi edicto suâ ipse sponte se subtraxisset, nisi temporis tractu deterius morbo remedium adhibitum à se fuisse agnoscens Laicus, priori imperio revocato, cubare ipsum, aut surgere pro suo ipsius arbitrio permisisset.

Nec leviori incommodo eidem aliud Superioris cujusdam imperium stetit. Convaluisse ipsum ita è Pleuritide nunciaverant Medici, ut languidas tamen vires quotidianus febriculæ accessus sensim accideret. Porrò nil contra ejus valetudinem facturum se censuit Superior, si ad ægrum quendam ejus alloquii impensè cupidum extra Domum eum mitteret. Ad hunc igitur nonnisi curru vectum eum adire jussit, horâ etiam designatâ, quâ hominem, qui eum deduceret, adfore significavit. Accurrere statâ horâ ad Januam, mandata ut faceſſeret, non detrectavit Franciscus: nec, quamvis, rigidæ hiemi accedentis eodem tempore febriculæ se rigor adjungeret, opperiri inibi plures horas designatum viæ comitem, qui se ad ægrum deduceret, æger ipse, ac totis ut erat artubus contremiscens, Obedientiæ magis, quàm urgentis molestiæ memor, recusavit.

Delectari scilicet hac præcipuè virtute Deum jam indè à Religiosæ Vitæ initio sibi suaserat, aliisque pro virili suadere assiduè curaverat, Perstandum sibi idcircò ad extremum usque spiritum in Majorum obsequio duxit: eòque magis, quòd quæ Cœlesti admonitu piæ cuidam Virgini olim ipse imperasset, ad

Digitized by Google

nobilitandam inſigni prodigio ejus Obedientiam egregiè conduxiſſe didiciſſet. In S. Mariæ Ægyptiacæ, quam *Majorem* Neapoli appellant, Aſceterio id accidit. Ibi inter plures, quæ ipſo Duce, vitæque Magiſtro utebantur, cum domeſticæ rei adjutrix quædam eſſet, Magdalena à Jeſu nomine; ab ejus præceptionibus audiendis tùm impoſitis ſibi laboribus, tùm conditionis ſuæ humilitate arceri ſe hæc anxiè dolebat. Ac brevi ſpatio ejus alloquendi opportunitatem olim nacta, multa eſſe conqueſta eſt, de quibus eum conſulere vehementer cuperet; quæ tamen confluentium ad eum Matrum frequentia ne exponere quidem ſineret. *Scriberet igitur, quæ eloqui non poſſet*, huic ſtatim repoſuit Franciſcus: *Quæ enim in rem eſſent conſilia, ſe pari ratione per literas ſignificaturum*. Subridens hìc Mulier; *Hui! à me literas, quarum ſcilicet prima elementa vix exaro? Alienam verò in id operam apage ut petam. Ulla-ne animi mei latebras hìc ut penetret?* At verò neque his fœminæ verbis de ſententia dimotus Franciſcus: *Ne plura*, ait, *fac ita ut juſſi; animi tui ſenſa tuis mihi literis poſthac ſignificabis*. Hoc hominis imperio freta ad ſcribendum ſe accinxit mulier, conjugandarumque licet ſyllabarum omninò ignara; quæ tamen in animo haberet ſcribere aggreſſa, calamo exprimere ſatis potuit. Felicique primæ illius epiſtolæ ſucceſſu lætior alias ſuper alias ad Franciſcum literas dare exindè perrexit. A Franciſci verò deceſſu, præter alias ſummæ fidei Matres admirabilis prodigii teſtes, ut in Auctoris laudem beneficium ipſum, ut par erat, verteret, Franciſci imperio ipſam hanc ſcribendi peritiam ſeſe acceptam referre ſcripto ipſa à ſe teſtimonio evidentiſſimè comprobavit.

CAPUT IX.

Severa Societatis Conſtitutionum, ac Domeſticarum Legum Cuſtodia.

EXactæ, quam hactenùs memoravi, Votorum obſervantiæ cuſtodiendarum Societatis Sanctionum, ac domeſticæ Diſciplinæ amorem æquè, niſi etiam longè admirabiliùs, addere eſt viſus Franciſcus. Quemadmodùm enim in minimarum non minus,

Digitized by Google

nùs, quàm in magnarum rerum artificio Naturæ ingenium elucere prædicant Philosophi; ita maximis semper curis intentam ejus aciem ne ad minimum quidem Regularis Disciplinæ apicem unquàm caligasse, sed omnia potiùs ad tot minutarum legum normam diligentissimè exegisse, absolutæ numeris omnibus Virtutis argumentum fuisse inficiari audeat nemo. Et certè, qui ejus vitam, ac mores longâ consuetudine introspicere penitùs potuere Nostrates nec pauci, nec imprudentes rerum æstimatores, pro testimonio dicere veriti minimè sunt: *Nullius domesticæ Legis neglectum se unquàm in ipso observasse; imò id earum studium mirari se diù in ejus vita debuisse, cui, quæ in Nostris viget Tyronibus, accurata sedulitas jurè decederet.* Testatus id præter alios est is, quem honoris gratiâ post felicem decessum nominare jam possum, P. Marcus Martorelli, Innocentiæ, ac Religiosæ Vitæ suppar Francisco exemplum, rerumque à se gestarum historiâ & ipse dignissimus. Qui etiam addidit, plurima de suo nostris insuper ritibus addidisse Franciscum, quæ & ad eos firmiùs tuendos apprimè facerent, eademque florere in eo integerrimum nostri Instituti amorem optimè prodesent. Neque enim eum ad sacras extra Neapolim Expeditiones egressum, neque regressum inde unquàm fuisse, quin, benè sibi ut precaretur, Moderatorem suum positis humi genibus flagitasset. Prætereà domesticis quibusdam Legibus generatim se exsolvi, aut communibus eximi oneribus constanter eum recusasse, quamvis id ingentium ejus laborum causâ Moderatores ipsi maximè voluissent. Quæ sanè omnia nostrarum Legum ad minutissima quæque descendentium multitudinem expendenti videri eò mirabiliora facilè poterunt, quò minusculis rebus exequendis animum intendere difficiliùs cos cernimus, quos assiduus ingentium negotiorum labor, gravíorumque cogitationum immensa moles si minùs obruit, certè hebetat.

Jam ut incredibilem hanc ejus in Legibus, ac domesticis Ritibus retinendis solertiam summatim delibem; destinato manè ad orandum tempori ne momentum quidem unquàm detrahi est passus. Operatum ad Aras à gratiis Deo prolixè agendis nulla occupationum crebritas avocavit. Ubi agendum ex more aliquid Campani æris pulsu significari primùm audisset, negotium omne abscindère, quò primus accurreret. Domesticorum prætereà onerum haud ullum defugere, imò receptum religiosè

Digitized by Google

sè apud nos ſtatis diebus communi Menſæ miniſtrandi morem diligenter adeò à ſe ſervatum voluit, ut Domo ſi fortè abeſſet, ad id muneris præſtandum reditum impigrè maturaret. Perindè etenim, ac ſi temporum articulos omnes otiosè dimenſus inter ipſa negotia jam fuiſſet, regrediendum jam Domum eſſe Socio innuebat; *Ad Menſam enim*, ajebat, *miniſtrandi inſtat jam hora*. Maturè verò tempus librantis, non præpropere feſtinantis eam reditionem eſſe, contrà quàm opinarentur quandoque Socii, comprobabat eventus. Sive autem nimio imbre, lutove per hiemem veſtis, ſive multo per æſtatem ſudore madeſceret corpus, ſtatim à reditu ad inferendas in Triclinium dapes, earumque reliquias in culinam referendas rectâ contendere; nec eo labore levatum ſe ullius operâ pati. Ubi enim alios ejus vice ſuccedere ei miniſterio jam velle animadverteret, hos ipſe conſuetis ſalibus, ac jocis ſeriò prohibere: ſe ſcilicet cæteris robuſtiorem; ſe ad id muneris præ aliis idoneum; ſe Domi nonniſi eâ exercitatione frugi eſſe poſſe dictitabat: domeſticæ in hac re conſuetudinis ità tenax, ut ejus ſervandæ plurimas ad manum ſemper haberet cauſas, detrectandæ verò penitùs nullam.

Jam verò ſedulum hoc, quod in eo emicuit, domeſticæ Diſciplinæ ſtudium eam ſubindè Moderatoribus ingeſſit fiduciam, ut nullâ innumerabilium ejus laborum ratione habitâ novum aliquid Domi agendum ipſi præ cæteris liberiùs imponerent: contra verò in minuendis ejus incommodis paulò negligentiores eſſe nil vererentur. Promptum nimirùm, atque ad parendum hilarem; elinguem verò, ac mutum eum ad querendum eſſe multiplici experimento didicerant. Quotidianum ei penſum olim eſt attributum, ut matutinæ Meditationis materiam Domeſticorum Adjutorum cœtui pridie de more prælegeret. In id ex præſcripto accurandum mirâ diligentiâ incubuit: Conſuetis tamen, quas legit, Ludovici de Ponte Meditationibus ne verbum quidem de ſuo addere unquàm voluit, uberiorem aliquam earum explicationem Laicis nequicquàm optantibus; ne egregio nimirùm ejus Libri Auctori pietate, aut doctrinâ præſtare ipſe aliquatenùs videretur. Hanc verò legendi curam minus occupato alicui demandari haud unquàm animum induxit ut peteret: nec, niſi pluribus poſt annis, diſtenti laboribus hominis miſericordiâ ſubrogandum ei muneri Sacerdotem alium ſua ſponte

Mo-

Digitized by Google

Moderatores censuere. Eum præterea diù, noctùque ad procurandam proximorum salutem ab aliis super alios expoſci notius jam erat, quàm ut diligenti aliquâ animadverſione indigeret. De certo tamen ei Socio decernendo, quò expeditiùs præſto accerſentibus esse posset, longo annorum spatio, Domui qui præerant, ne cogitarunt quidem. Quandiù tamen ab ipsis hac in re est indormitum, Franciſco per animi modeſtiam excitare non auſo, tandiù novus hàc illàc per amplæ cæteroqui Domus ambulacra curſitandi labor ſubeundus ei fuit, ut, quonam potiſſimum comite prodeundum ſibi ad negotia foret, ab invento alicubi Adminiſtro Domus audiret.

Verùm enimverò, ut ſua nonnullis temerè præjudicata opinio certiſſimæ ſententiæ loco eſt; nec evidentibus hiſce indiciis de eximiâ Franciſci virtute ſatis conſtare Moderatorum nonnullis eſt viſum. Quorum duo præcipuè durioribus eam experimentis explorandam esse arbitrati, & ſuâ, & communi omnium opinione oppidò majorem eam esse fateri tandem debuere. Atque alter quidem eâ ex parte aggredi Franciſcum voluit, unde gravior ejus ex jactura dolor exiſteret. Cumque contento eum ſtudio æternis hominum commodis vehementiſſimè inhiare perſpiceret; reprimendum nimium hunc ardorem eſse cenſuit, eumque arctiſſimis proindè limitibus circumſcriptum præter morem voluit. Prodire ipſum ad quæcunque Pietatis munia, niſi ſe priùs adito, ac veniâ diſertiſſimis verbis impetratâ, omninò vetuit. Nec quicquam de imperatæ ceſſationis ſeveritate remittens, concionandi, aut pii cujuſpiam muneris copia ut ſibi fieret, petentem Franciſcum modò apertè repellere, modò in aliud tempus differre, modò ad opus miſsum mutato in diverſum animo ab incœpto retrahere. Porrò moroſo huic, ac difficili Præpoſiti ingenio, non ſecus ac Pædagogo Puer, ita ſe attemperavit Franciſcus, ut ejus nutu ſe tam arctè regi ne verbo quidem, aut moleſti animi ſignificatione aliquâ conqueſtus ſit unquàm. Eorum verò, qui ſe ad ægros, ad Aſceteria, ad vinctos in Cuſtodiis penè quotidiè accerſitum aderant, blandè compoſito verborum lenocinio, animos ab ea petitione arcere ita ſatagebat, ut ejus ceſſationis cauſis aliis ſuper alias ſummâ induſtriâ adductis, nunquàm id, quod res erat, proderet; ne parum prudentis interdicti invidia in Præpoſitum redundaret. Quoniam verò nova, ac deerrantia à conſueto conſilia latere diù nequeunt; vix

in-

Digitized by Google

intermiſſi à Franciſco laboris vulgata per Urbem eſt cauſa; cum Moderatoribus conventis de id genus edicto, utpotè Reipublicæ, ac bonis civium moribus pernicioſo, quantocyùs abrogando benè animati in noſtrum Ordinem plurimi vehementiùs agere pertenderunt. Haud æquum nimirùm eſse obtendentes perſpectæ jam ſatis omnibus Sanctimoniæ privatum experimentum publicis acriter expoſtulantium hominum commodis diutiùs anteferre. Vicitque adeò gravium virorum in eam rem ſententia, ut, priori imperio revocato, priſtinæ agendi libertati reſtituendum tandem Franciſcum eſse ſuo Præpoſitus ipſe judicio lubens annuerit.

At verò præclara hæc ipſa de Franciſci virtute judicia ad eum duriùs tractandum Præpoſitum alterum alio tempore incitarunt. Errore hic hominum ingentem hanc ejus virtutis exiſtimationem in Urbe, ac Regni Provinciis invaluiſſe ſuſpicabatur. Cæterùm nil in ipſo peculiare cerni autumabat, quo ſuprà communem aliorum probitatem ejus vitæ Sanctitas aſsurgeret. Quo circà ejus mores non tàm experiri, quàm contemnere toto, quo Magiſtratum tenuit, triennio eſt viſus. Hinc ſevero cum ſupercilio ad ſe accedentem excipere, inexorabilem in minimis etiam reculis ei ſe præbere, conſiliis meditatè obſiſtere, nec verborum in eum aſperitate multoties temperare. Verùm ut his ad Franciſci Sanctitatem altiùs provehendam, ita iiſdem ad Præpoſiti mentem inſito errore liberandam uſus eſt Deus. Ea enim tolerantiæ, demiſſionis, modeſtiæ, cæterarumque virtutum in homine à ſe aſperè habito ſuſpexit Præpoſitus exempla, ut rerum evidentiâ palinodiam canere coactus, ſe in ejus Sanctimoniâ non magni faciendâ deceptum diù fuiſſe, non verò alios in eâ laudibus exornandâ temerè egiſſe poſtmodum prædicarit.

CAPUT X.

Orandi Studium, & Aſſiduitas.

NOcturnum-ne modo, an diurnum Franciſci opus enarrandum aggrediar, animi pendeo. Et diurnum quidem videri ex eo poterit, quòd innumeris, quotidianiſque negotiorum turbis quamvis interdiù preſsus, nunquàm tamen adeò iis cir-

Digitized by Google

circumsideri se ipse permiserit, ut animum eorum causâ à Deo abstraheret. Profectò ita se rebus commodare jam insueverat, ut irretortâ in Divinam Lucem mentis acie in Cœlestium rerum contemplatione inter ipsas curas immotum eum persistere injectis in hominem oculis de facili quisque conjiceret. Verùm id non satis homini ad Evangelicæ Perfectionis fastigium magnis, ut ajunt, itineribus contendenti. Præter enim alia, quæ Cœlestium rerum contemplationi tribuere consueverat tempora; certas, statasque piæ Meditationi, discutiendisque ad nostrarum Legum normam animi labeculis, sepositas quotidiè voluit horas, quas nulla ei occupatio unquam eriperet. Ratum id ei, fixumque ita semper fuit, ut hunc in se ardorem nullo unquam vitæ spatio refrixisse expertus & ipse fuerit: suoque exemplo meticulosi cujusdam è Nostris animum ad Apostolicum Missionum munus hilarè suspiciendum inflammarit. Impelli se ad id vitæ genus, atque allici candidè hic fatebatur. Verùm Divinæ familiaritatis amittendæ formidine tantundem se ab eo retrahi ajebat; neque enim hominem hisce curis addictum assiduè cum cœlestis versari posse, quin eorum morbis paulatim se inficì, sensimque splendido Divini honoris obtentu langueſcere in se orandi studium sentiat. Consultus verò hac super re ab ipso jam senior Franciscus; *Nil esse*, reposuit, *cur invitanti Deo obsequi recusaret. Se quidem innumeris Missionum curis tot annos distentum, nec matutinæ Meditationis horam, nec piam ullam exercitationem nostris præscriptam Legibus unquam intermisisse.*

Jam verò cum suaviter eum ita feriari diurni labores ut plurimùm minimè sinerent; in nocturnas vigilias optatissimam hanc alloquendi Numinis voluptatem à reliquis curis solutior differebat. Ac Domi id quidem, tùm à pluribus, quibus ejus cubiculum prætergredi fortè obtigit, exaudito inde piorum gemituum sono conjectum; tùm non semel à nostris nocturnis, ut dicimus, Janitoribus observatum. Etenim hi ad improvisas nostram poscentium operam petitiones de more cum excubent; aliis quidem, atque aliis nocturnæ quietis horis, seu ægrorum petentium nomine, seu Moderatorum mittentium mandato accersitum à se Franciscum fuisse testati sunt. At nunquam ferè ad ipsum adiisse, quin positis in medio cubiculi genibus, nullique lunixum subsellio effusum in preces eum de-

Digitized by Google

prehenderint; ex quo animi Divino alloquio reficiendi, quàm levandi neceſſariâ quiete corporis ex inſtituto memorem magis eum noctu eſſe exiſtimarunt. In quam ſententiam non ex vano eos abiiſſe ex auditis à ſe collegit deinde noſtri olim Tyrocinii Rector Carolus Veſpoli. Cum enim annui Spiritualium Exercitiorum ſeceſſus causâ in eam ſeſe Probationis Domum abdidiſſet Franciſcus, ne ullis eo temporis ſpatio à diurnâ contemplatione rerum curis avocaretur; concubiæ nihilominùs noctis horas ſuſpiriis, ac gemitibus non ſecus ab ipſo traduci è proximo cubiculo percepit Rector, ac ſi rebus in proximorum commodum gerendis ſtrenuâ interdiù operâ de more navatâ in nocturni temporis ſpatia conſultò hoc diſtuliſſet. Prochytæ etiam, in amœniſſimâ Puteolani ſinus Inſulâ (quò ad Virginis Deiparæ Natalem diem majori pietatis ſenſu celebrandum novendialibus Concionibus popularium animos paratum contendere ineunte Septembri bis debuit) animadverſum à nonnullis eſt, ipſum aſſiduis diei laboribus fatigatum licèt, in apertum ſolarium noctu egredi conſueviſſe, ibique ſtantem paſſis brachiis, oculiſque in patens Cœlum erectis multas orando horas ſuaviſſimè exegiſſe.

Ab hoc verò nocturnarum precum more ne in ſummis quidem Sacrarum Expeditionum laboribus eum quicquam deſciviſſe, quàm evidens rem explorantibus, tàm ejuſdem difficultatem humanarum virium trutinâ expendentibus omninò mirabile accidit. Huic ſanè ſtudio per id tempus nedum deeſſe, verùm etiam non ſolito impenſiùs incumbere nefas ipſe ducebat. Incaſſum quippè cum hominibus de eorum reconciliatione agi non exorato priùs multis precibus Numine arbitrabatur. Et verò Sacræ Contemplationis diligentiùs eum per ejuſmodi tempora ſatagere ſuis haurire oculis potuit quidam in Miſſionis Socium fortè adſcitus ſuæ Sodalitatis Alumnus. Huic ipſe, ſub proximæ lucis initium magni momenti negotio daturus operam, ut certâ quâdam ante auroram horâ excitatum ſe è ſomno accederet, ſub veſperum ſolerter indixerat. Nimiâ verò parendi diligentiâ imperatum opus pluribus hic horis ex errore prævertit: non pœnitendo tamen errore lapſum ſe eâ nocte fuiſſe gratulatus ſibi deindè eſt. Non enim cubantem, ut rebatur, ſed poſitis humi genibus pias reſolutum in preces, vultuque lumine circumfuſo Franciſcum offendit. Deprehendi quidem ita ſe

minus

Digitized by Google

minus ei gratum accidisse hic postea retulit: vultu tamen ad risum composito nonnisi hæc placidè interfatum: *In dimetiendis hujusce noctis spatiis hallucinatum te esse video. Agesis, in tuam Conclave jam redi, meque solùm hìc agere actatùm sine.*

Hæc ipse noctu, utpotè ab avocamentis solutior, atque ad evolandum animo ad Deum longè expeditior. At non idcircò in eodem hoc studio per diem segnior, quantumcunque ei gerendarum rerum conditio otii suppeditaret, id omne in Divinarum rerum contemplatione, & in suavissimis cum Deo colloquiis impendi ab eo cerneres. Iter ipsum, maritimum, seù terrestre susciperet, si à concionandi, vel rudium instituendorum labore vacuum esset, dulcissimo huic otio dicabat. Extat quæ adhuc non illepida hac in re grandævi quidem, sed Cœlestis hujusmodi Artis insciti Nautæ memoria. Hic è Massæ Lubrensis; ubi fortè degebat, litore Capreas, in vicinam Insulam, Divini honoris causâ contendentem lembo trajicere Franciscum debuit; cùm illum, viæ tædium rerum Cœlestium piâ meditatione de more fallentem, in Pietatis ac Religionis plenas voces, ac gemitus erumpere ex intervallo audiit. Atque insuetum maris hominem à reciprocantium tunc fluctuum æstu sibi metuere interpretatus, ut animos ei adderet; *Agesis*, ajebat, *metu te libera, Pater*. Quæ sanè inculcare eò usque perrexit, donec quò interrupta illa suspiria tenderent à Franciscì Socio edoctus, ab interpellandis ejus precibus venerabundus abstinuit.

Longè verò præclarius, quod in ipso ad Sacram Synaxim indicandum vicinos Neapoli Pagos obequitante spectare aliis contigit. Ejus quippè vultum insolito fulgore circumfusum à se eâ occasione visum celeber Neapoli imaginum pictor, cognomento Vacchetta, bonâ fide retulit. Ac præter hunc in obvio sibi fortè Francisco se idem observasse, datis ad P. Nicolaum Canatum literis Idibus Maii anno à V. P. MDCCXXVIII. diserùs testatur Joseph Clarelli Casiniani Curio. In eâ enim viâ, quâ in Laborino agro à Sancti Elpidii Pago ad Casandrinum est iter, olim se Neapolim rerum suarum causâ pergentem in insidentem equo Franciscum, paucis antequam decederet annis, offendisse scribit. Ingentique adeò luce intermicare ejus vultum eo tempore visum, ut non sine sacro quodam animi horrore in hominem ipse oculos defigere valuerit. Imò à sensibus abalienatum adeò incessisse, ut sibi è proximo salutanti salutem nullam

Digitized by Google

reddiderit. E' qua re altiſſimam hominis contemplationem ſe conjeciſſe concludit, cui nimirùm ex eo mentis exceſſu ne ad ſolita quidem humanitatis officia deſcendere licuiſſet. Idem in Puteolano Agro ab Nicolao Veſpa obſervatum. In Phlegræis enim Campis ad nativi ſulphuris halitus captandos deambulantem olim nactus, altè adeò in Divinarum rerum contemplatione defixum deprehendit, ut ſe juxtà adeſſe conſopitis ſenſibus ipſum ne animadvertiſſe quidem miratus fuerit.

Jam verò tantam hanc, quæ vigere in ipſo viſa eſt, meditandi proclivitatem mihi attentiùs expendenti patere ſtatim videtur inexhauſta illà innumerabilium ejus in omni genere Concionum vena. Unde enim ipſe tàm multa, tàm varia, tàm eorum, ad quos diceret, captui accommodata, eodem ſæpè die depromere adeò de facili valuiſſet, niſi quæ ejus frontem ſpectabili luce quandoque, eadem & ejus mentem Cœleſti lumine Dei Sapientia conſtanter imbuiſſet? Certè nec multorum voluminum avidus ipſe unquam viſus: multoque minùs eorundem commodè pervolutandorum copiam ei frequentiſſimæ ſuſcepti muneris occupationes fecere. Non è remotis proindè rivulis, ſed ex ipſo Divinitatis Fonte, quam dicendo aliis abundè impertiit, doctrinam meditando propiùs ipſum hauſiſſe veriùs cenſeo. Quamvis autem de ſcripto ut plurimùm eum dicere conſueviſſe ſuperiùs commemorarim; nonnullaſque ejus Concionum ſchedulas à quibuſdàm ſervatas me vidiſſe meminerim: hæc ipſa tamen ſcriptio earum duntaxat rerum eſſe potuit, quas Deo Auctore, ac Magiſtro in Cœleſti illa Meditationum Schola didiciſſet, quaſque aptâ ipſe deinde methodo clariùs explicatas in aliorum commodum derivaret. Quam in ſententiam non ſola me opinio, & conjectura, ſed ipſius Franciſci verba præcipuè adducunt Sacerdoti cuidam Andriæ in Apulia olim dicta. Verni jejunii concionibus operam inibi dantem Sacerdos hic mane ex improviſo convenit. Ac flexis humi genibus ſcribentem nactus, Cur ita ageret? curioſiùs interrogavit. Cui ipſe; vacaſſe ſe matutinæ Meditationi reſpondit, ac Divinæ lucis Beneficio quædam edoctum, quæ diurnæ Concioni apprimè utilia fore cenſeret; eaque, ne è mente excideret, à ſe in eo chartæ præſegmine adnotari. E' qua reſponſione, longam quantumlibet Concionem, Deo tamen doctore elaboratam, brevium linearum ductu contineri benè poſſe intellexit Sacerdos.

Atque

Digitized by Google

Atque ut Cœlestium horum, quibus eum Deus imbuit, luminum specimen aliquod legenti gratum exhibeam; juvat hic ex ejus Concionibus unam in epitomen redactam afferre, quam ipse nimirùm in Missionibus agens, quartâ, quæ Natalem Christi diem præcedit, Dominicâ luce, desumptâ ex Evangelio dicendi materiâ, olim ad populum habuit.

Vox clamantis in Deserto. Lucæ 3. Talem nimirùm esse se prædicat Christi Prænuncius Magnus Baptista. Mirum hìc primò alicui accidet, quod se non merè *Loquentis*, sed *Clamantis* Vocem appellet. Quid enim is clamet, cui loqui sat est? Ita profectò, si valere aliquid voces sine clamore potuissent. Profectò consueta, ac domestica cum amicis colloquia non clamoribus, sed blandis ut plurimùm, ac temperatis vocibus transigi novimus. Contrà verò clamandi triplex se offert causa. Primò enim absentem aliquem nonnisi clamosa vox ad audiendum excitat. Præter hæc præsentem, at obtusarum aurium vitio laborantem, nisi magnâ vocis contentione alloquare, operam perdas. Denique aut injuriæ ultionem tacitus meditatur, aut ad vociferandum proclivis maximè est, qui eâ lacessitus irascitur. Jam verò cum impiis, atque omni scelere perditis capitibus Joanni res erat: Cum hominibus nempe jam à Deo longè gentium disjunctis, cum animis ad Divinas invitationes sponte obsurdescentibus, cum iis denique, qui Cœlestem iracundiam pessimo vivendi genere lacessiverant. Ita quippe dè id genus scelestis Sacras sæpè Literas loqui compertum est. Quî ergo clamoribus in hos Dei Vox Joannes abstineat? At nec abstinendum nobis esse jam video Evangelicæ Legis Concionatoribus. Quot enim passim offendimus à Deo abalienatos? Quot Dei vocibus non animum dico, sed ne aures quidem accommodantes? Quot Regi suo per summam dementiam rebelles? His ego, ne susceptì muneris partes turpiter deserere videar; his, inquam, ut resipiscant, ut audiant, ut ad obsequium redeant, irati Numinis ultionem, quâ possum vocis contentione, in præsentiâ denuncio. *Vox clamantis.*

In Deserto. Hoc æquè mirum: quod nempè in loco ab hominum frequentiâ, & consortione alieno clamare Vox ista velit. Verùm hæc clamantis Joannis felicitas fuit. Tot enim homines in eam, in qua degebat, solitudinem clamore adduxit suo, tot optimis informare, atque excolere moribus potuit, ut voce

tenùs

Digitized by Google

„ tenùs ſolitudo, re verâ florentiſſima veluti Urbs locus ille jam
„ eſſet. At, proh Deus Immortalis! quàm felix Joannes, tam
„ nos Chriſti Præcones infeliciſſimi ſumus. Sanctiſſimis quippe
„ Baptiſtæ vocibus factum, ut deſertus ager in Civitatem abi-
„ ret. Contrà in Civitatibus quidem loqui nos credimus; re ve-
„ rò penitiùs inſpectâ deſertis in locis nos eſſe non ſine animi mœ-
„ rore experimur. Ex ingenio-ne iſta me fingere arbitramini?
„ Benè eſt; Verùm age, quid vos Civitatem, quid deſertum lo-
„ cum eſſe putatis? Civitas profectò hominum ratione utentium,
„ quique optimis regantur Legibus, cœtus eſt. Contra verò con-
„ fragoſus aliquis, nec niſi agreſtibus pervius animantibus locus
„ deſertus is ab omnibus dicitur. Jam ſi Ædificia, Templa, Por-
„ ticus, Domos, Plateas, Forum inſpiciamus; abſolutæ nume-
„ ris omnibus Civitatis imaginem præferunt hæc omnia. At, Su-
„ peri veſtram fidem! Quota pars hìc homines ſunt? Hunc ad
„ voluptatis nomen adhinnire video: Indomitus hic onager eſt,
„ Homo non eſt. Fraudes hic tendit, ut incautos decipiat: non
„ ſanè hic homo, ſed Vulpes eſt. Alieno ſanguine famem hic pa-
„ ſcit ſuam: Lupum huuc veriùs, quam hominem dixerim. Hic
„ faſtu tumidus de incuſſo omnibus metu ſibi mirè plaudit; Leo-
„ nem hunc rectè nominaveris. Peſtifero hic verborum halitu
„ alios miſerè afflat. Ecquem hunc, niſi Draconem appelles? Odii
„ virus in hujus verbis latet: Vipera eſt. Addite his ſævitiâ Ti-
„ gres, rapacitate Accipitres, omnium vitiorum veneno Rubetas.
„ Humanum-ne in his aliquid eſt deprehendere, præter figuram?
„ In deſerta igitur loca Civitates omnes, Caſtella, Vicos, Op-
„ pida ex æquo abiiſſe ecquid inficiamini? Clamet proindè in hu-
„ juſcemodi deſerto Dei Vox, ac tandiù clamet, quouſque ferino
„ cultu & cupiditatibus abjectis humanos refloruiſſe mores, ac
„ reſtitutam ſe ſibi eſſe hæc Civitas gratuletur.

Hæc ejus Concionis ſumma, quæ grata adeò Patris Nicolai Canati ejus tùm Miſſionis Socii auribus accidit, ut avidiùs ſcitari à Franciſco voluerit, penès quem Sacrorum Interpretum expoſita in eam ſententiam ea Evangelii verba potiſſimùm legiſſet? At non aliud ſibi ab interrogato reponi audiit, niſi ad antelucanæ Meditationis fructum ea documenta pertinuiſſe.

Ex his porrò in aliorum ſalutem ubertim derivatis Chriſtianæ vitæ inſtitutionibus, quantò ſublimiora ex eâdem contemplationis ſcaturigine ad ſuam ipſe virtutem altiùs in diem pro-

vehen-

Digitized by Google

vehendam in se attraheret præcepta, conjicere de facili per se quisque jam potest. Mihi certè maximi in hoc studio progressus argumentum exhibuisse ex eo potissimùm ipse videtur, quod pejus semper de se existimare inde didicerit, atque è frequentatâ tàm sedulò orandi Palæstrâ impeditiorem sese discipulum abire judicarit. Familiariùs siquidem de se loquens, nonnisi hæc dictitare consueverat: *Deum rogate, ut orandi Artem tandem condiscam, atque animum hunc ad ipsum, ut par est, convertam.*

Nec verò minor præterea in vocalibus, ut loquimur, precibus persolvendis pietatis sensus, accuratáque animi intentio in eo apparuit. Divinæ Psalmodiæ pensum detecto capite, flexisque humi genibus quotidiè recitare in more habuit: contracta licèt è maximis laboribus virium lassitudo ad commodiorem corpori situm captandum invitaret. Idem in exposcenda Deiparæ, ac Cœlitum ope ab eo continenter præstitum. Verùm de hoc, uti & de insigni ejus inter sacrificandum ardore subnectendis proximè capitibus dicendum jam erit.

CAPUT XI.

In Deum Opt. Max. & Servatorem hominum Christum Dominum insignis Francisci Religio.

QUæ duo altissima, eademque præcipua sunt Christianæ Fidei Mysteria, Unius nempe Dei Natura discretis tribus Personis communis, Servatorisque hominum Christi Jesu Naturæ Humanæ intimè copulata Divinitas; singulari in hæc studio, cultuque continenter exardescere præterea contendit Franciscus. Et quidem in Augustam Trinitatem egregia adeò in eo Pietas eluxit, ut omnes, quos posset, ad eam puriùs semper, castiùsque colendam suis verbis inflammaret. Ad ipsos etiam S. Cyri opem expoſcentes ægros accitus, nonnisi adoratâ priùs conceptis precibus Trinitate medicas illas Cyri sui reliquias affectis eorum artubus adhibuit; ut illo velut è rivulo ad inexhaustum illum maximæ Benignitatis Fontem impensiùs amandum adduceret. Nec privato in eam contentus obsequio, pu-

Digitized by Google

publicum, ac perpetuum ſuæ in tantum Myſterium Religionis monumentum relictum poſteris voluit. Silentio enim illud à Chriſtiano Populo coli neutiquam paſſus, apud pium, copioſumque hominem tandiù inſtitit, donec è conſtitutæ ſortis fœnore annuos hic ſumptus ad Sacrum Summæ Trinitati diem magnifico apparatu, ac pompâ Noſtra in Ædc quotannis, ut fit, celebrandum ſuppeditaret. Hinc quotquot exanime Franciſci corpus, ne ad illud dilacerandum inconſulta populi pietas irrumperet, in dicato S. Trinitati Sacello claudi debuiſſe conſiderarunt; non caſu, ſed Cœleſti conſilio factum id fuiſſe conjecere. Quòd ſcilicet contrà pias hominum injurias ejus extincti curam ea Trinitas ſuſcipere videretur, cujus honori, atque obſequio augendo pro virili vivens ipſe adlaboraſſet.

Chriſti prætereà Soteris amantiſſimus, non vulgari illum pietate, & cultu eſt proſecutus. In ejus Infantiam potiſſimùm propenſus, ejus ætatulæ à Deo Homine pro nobis ductæ recordatione in dulciſſimos reſolvebatur affectus. Certè inter eximios Sacræ Jeſu Infantiæ Cultores piæ admodùm Virgini, his Cęleſtium rerum imaginibus aſſuetæ, cęlitùs à Deo commonſtratus ipſe inter homines fuit, quemadmodùm inter Cœleſtes Spiritus eorundem Militiæ Princeps Michael venerator præcipuus fuiſſe perhibetur. Admirandum igitur, ac plenum ipſi ſupernæ voluptatis ſpectaculum Jeſus Puer. De eo tametſi triginta annorum ſpatio ſacrâ ejus Natalis nocte ad populum dicere habuerit; novum tamen aliquid afferre auditus eſt ſemper, quo tùm illa verba, *Verbum Caro factum eſt*, tùm alia illa, *Tranſeamus uſque Bethlehem*, tanquam inexhauſtas ſacræ eloquentiæ venas in audientium ſalutem dulciſſimè derivaret. Verba etiam illa, *Non erat eis locus in diverſorio*, Adriæ cum ad Aram eâ nocte legeret, fuſi ex imo pectore gemitus ita vocem intercepere, ut ter redordiri conatum ter profluæ ex oculis uberim lacrimæ retardarent, adſtantibus ad collacrimandum interim magis eo pietatis ſenſu, atque exemplo, quàm ſecutâ dein Concione provocatis.

Cæterùm vix ullam ipſe ſacram Expeditionem ſuſcepit, in qua uberrimum in vitia inſurgendi argumentum ex ejuſdem Divini Pueri dotibus non deſumeret. Ad æſtimandum enim Divini Verbi in puerilem formam ſeſe redigentis beneficium vehementer allectos, oſtenſâ ejus Imagine, eò adducebat, ut ſuam

quiſ-

Digitized by Google

quisque sævitiem, quæ nec Infanti Deo pepercisset, ex animo damnaret: correctique plurium eo spectaculo mores ad illud ubique, quoad fieri posset, exhibendum maximo ei incitamento fuere.

Sacras etiam Deo Virgines ut iis, quibus ipse ardebat, in Divinum hunc Puerum flammis incenderet, affabrè exculptum ejus Simulacrum mediis incubans floribus inter dicendum ipsis proponere positum in more habebat; ut siquæ fortè contemptum illum ab insanis mortalibus Cœlestem Infantem enutrire, ut ajebat, apud se vellent, seù quotidianis virtutum, pietatisque incrementis ei adblandiri, castosque ejus mores exprimere examussim satagerent, ipsæ sibi præ aliis haberent. Quæ non de nihilo ab ipso dici, gerique è rerum exitu ab Ascetriis ipsis aliquando observatum. Cum enim in celeberrimo Neapoli Sanctæ Mariæ à Jesu Asceterio Spiritualibus S. Ignatii Commentationibus imbuendo versaretur, nascentisque in Præsepio hominum Salvatoris historiam contemplandam proponeret; ad oblatum Nati Dei simulacrum sibi habendum, nobiles, quæ in ibi educabantur, Puellæ accurrère extemplò præ cæteris duæ. Prioris nihilominùs petitione repudiatâ, posteriorem voti compotem reddidit. Fortuitò, atque ex ingenio ità eum feciſſe earum Virginum cœtui primò visum: mox ubi à rejectâ Claustrum deseri, ab admissâ verò Sacrum indui Velum conspexere, disparis utriusque sortis veluti præscium eo die ipsum egisse inexpectatæ rei exitu obstupefactæ prædicarunt.

Verùm ut vagiens in Præsepio Christus, ità multò magis idem pro hominum salute in Calvariæ Monte Cruci suffixus præcipuo ipsi in honore fuit. In ejus nempè cruciatuum, acerbissimæque necis obsequium asperrima illa sui corporis afflictatio, susceptique, nullo suæ vitæ respectu, pro communi omnium salute labores tendebant. Super hæc, ejus ipse Imaginem, invictam veluti Militiæ suæ tesseram, pectori affixam continenter gerebat, seù firmissimi in ipsum amoris, seù implacabilis in crimina odii, seù intrepidæ adversùs vitæ pericula fortitudinis incitamentum. Majorem etiam illam, quâ ad conciones utebatur, Crucem floribus suâ manu consitis ornatam circumferre per Urbem consueverat. Leve quidem in speciem obsequium; passo tamen Numini gratissimum fuisse ex eo memorant, quòd in iis floseulis sibi applicitis præsentissimum in morbos nonnemo adeptus sit amu-

Digitized by Google

letum. Patientis Chriſti Myſteria nec ſuis Sodalibus explicare, nec noſtris Adjutoribus è piarum Commentationum libro meditanda proponere ſiccis oculis poterat. Adeò uber lacrimarum vena Divini ei Servatoris contumeliæ, ac dolores erant. Addictos verò recolendo Divinæ Mortis Beneficio ſolennes ſanctioris Hebdomadæ dies quo intimæ pietatis ſenſu ipſe tranſigeret, quanquam ſummo ſtudio occulere contenderet; ab ipſo tamen Sacris per eos dies operante ubertim effuſæ in legendâ Evangelicâ Divinorum cruciatuum Hiſtoriâ lacrimæ affatim edocebant, quibus temperandis impar interſiſtere, pauſareque identidem cogebatur. Raptari ſe per Templi pavimentum eo tempore cupiiſſe, & quandoque impetraſſe: in Foro Nundinario ad multas horas excitandæ ad Chriſti Soteris pro hominibus paſſi venerationem affuſæ multitudini ſummo animi ardore quotannis eum adlaboraſſe, memoratum jam alibi fuſiùs, ſi lubet, legas. Andriæ item cum verni Jejunii tempore Concionatorem ageret, ſextâ ſanctioris Hebdomadæ Feriâ, ut quod pridie voce inſinuaverat erga ſanctiſſimam Chriſti Mortem obſequium, re edoceret, cinere conſperſus, vepribus ſeptus, Crucemque humeris bajulans mane in publicum prodiit; eoque habitu omnes ejus Urbis ſacras Ædes erecti Chriſto ſepulchri religione inſignes venerabundus adiit: ſuæque Pietatis exemplo ad idem præſtandum obvios quoſque paſſim adduxit.

Mihi verò ſuper hac re omnium inſtar illud eſt, quod de Franciſco Vir Aſceticæ rei peritiſſimus P. Marcus Martorelli memoriæ prodidit. Teſtatus ſiquidem hic eſt, anno circumacti proximè ſeculi nonageſimo ſeptimo, ſancto Paraſceves die jam in occaſum flexo, in domus Profeſſorum Sacrario in Franciſcum coram pio Chriſti Soteris de Cruce depoſiti ſimulacro orantem fortè ſe incidiſſe: altèque adeò defixum in ejus ſpectaculi contemplatione ipſum eo tempore apparuiſſe, ut in ejus vultu expreſſam *hominis verè Chriſto commortui* imaginem videre ſibi viſus fuerit. Quibus ſanè verbis quicquid de eximiâ Franciſci in paſſum Servatorem Pietate dici pluribus poſſet, in pauca congeſtum verba intelligere per ſe quiſque optimè valet.

Poſtremò erga latentem in Euchariſtiæ Myſterio Chriſtum maximâ Religionis laude florere continenter eſt viſus. Ad eum ex Odæis interdiù, noctùque ſalutandum frequenter accedere; domeſticæ relaxationis tempora cum eo diutiùs, ac familiariùs

Digitized by Google

liarius transigere, eoque insalutato Domo egredi, eandemve ingredi penè piaculum reputare; floribus demum suâ manu excultis toto anni spatio ejus Aram ornare, solenne illi jam erat. Ad annuam Spiritualium Exercitiorum Anachoresim cum semotum aliquem semper quæreret locum, ubi à turba abstractus Deo liberiùs vacaret; præ omnibus aliis sepositam quandam Ædiculam Stabiarum Urbi imminentem, dicatam nempè Sancto Spiritui Parœciam, eo nomine adamavit, quòd asservatæ ibi Eucharistiæ contubernio frui pro libito posset. Ad suum Jesum Eremicolam, semotæ Ædiculæ solitudinem innuens, se itare eò pergens dictitabat Franciscus. In eâ verò solitudine Cœlestium rerum contemplationi, suique corporis afflictationi intentus, tenuem illum, quem Stabiensis Collegii Rector ei suppeditabat, victum delibare potiùs, quam sumere videbatur, Cœlestis, quem ibi habebat, Panis voluptate contentus.

Illud verò singularis ejus in Eucharistiam obsequii argumento esse potest, quod homo ab omni pietatis ostentatione affectanda perquàm alienus, Sacram Ædem ejus Mysterii custodiâ decoratam prætergredi vix sciret ullam, quin positis humi genibus veneraretur: nec Sacrum ægris Viaticum afferri unquam conspiceret, quin prono ad terram vultu coram eo supplex tandiù persisteret, donec pium comitantium agmen suis illud oculis subduxisset. Idem coràm publicè expositio Eucharistico Orbe nonnisi flexis ad obsequium genibus ad populum dicere in more habuit, quò irreverenter inibi agentium hominum licentiam suo exemplo corrigeret. Quam sanè impudentiam homo cæterà humanus, mitisque, eâ libertate objurgabat, ut, Christi veluti apparitor, alios officii admonere, irreligiosæ alios oscitationis, Cœlestium Mysteriorum dignitate inculcatâ, liberè arguere suum esse duceret. Sedere quempiam Sacro adstantem, idque ex animi potiùs, quam ex virium languore minimè patiens, ad corruptelam hanc è Christiani populi moribus eliminandam, ardentissimè incubuit: nullius in hac re odium veritus, quò Cœlestium Spirituum exemplo ad debitam Divinæ Rei reverentiam inertes, ac desides excitaret. Imò ut omni ex parte Sacrarum Ædium staret honos, abigendorum è nostræ etiam Ædis exteriori Areâ Aleatorum Magistratibus auctor fuit: minùs religiosum in Catholicâ Civitate arbitratus eò homines ad vitia convenire, undè ad deferenda Divinæ Sanctitati obsequia aditus pateret.

Digitized by Google

Nil verò ad ingerendum Divinæ Euchariſtiæ cultum aptiùs, quam Sacris ipſe operans Franciſcus. Primum hoc ei, præcipuumque mane negotium, ubilibet ageret, ſinguli offerebant dies: nec in omni vitâ, niſi ſemel in Oppidulo quodam, ubi Azymi ei panis orbiculus defuit, à Divinâ Re quotidiè peragendâ abſtinuit. Imò cum extremo Sanctioris hebdomadæ biduo ad celebrandum apud ſe ſolenne utriuſque diei Sacrum Andriæ Franciſcani Cœnobii Patres humaniter eum invitaſſent, oblatum ſibi honorem ex Cœleſtis Epuli fame uſque adeò non reſpuit, ut potiùs in agendâ eis gratia effuſior jucundiſſima ſibi id genus convivia accidiſſe teſtatus his verbis fuerit: *Opiparè adeò apud vos habitus, plurimùm vobis equidem debeo, Patres, præſertim cum per hos dies bis ego deliciis apud Meos haud aſſueverim*. Jam quibus inter litandum ipſe deliciis affluëret, ſuaviter ex oculis cadentes prodebant lacrimæ, ductique ex imo pectore placidiſſimi gemitus, præſertim ubi ſemotis arbitris ei facere contigiſſet. Certè Cœleſti eo Ferculo refectus, animo, & corpore habitior, vegetiorque ad quotidianos Apoſtolici muneris labores redire videbatur.

CAPUT XII.

In Deiparam Virginem, ac reliquos Cœlites Obſervantia, & Cultus.

IN humanæ ſalutis Auctorem Chriſtum eâ, quâ nuper expoſui ratione, propenſus, haud æquum profectò feciſſet, ſi Sanctiſſimam ejus Matrem continenti ſtudio, cultuque proſequi neglexiſſet. Addictum ei quot hebdomadis Sabbati diem jejunio celebrabat. Inſtitutarum verò in ejus obſequium ſolennitatum ubi ritè appeteret tempus, pridie ejus diei, Jejunio cruentam ſui verberationem addebat. Magnificum Neapoli Virginum Collegio adjunctum viſitur Templum *S. Mariæ à Conſtantinopoli* nuncupatum, quod Magnæ Matri ob liberatam à peſtilentia Urbem Beneficii memor Civium Pietas vovit, extruxitque anno Repar. Sal. MDXXIX. In hac ipſe Æde duorum ac viginti annorum ſpatio, tertiâ quâque hebdomadæ Feriâ, ad frequentem

Digitized by Google

tem Populum de ejus laudibus à meridie dixit, non paucis in Divinæ Parentis obsequium ita incensis, ut ad eam Sacrâ Synaxi, piisque aliis exercitationibus mane colendam ipso Auctore accederent plurimi. Ut nullum Deiparæ gratiùs obsequium fore, quàm criminum fugam, edoceret, ejus ipse Imaginem Tartareum Draconem vibratâ confodientis hastâ in festivis supplicationibus præferre commentus est. Cæterùm in laudibus ei persolvendis, si fortè à labore fessiaretur, assiduus, ubi maritimum aliquò iter intenderet, precatorios Virginis calculos cum Nautis percurrere, iisque Sacra Rosarii Mysteria explicare in more habuit. Imò quandiù Andriæ in ejus Urbis Dominæ Aureliæ Imperialis Ædibus Quadragesimalium Concionum causâ diversari debuit, ut statutum in eâ Domo quotidiani Rosarii morem Aulicis, ac Famulis commendaret, ad imperatum ibi Campani æris pulsu Marianum pensum, rebus aliis intermissis, omnium primus ipse accurrere, positisque in Sacello domestico genibus, turmatim cum Famulis acceptissimas illas Deiparæ preces recitare satagebat.

Jam cum in Cœlitum patrocinio maximam item reponeret fiduciam; inter hos tùm sibi, tùm eorum, quos ipse dirigeret, singulis Tutorem, Custodemque traditum à Deo Angelum singularibus Pietatis officiis conciliare studuit. Horum ipse generatim Cœlestium Incolarum Tutelam tanti esse reputabat, ut iis, quibus ipse à confessionibus esset, dubiis in rebus commodiùs nihil fieri posse inculcaret, quàm si sui quisque Tutelaris Angeli consilium, atque opem exposceret. Monentique ita Francisco nunquàm frustrà se auscultasse jurata asseruit Ascetria quædam; quæ pluries ipso absente consilii inops à suo id Angelo ex Francisci præscripto haud unquam petiit, quin feliciter suam sibi industriam cessisse experiretur. Eo siquidem in consilium adhibito dubitationes, ac scrupulos omnes ex animo statim abactos fuisse testata est. Ac bis præcipuè, addidit, anxiæ sibi, deque suis rebus solicitæ Francisci speciem imitatum præsto Angelum fuisse, qui latentem animo mentis tumultum aperuerit, simulque facili negotio composuerit. Francisco etiam ipsi suâ operâ eosdem Angelos profuisse institutum Sacræ Missionis causâ Capuam versùs, paludosi loci difficultate implicitum, ut alibi dictum à me est, iter edocuit.

Ad reliquos quod attinet Cœlestis Patriæ Incolas, eorum ipsi

Digitized by Google

ipsi Virtutem, ac Sanctimoniam summo in honore universim fuisse eo potissimùm argumento à Nostris conjectum, quòd cum iis per Litanias quotidiè more nostro invocandis voce ipse præiret, oborto repentè ex oculis fletu intersistere coactus, temperare lacrimis adeò nequiverit, ut ad eam precationem absolvendam alium ei Sacerdotem subrogari necesse fuerit. Bis hoc, sed præcipuè Festâ S. Ignatii luce ad ea verba, *Deus, cui proprium est misereri semper, ac parcere*, accidisse memorant. Nec quænam potissimùm cogitatio ejus animo obversata uberes eas lacrimas ex oculis publicè eliceret, intelligere integrum ulli unquam fuit. Quamvis nonnisi ex eximiæ in Deum, ac Cœlites Pietatis fonte eas tanto impetu prodisse per se quisque conjecerit.

Ad amplificandum, ac longè, latèque diffundendum S. Cyri Martyris cultum quænam præterea peculiariter egerit, satis, superque jam alibi à me enarratum memini. Non tamen idcircò neglecti, qui idem cum Cyro Nostræ Ædis Sacellum condecorant, Martyres. Pro eorum numero, centies, atque sexagies præscripta à Christo precandi formula, atque Angelico Ave eos quotidie venerabatur, quotidianis occupationibus persolvendo huic penso nequicquam obsistentibus. De Sanctissimo verò Nostri Ordinis Parente Ignatio, prout amantissimum Filium decet, nonnisi magnificè sentiebat. Præcipuum erga ipsum obsequium, tùm ejus virtutum imitatione, tùm severâ ejus Legum custodiâ constare Nostris Junioribus dictitabat. Quod quidem non tàm ex hisce vocibus, quàm ex inspectis ejus moribus edisce cuique pronum erat. Domesticæ quippe disciplinæ rigidus adeò cultor inter ipsos Missionis labores fuit, ut, non secus quàm Domi consueverat, sua matutinæ Meditationi, sua meridianæ, vespertinæque Conscientiæ discussioni, sua etiam silentio præscripta tempora esse voluerit. Ejusdem verò opem quantâ fiduciâ arduis in rebus arcesseret, intelligere ex hoc est, quod ægro olim cuidam ad impetrandam vitam faciendum veluti ex tempore proposuit. Eximium doctrinâ, pietate, omniumque Virtutum exemplo Sacerdotem Andream Mastellone recrudescens quadragesimo post die Epilepticus adeò debilitaverat morbus, ut nec è pulvino caput attollere jam posset. Quare Joannis Baptistæ Bigatti eximii eorum temporum Medici judicio extremis morientium

Sa-

Digitized by Google

Sacris ritè muniendus quamprimùm fuit. Tanti verò Viri publicam non minùs, quàm domesticam jacturam consanguineorum juxtà, amicorumque aliquot cum anxiè, ut par erat, dolerent; insinuandum ægro ipsi censuere, ut Cœlestium alicui conceptis pro suâ salute supplicaret votis. Facturumque se libenter recepit ille, modo id consultus probaret Franciscus. In hujusmodi verò consilium vix coram ægro adhibitus ipse, re secum tantisper discussâ; *Bene habet*, exclamat: *Festivâ S. Ignatii luce in ejus obsequium te Sacris operaturum vove.* Arduum homini jam viribus destituto votum insinuari audientibus visum. Quî enim, festivâ eâ die perendiè recursurâ accedere ad Aras auderet is, quem sine periculo domi eo die incessurum ominari prudenter haud quisquam posset? Standum tamen hominis ita suadentis auctoritati tùm ægro ipsi Andreæ, tùm patri ejus, ac patruo Carmelitarum Familiæ Magistro penitùs visum. Nec eos sententiæ pœnituit: conceptum quippe biduo ante votum famuli brachio nixus dictâ die exolutum abiit Andreas: resumptisque exindè viribus è lethi faucibus ad pristina Apostolici Viri munia incolumis rediit; donec post duos, ac viginti, quibus superstes fuit, annos ad exantlati pro Deo laboris præmium, uti sperare non ex vano fas est, anno labentis Seculi XVIII. feliciter est evocatus. Accepti porrò Francisci consilio, ac precibus ab Ignatio beneficii testem ad ejus Aram votivam appendit tabellam, in qua se ægrum, ac pro se Ignatio positis genibus supplicantem depingi jussit Franciscum: ut, quos potissimum ipse restitutæ valetudinis auctores agnosceret, posteritas inde omnis intelligeret.

Nec dispari in Magnum Ignatii Filium Franciscum Xaverium amore, & cultu, ejus vitæ exemplar, à Societate initâ, sibi ad imitandum proposuit. Ejus quippe insistens vestigiis Indicæ licet Expeditionis fraudatus voto, ad oblatam sibi tamen Neapolitano in Regno uberrimam laborum non dissimilium messem usque adeò animum non despondit, ut ad majorem potiùs quotidiè anhelare visus fuerit. Certè laboriosæ Xaverii in Indiis vitæ imaginem se Neapoli in Francisco perspicere sagax quidam ejus operum æstimator putavit; ut nihil fide majus de Xaverio narrari diceret, quod ex mobili, & irrequieto Francisci spiritu credibile intuenti non statim evaderet. Quàm porrò in ejus moribus in se exprimendis, tàm in ejus cultu apud

alios

Digitized by Google

alios promovendo ſtrenuus nihil omiſit, quo omnes ad ejus patrocinium, ac fidem implorandam adduceret. Sodalitati, quam ipſe curabat, adſcriptos, proximâ à Xaverii Feſto Dominicâ, ad hujuſce Orientis Apoſtoli, quæ in noſtra Æde eſt, Aram ſupplicantium ritu pergere quotannis jubebat, oblatiſque cereis, annuo veluti tributo, Patroni jam olim ſui ſingulos clientelæ, ac fidei ſe iterum permittere. Ad hæc, quæcunque Miſſionibus luſtraret loca, ea ad publicum aliquem honorem Xaverio ſtatuendum hortabatur, quò hujus præſidio publica eorundem incolumitas ſtaret. Cardetum in cæteris nec infrequens, nec longè disjunctum Neapoli Oppidum, ubi Franciſco auctore Patronum adoptavit Xaverium, eâ celebritate, ac pompâ ei ſe dicaſſe perhibetur, quæ conterminos oppidanos ad parem ei cultum decernendum exemplo exciret. Erecta quoque anno elapſi proximè Seculi LXXXIX., ſedatis prius Miſſione Paganorum diſcordiis in *minoris Frignani* Pago Peregrino Xaverio Sodalitas, Peregrinantium ſcorteis, atque haſtili inſignis, Franciſci amoris, atque in Xaverium obſequii publicum eſt monumentum. Tantum denique ipſe præſidii in Xaverii tutelâ poſitum eſſe arbitrabatur, ut eo conciliato nil penè deſperandum eſſe inſinuaret. Quare non alio eum nomine, quàm incredibilium prodigiorum patratoris egregii, appellabat. Imò ubi difficillimum quid, ac periculi plenum occurreret; *Xaverio nunc opus eſt*, ajebat, *qui aliquid hìc ſuum egregiè præſtet*. Nec tantæ ejus fiduciæ, ac ſtudio imploratum deſuiſſe Xaverium memorabiles rerum exitus non ſemel edocuere.

Hæ potiſſimùm fuere, quibus dignum Deo ſe finxit, Franciſci virtutes. Quibus verò apud homines admirabiliter dictis, geſtiſve ejus inclaruerit nomen, dicendum jam reſtat.

VENE-

Digitized by Google

VENERABILIS FRANCISCI DE HIERONYMO VITÆ

LIBER IV.

CAPUT I.

Gratuitis Dei Donis, ac primò, Futurarum rerum prænotione ornatur Franciſcus.

QUanquam Franciſco hominum obſequium, ac reverentiam tot, tantarumque Virtutum complexio paſſim conciliaret; ad has tamen ipſas attentiùs ſuſcipiendas effuſa in eum gratia plurima à Deo dona, Virtutiſque mirabilium rerum effectricis acceſſio non leve momentum attulere. Pleroſque omnes nempè prodigiorum ſplendor magis, quàm Virtutum dignitas allicit; apud quos, quæ de ſuo niteat, Sanctimonia in pretio haud eſt, niſi humanæ conſuetudine majorem eam eſſe majora humanis viribus facinora conteſtentur. Qualia porrò in omni genere ea fuerint, quæ per agentem adhùc in Terris Franciſcum mira edere voluerit Deus,

Digitized by Google

ea in hiſtoriæ hujus decurſu, prout enarrandarum rerum occaſio ferre viſa eſt, ſuis in locis non pauca jam retuli. Alia nunc plurima iis ſubtexere mei muneris eſſe arbitror, quorum causâ ejus operam eò avidiùs expetendam duxere plurimi, quò hominum ſaluti commodiorem æquè, admirabilioremque eam accidere intellexerunt. Quæ quidem cum partim ad Effata ejus quædam Divino afflatu plena, partim ad res ſuprà naturæ ordinem geſtas referantur; ne confuſâ narratione permiſcere utraque videar, prioribus illis commemorandis priùs inſiſtam, congruo exinde ordine poſterioribus locum daturus.

Quod igitur ad primum illud Cœleſte Donum attinet; multis de rebus, quæ humanitùs ſciri minimè poterant, locutum perſæpè ità eum fuiſſe, ut ſi ob oculos verſarentur, pronuntiare de iis diſertiùs haud poſſet, exploratius videtur, quàm ut in dubium revocari jam poſſit. Quin potiùs cum futura prænuntiare auditus ſit plurima, plurima etiam & loco disjuncta, & penitùs latentia luce clariùs agnoſcere; hinc non fugaci duntaxat ad vaticinandum lumine, ſed perpetuo Prophetici Spiritus inſtinctu cœlitùs donatum eum fuiſſe, è nunquam fallacibus ejus reſponſis non imprudentes rerum æſtimatores ſibi ſuaſere quamplurimi.

Cui ſanè opinioni ut ex ipſius Franciſci verbis patrocinium aucuparetur, callidè ab eo ſcitari olim voluit nonnemo: Qua nempè ratione de rebus ſenſui imperviis edocti à Deo Sacri Vates loqui valuerint? Manifeſta-ne, an potiùs ſubobſcura aliqua, ac dubia Cœli lux de prænuntiandis rerum eventibus eos admonuerit? Satis-ne quæ dicerent, ipſi intelligerent; an potiùs ex eorum ore improvidè, atque inconſideratè Vaticinia exciderent? Non aliud verò ex reſpondentis ore excerptum, niſi clarè adeò iis omnia à Deo patefieri, ut dubitationem iis omnem Divinum lumen adimeret; cum præſertim perſpicua ſatis ea Evangelii verba ſint: *Ego me manifeſtabo ei.* Nec melius quicquam ab ipſo exculpere ſuis interrogationibus valuit, qui ei à confeſſionibus erat. Præpoſiti hic auctoritate interpoſitâ petiit, ut, ſi quæ in commune commodum peculiaria à Deo accepiſſe ſe ſciret Dona, ſenior tandem in extremo vitæ jam proderet. Ità verò ſe interrogari ubi audiit Franciſcus, quà erat animi demiſſione, diductis præ admiratione brachiis. *Mihi-ne ſublimia iſthæc?* reſpondit: *Equidem tanti non ſum, nec ullo meo merito hæc aſſequi debui.*

Cum-

Digitized by Google

Cumque nec his verbis petitioni suæ plenè satisfieri interrogans cerneret; *Quî ergo*, subjunxit, *ad ægros accitus aliis vitam, mortem aliis denunciabas, quin dictorum fidem unquàm eventus fefellerit?* Tùm verò, *Ità est*, reposuit Franciscus, *denuntiabam, at nullo peculiari impulsu; verum, quòd eo tempore ità mihi veniebat in mentem*. Quibus in verbis quemadmodùm eximiam, ac singularem ejus animi modestiam deprehendere integrum est; ità cum concessa hæc latentium rerum notitia nec ipsum fortasse adverterit Franciscum, nihil ex ejus dictis in utramque partem colligi meo judicio potest, ut perpetuo potiùs, quàm infuso per intervalla lumine de abditis, obscurisque rebus liberè adeò eum loqui potuisse liquidò constet.

Hac igitur re Doctioribus ad disceptandum relictâ, ea potiùs undè suborta apud aliquos hæc suspicio est, argumenta separatim tractare operæ pretium duco. Iis enim distinctiùs enarratis, quali ipse perfusus luce tot rerum arcana penetrarit, elucere minùs difficile poterit.

Utque à certissimâ futurarum rerum præsensione exordiar; ejus in Francisco crebra æquè, ac mirabilia suppetunt exempla. Nobilibus ortam Parentibus Puellam sacro olim Fonte postquàm ipse abluit, eam & Religiosæ vitæ Asseclam, & Sanctam fore disertè pronunciavit. Jam nonnisi congruas huic dicto cogitationes ad undeviceſimum ætatis annum fovere ea visa est; cum mutato repentè animo nuptiarum cupida adeò apparuit, ut, congeneri viro à Consanguineis jam ei destinato, à suscepto matrimonii consilio sine dedecore discedere integrum haudquaquàm esset. Hæc dum semestri spatio libratis ultrò citròque nuptialibus pactis agitantur, in Adolescentulæ animo extemplò renasci paulò ante neglectum Regularis vitæ desiderium cœpit. In quod cum nullâ eam de causâ revolvi Consanguinei judicarent; à puellaris ingenii mobilitate, ut par erat, metuentes, ne instabili fortasse voto morem citò gessisse viderentur, differendum illud diù censuere. Vincente tamen moras, ac tricas omnes evidenti ejus constantiâ, permisso sibi Asceterio adscribi ea tandem valuit. Cumque Franciſci dictorum fidem, suscepto jam Religiosæ Vitæ Instituto, præter expectationem impleverit; fore ut ejusdem Vaticinium Vitæ Sanctitate ex toto impleat, præsens ejus probitas, pietasque sperare nec ex vano jubet.

Mirabilius, ac Vaticinii plenius hoc aliud est. Educata in

Digitized by Google

nobiliſſimo Virginum Aſceterio Puella alienum adeò ab ejus vitæ ratione animum gerebat, ut ſi quid ingerere Religioſæ vitæ cogitationes poſſet, prorsùs refugeret. Nihil ei proinde moleſtius, quàm ſi, ab ægrâ aliquâ Aſcetriâ accitum, ingreſſum illùc fuiſſe reſciret Franciſcum, cujus nempè affatus arctioris vitæ incitamento aliis fuiſſe animadverterat. Cum ei fortè in decumbentis cujuſdam cubiculo obviæ injectâ in caput manu, hæc ille: *Quouſque mobilis hujuſce ingenii ſe tandem circumaget Rota?* Hoc verò hominis attactu verti ſibi in melius animum tàm citò ſenſit Puella, ut nuptiarum cupiditate rejectâ Virginitatem illicò præoptarit: nec novi conſilii Moderatorem alium, præter exoſum anteà Franciſcum, exindè voluerit. Porrò ſuſcepto Clauſtralis Vitæ propoſito quàm ea tenaciter adhæſerit, toleratæ in eo exequendo nec leves ærumnæ cumulatiſſimè prodidere. In exoſam ſiquidem jam nuptias Filiam indignatus Pater, ad ejus conſtantiam labefactandam, in denegandâ ei dote obſtinatè adeò perſtitit, ut Supremi Senatus Decreto inſuetam hominis duritiem frangi opus fuerit. Conjurare etiam in ejus perniciem contracta ex ſanguinis excretione Hectice viſa eſt; à qua tamen cum metuendum haud eſſe per literas admonitus reſcripſiſſet Franciſcus, ac, *ſignatum in Cœlo Religioſæ ejus Conſecrationis diem jam eſſe*, addidiſſet; rem aliter, ac erat, interpretata, in Cœlo ſe voti compotem fore ex hominis verbis conjecit. Quare revaleſcendi ſpe prorsùs abjectâ, extremum vitæ tempus, ſponte nuncupatis Aſcetriarum Votis, dicare Deo conſtituerat. Remittente tamen paulatim morbi vi, non Cœli, ſed valetudinis è Cœlo propediem ſperandæ Oraculum illud fuiſſe ex ægritudinis diſcrimine emerſa intellexit. Quid porrò? Soſpitem jam, certoque jam die Cœleſtibus potituram Nuptiis Puellam novus, nec ex vano, ecce metus inceſſit. Ab irato adhùc Genitore aſpera etiamnum agitari conſilia inaudit; comminatum quippè, nec ſemel eum fuiſſe, nihili ſe hominem fore, ni Filiæ Aſceterii ſepta egreſſæ pertinaciam impactis publicè alapis ulciſcatur. Ne ſævo igitur molimine aliquo feſtivæ celebritatis lætitiam interturbari contingeret, paternis intemperiis Aſceterii ipſius Clauſtra opponere prudenter conſtituit: ac videndæ Urbis extremâ ſe voluptate fraudans, unum ad ſe accedere, qui conſitenti ſibi aures præberet, optavit Franciſcum. Cui tamen ille: *Imò potiùs in Domus Profeſſorum Æde commodiùs id factum*

eâ

Digitized by Google

eâ die iri, disertis cum respondisset verbis: cumque id contrà fieri nec debere, nec posse conceptus à Puella paterni furoris suaderet metus; haudquaquam eidem ex voto fluxurus Dedicationis suæ dies videbatur. At verò nil præter rem responsum à Francisco fuisse ostendit eventus. Vix enim Sacrandæ Puellæ destinatus illuxit dies; cum de more deducturæ eam in Asceterium geminæ, ut fit, primi ordinis Matronæ, audito alloquendi Franciſci cupiditate ipsam teneri, paternæ iræ metu facessere penitùs jussò, honestissimo eam voto fraudatam haud voluere. Ad Professorum igitur Domus Templum secura, uti Franciscus prædixerat, eo die adiit; eumque ibi jam præstolantem nacta & alloqui, & noxis se expiare, & ad implenda ex integro Franciſci Oracula in Asceterium regredi dicanda jam Deo, ut optarat, procul omni infortunii metu liberè potuit.

Salubrius, atque ad nutantem Puellæ alterius animum in meliorem partem flectendum utilius hoc aliud ejus Oraculum fuit. Apud Asceterias, quæ ad Pontem Corvum Neapoli sedem habent, Capuccinas pluribus educatam annis Joannam Police è Cœnobio, ut fit, Parentes extraxerant de deligendo vitæ statu utique deliberaturam. Animi tamen adhùc ea anceps; ut plurimis, quæ in utramque partem occurrerent, difficultatibus sese liberiùs expediret, Franciſci alloquendi copiam fieri sibi à Parentibus voluit. Vix verò auditam perhumaniter solatus, his potissimùm verbis ad Asceterium hilarè optandum est hortatus Franciscus: *Non longus ibi durandus est tibi labor. Quid enim censes? Decimumseptimum vitæ annum nonne emensa jam est? Nonnisi tantundem emetiendum supereſt.* Satis, superque hæc fuere, monenti ut auscultaret Joanna. Quæ severissimo illi sacrarum Virginum Parthenoni adscripta, septendecim annis non sine ingenti pietatis, ac religionis laude tractis, præfixæ sibi à Francisco vivendi metæ non immemor, eam examussim attigit, expletoque vitæ curriculo veteri hominis de se Vaticinio fidem adstruxit.

Contrà verò non Asceterium, sed Nuptias, aliaque prætereà in his ex nec opinato eventura Puellæ alii requisitus præcinuit. Educata in Benedictino, quod Neapoli celeberrimum est, S. Gregorii Armeni Asceterio Margarita Pignatella, *Bellisguardi* Ducum unica hæres (eadem, quæ nunc Vibonensium, seù Montis Leonis Dux est) à Ferdinando Pignatello Vibonensium Ducis altero Filio in Uxorem deposcebatur: fovendoque hujus consilio

ap-

Digitized by Google

apprimè intenta Mater nil omiſſum volebat, quod ad has Nuptias Margaritam alliceret. Coortæ olim tamen inter utramque Familiã ſimultates, neſcio quæ, Puellæ animum ab his adeò abalienaverant, ut rejectis Matronæ Ducis munuſculis, aliiſque benevolentiæ ſignificationibus, aut Aſceterium, aut ab illâ disjunctum Domo Virum optaret. Franciſcum hæc interim hiſce anceps curis de ineundâ vitæ ratione conſultum quodam die adiit. Cui ſtatim *ipſe: Nec Aſcetria eris, nec Ferdinando Principi nubes, Margarita. Quid facias tamen? Eadem, quam metuis, Vibonenſium Ducis te manet Domus: ac tot munerum blandimentis, quod minimè reris, calces ſuccedent.* Incredibilia, imò & pugnantia Margaritæ eo die loqui viſus eſt Franciſcus. *Men' enim*, ſecum ajebat, *in eam deduci Domum, quam reſpuo? Men' pro Ferdinando tertio loco natus frater accipiet? Quid enim? Adeo-ne etiam præter fas omne deſipiam, ut natu maximi, Abellinatium Principis filiæ conjugio jam pridem adjuncti, optare nuptias vel per ſomnium audeam?* Implexam hanc tamen Franciſci præſenſionem ne hilum quidem à vero deerraſſe reſpondens examuſſim dictis eventus explicuit. Acerba ſiquidem prioris conjugis mors novis, quas cum natu Maximo deinde ipſa iniit, nuptiis domum reapse vacuam fecit. Sed tamen, cum ob rejectum anteà Ferdinandum ingrata Nurus ipſa Socrui accidiſſet; hinc priſtinæ benevolentiæ vice prænuntiatos à Franciſco calces experta adeò eſt, ut ad vitandam parùm ſibi æquæ Socrus aſperitatem, quandiù ea vixit, incommodè cum Viro alibi, quàm in ampliſſima Vibonenſium Ducum Domo cum illa habitare maluerit. Hæc, injectâ Franciſci mentione, ejus in Sacrarum Miſſionum munere Succeſſori Nicolao Canàto Societatis Sacerdoti, coram binis, qui perlevis ægritudinis causâ ei tùm aderant Medicis, ipſa Vibonenſium hodie Dux Margarita ſuo ore retulit.

Memoriâ non indignum præterea eſt diſpar ejus vaticinium de Religioſæ Vitæ ſtatu binis Adoleſcentibus factum. Noſtrum in Ordinem adſciſci cum ambo perquàm vehementer cuperent, non facilis utrique juſtis de cauſis patebat ad eum aditus. Horum proinde alteri, cujus votis acciſæ vires, maluſque corporis habitus obſtare videbatur; horum, inquam, alteri adeundi Franciſcum quidam è Noſtris auctor fuit, quò nempè communicatis cum ipſo conſiliis pro feliciori rei exitu precum ab ipſo opem expoſceret. Hunc ut è Pœnitentiæ, in quo erat, Subſellio,

audiit

audiit Franciſcus, defixis in eum oculis, *Age*, inquit, *Adoleſcens, ac me quàm citiſſimè rediturum tantiſper hìc opperitor*. Paruit ipſe; verùm non aliud digreſſum inde Franciſcum egiſſe obſervavit, niſi quòd Templi ſpatium perbrevi ambulatione emenſus, reditum dicto penè citiùs adornaſſet. Quo facto, timidi Adoleſcentis caput hilarè demulcens, *Bono animo ſis*, ait; *Corporis habitudo bona eſt: patebit tibi Societas.* Dictorum porrò fidem haud fefellit eventus: depoſito enim infirmæ valetudinis metu, admiſſus à Provinciæ Præſide in Societatem eſt: emenſoque in eâ Studiorum curriculo conſuetis Sacrorum munerum laboribus incolumis etiamnum ſe exercet. Contrà verò nec ſimili vultu, nec iiſdem verbis exceptus Adoleſcentium alter ab ipſo fuit, quanquàm ab eodem, quo & ipſe utebatur, Homologetâ ſimilis rei gratiâ ad eum miſſus. Vix enim dicere incipientem inſolitâ homini ſeveritate hiſce interpellavit verbis: *Haud ità; è Noſtris non eris*. Quæ quamvis ad animi ſui conſtantiam explorandam dici arbitraretur Adoleſcentulus, ac propterea ſe id, quod peteret, lacrimis tandem impetraturum reponeret. *Quid tùm porrò?* ſubjunxit ſtatim Franciſcus, *Iſtis, quas jactas, lacrimulis ne bilum quidem proficies*. Ab humaniſſimo cæteroqui homine aſperè adeò ſe dimitti gravatè quidem accepit Adoleſcens: veriſſima tamen locutum eum fuiſſe expertus poſtmodùm eſt. Franciſci enim dictorum inſcius licèt *is*, qui eo tempore Provinciæ præerat, de ipſo in Societatem admittendo ne verbum quidem apud ſe fieri ullo unquàm tempore eſt paſſus.

Eodem afflatu Noſtratium Juniorum binis reſpondere eſt viſus. Sacris Miſſionibus horum alter ſe addicere cum maximè cuperet, nec veniam à Moderatoribus extorquere repetitis precibus poſſet, Franciſcum tandem conſuluit, ut quid facto præterea opus foret, ab eo addiſceret. Eo verò vix audito, *Ita eſt*, reſpondit Franciſcus, *voti compos eris*. Nec dicto abfuit fides: mutatis enim ex inſperato conſiliis, in optatum Sacrarum Miſſionum Campum ſe à Moderatoribus immitti non ità poſt multò petens eſt gratulatus. Carolus Rezzonico Junior Noſtri Ordinis Sacerdos horum alter fuit, qui Franciſci famâ permotus, Mediolano Neapolim ejus agnoſcendi, alloquendique causâ ſe contulit: imò ad conſuetas in Compitis feriato die Conciones prodeunti comes adeſſe voluit. Quod ſponte impenſum in proximos

Digitized by Google

mos officium cum pergratum Franciſco accidiſſe agnoviſſet, inde de capeſſendæ à ſe vitæ ratione eum conſulendi occaſionem liberiùs arripuit. Et placuiſſe ſibi olim Sacrarum Miſſionum munus expoſuit: verùm quò minùs tanto ſe oneri devoveret, affectam valetudinem, nec integras vires obſtare: tolerabilius ſibi proinde Sacri Oratoris munus videri; jamque *in* illud, utpotè in Divinum honorem, atque æterna hominum commoda pariter ceſſurum, ſua ſtudia, ac labores intendere ſe animo deſtinaſſe. Ità verò loquentem his verbis ſemel, atque iterùm requiſitus expediit Franciſcus: *Neutrum ſcilicèt facies*. Præter votum reſpondentem ex ingenio ità dixiſſe ratus Rezzonicus, Mediolanum regreſſus, hominis dicta enarraret licet, ſed tamen non magni facere eſt viſus. Pertexendis quippè Concionibus, prout deſtinarat, animum intendit: imò Franciſci deceſſu, ejuſque prodigiis, ac vaticiniis Mediolani nunciatis, tùm ipſum, tùm alios non levis admiratio inceſſit, quî tandem Vir tot præſagitionibus clarus neutrum à Rezzonico factum iri prænunciaſſet, quem Sacri Oratoris muneri manum jam penè admoviſſe palàm omnibus erat. Sed vera hominem præmonuiſſe maturatus, ac miſerandus Rezzonici exitus edocuit. Dum enim hic de Beati Joannis Franciſci Regis à Clemente XI. *in* Beatorum album recens adſcripti laudibus dicturus in Vallem Telinam (Vennonetes hi Plinio ſunt) contenderet; fallente in itinere veſtigio ex altiſſimâ, *in* qua erat, rupe, *in* imam vallem præcipitatus interiit. Cadaver erectis in Cœlum oculis, appreſſiſque in Crucis modum pectori brachiis ibidem repertum, piæ ejus mortis æquè, ac accepti olim à Franciſco præſagii fidem fecit.

Paulò *his* diſſimilia ſunt, quibus ex illuſtri Clericorum Regularium Familiâ Juniores duos obortum animo Indicæ Miſſionis conſilium ſecum communicantes non ſine præſagii ratione aliqua admonuit. Futurum-ne è Dei Gloria eſſet, ut eam profectionem à Supremo Ordinis Moderatore peterent, cum diù, multùmque dubitaſſent Caſimirus Maria Foti, & Philippus Chyurlia; conſulendi ſuper hac re Franciſci auctor utrique fuit Joſeph Amedæus Perinus Vir prudentiæ, atque integritatis laude ſatis notus. Non idem tamen utrique Conſultori à Franciſco reſponſum. Caſimiro Italiam pro Indiis fore, ſemel, atque iterùm denunciavit. Contrà verò Philippo, parendum vocanti Deo, & quidem incunctanter, eſſe repoſuit. Neutri re-

apsè

Digitized by Google

ipsè Indica profectio obtigit. Sed tamen Casimirus non absimiles Indicis laboribus, atque ærumnis molestias Bituriti in Apulia non ità post multò expertus, nihil ex vano prædictum sibi ab homine fuisse conjecit. Philippo, cui consanguineorum amor Divino impulsu potior fuit, melioris consilii neglectus magno stetisse est visus. Quanquàm enim visi iterùm Franciſci admonitu ad Instituti sui normam tepescentem animum ritè composuisset; in ipso tamen ætatis flore Lupiis extinctus, retardatæ per consanguineos Indicæ profectionis deproperato vitæ exitu fortasse pœnas exolvit.

Nec minùs vera, quæ aliis etiam de rebus ejus extant, Oracula. Constructa Neapoli Caroli II. Hispaniarum Regis jussu bellica Navis egregiè fuerat; trajecturaque in Hispaniam jam erat, Regiæ Classis numerum eo tempore auctura. Nautarum porrò, Vectorumque non pauci, ut abituris felix precaretur iter, Franciſcum rogavere. Quibus benè ipse ominatus, *Salvæ*, inquit, *vobis res sunt: nullius vestrum periculo hæc peribit Navis*. Impletum primo itinere oraculum. Passis quippè in altum velis felici navigatione Gaditanum Portum penè attigerat Navis; cum, Gubernatoris-ne imperitiâ, an adversâ venti vi, non satis liquet, scopulo illisa infelici ipsa naufragio periit. Ne ullius tamen vitæ noxia ea accideret jactura, proximum, quod teneri non difficilè potuit, litus effecit.

E' subjectis suæ Ditioni Oppidis illustris quidam Dynasta Neapolim advenerat. Futurum-ne verò è re suâ esset, ut Neapolitano Proregi se sisteret, ancipites hinc inde animum distrahebant curæ. Ab eo enim visus, ne ad Provinciæ alicujus Præfecturam peregrè amandatus, gravibus familiæ negotiis Neapoli deesset, non ex vano verebatur. Contrà verò è conceptâ ab eodem neglecti obsequii indignatione non minùs sibi, ac suis subnasci facilè periculum posse prævidebat. Adhibere proinde in dubiæ rei consilium Franciſcum voluit; qui in implexâ re expediendâ tergiversatus, neutrius consilii auctor diù esse perstitit. Tandem verò ne anxium, ac solicitum hominem nullo salubri consilio levatum dimitteret: *Agesis*, inquit, *tacitus apud te hoc dictum habe. Proregi ut te sistas haud opus est. Cæterùm Divinâ ope in tuto res tuas fore confide.* Vaticino afflatum Spiritu hæc ipsum respondisse probavit eventus. Ei quippè Dynastæ publica paulò post decreta est procuratio, quæ Neapolitanæ eum Ur-

Digitized by Google

bi neceſſariò affigeret. Nec longo poſt tempore ſplendidiori auctus munere, publicis non minùs, quàm privatis ſuæ Familiæ rebus conſulere ſecurus valuit.

De Carolo Carafa Matalunenſium Duce ad Cæſaris Aulam profecturo ambiguè adeò loqui viſus fuerat Franciſcus, ut quæ dictorum ejus fides conſtare poſſet, videret jam nemo. Etenim incertum animi Ducem ipſum, ac de itineris eventu ſolicitum, deponere metum omnem juſſerat; benignèque eum à Carolo Cæſare exceptum iri apertè prædixerat. Contrà verò dum de eodem Viennam Auſtriæ ituro cum Carolo Blanch Pizonii Marchione familiaris incideret ſermo; *Dolenda enimverò*, dixerat, *dolenda Neapoli Patricii hujuſce Viri jactura eſt, quem egregiæ animi indoles, atque effuſa in pauperes Liberalitas apprimè commendat*. Utroque verò ejus dicto ne minimùm quidem elevatam loquentis authoritatem fuiſſe, totius demùm rei exitus planum fecit. Gratiſſimus enim Cæſari in Aula Dux fuit, ejuſque in ſe Benevolentiæ ſignificationem expertus non ſemel eſt. Verùm dum plurimis auctus honoribus reditum in Patriam adornat, violento correptus morbo, ac peregrè extinctus cohærere ſibi, quæ de diſpari ejus itus, ac reditus conditione implexè Franciſcus prædicere viſus fuerat, hominis dictorum conſcios optimè edocuit.

Æquè eventu probata, quæ de illuſtrium duorum Conjugum ſorte diſertis verbis prædixit. Id porrò ità ſe habuit. Sacræ Synaxeos causâ (quâ Verni Jejunii tempore navatam Aſceticis Meditationibus operam Neapolitanæ concludunt Matronæ) in noſtræ Profeſſorum Domus Ædem cum aliis è primaria Nobilitate nec paucis extremo die convènit Julia de Avalos Marini Caraccioli Abellinatium Principis Uxor; utque animum homologeſi expiaret, Franciſcum accerſiit. Extremos ipſe vitæ menſes ægrè traheret licet; vocanti tamen adeſſe haud cunctatus, ut primùm propiùs ad Matronam acceſſit, non intermiſſâ animi hilarè ſe demittentis conſuetudine; *Effœtam*, inquit, *Aſellum quæris? Jam curſum abſolvit*. Jam, ubi homologeſi obitâ conſultare ipſum de animi ſui rebus perrexit Julia; ut in aliud ex alio prolixior ſæpè deflectitur ſermo, illud præ cæteris perquàm ſibi moleſtum fore ſignificavit, ſi Viri nempè ſui funus ſuo antecederet. Præmori ſe malle: viduitate ſiquidem optabiliorem oppido ſibi mortem eſſe. Hoc verò metu his eam verbis liberavit Franciſcus:

Digitized by Google

cissus: *Non aliter, ac petis, eveniet*. Mox, veluti in ingentis rei cogitatione defixus, illud etiam addidit, *Florenti adhùc ævo uterque: Tu verò paulò ante Virum*. Vaticinatum porrò his eum verbis fuisse, quàm utrique conjugi, eorumque domesticis notum, tàm Nostris incognitum, nec nisi impletâ Oraculi fide patefactum. Bononiæ siquidem, ubi è Cæsaris Aulâ redux subsistendum sibi cum Conjuge censuerat Princeps, anno hujus seculi XXVII. Nonis Augusti vix tertium suprà trigesimum ætatis annum agentem peracerbo eripi sibi letho Juliam vidit. Ex eoque tempore Franciscidictorum memor Marinus ad supremum, quod imminebat, iter expedire sese celeriùs cœpit, sacris mysteriis frequentiùs obeundis, pœnisque, ac reliquis corporis afflictationibus sponte suscipiendis sedulò intentus. Ac, dum mortalibus rebus contemptis, Ecclesiasticorum hominum Ordini adscribendus jam inibi esset, secuti proximè anni Martio ineunte, ætatis suæ anno undequadragesimo parem præmortuæ non ità multò ante Uxori vitæ exitum habuit. Ità porrò fore ex Franciscì Oraculo Conjugem utrumque didicisse testatus deinde est, qui morienti utrique adfuit Joannes Franciscus Battaglinus Societatis Sacerdos, de tàm illustri præsensione tùm ab iisdem illustribus Conjugibus, tùm ab eorum Aulicis nec semel edoctus. Hæc datis Bononiâ literis Prid. Id. Septembr. Anno MDCCXXXI. nostræ familiæ Sacerdos Prosper Maria Gibellinus ad Julium Cæsarem Caballum, Societatis & ipsum Sacerdotem, Neapoli æstivarum Concionum causâ agentem scripsit.

Recuperandæ libertatis spem publicis in Custodiis detentus quidam abjecerat: neque enim, qui suæ causæ patrocinium ritè susciperet, quemquam nancisci ad eam diem potuerat. Humanâ igitur destitutus ope ad Divinam confugit, visoque fortè cum ibi detentis agere Franciscum, ejus preces enixè imploratum accessit. Cui statim ipse: *Bono animo sis: proximo Mercurii die pristinæ te libertati redditum gratulabere*. Nec aliter, quàm prædixit, ad diem evenit.

Permoleste Cephaleæ morbo jamdiù obnoxia Aurelia Imperialis Andriæ Dux, datis persæpè literis Franciscum convenire consueverat, quò recurrentibus ex intervallo capitis molestiis nocturnas saltem inducias suis precibus impetraret. Jam qualis futura sibi nox foret, ex iis, quæ Franciscus rescriberet, ominari didicerat. Ubi enim benè sperandum respondisset, pacatè

Digitized by Google

extrahendam eam noctem eſſe: contrà verò, ſi fortè *conformandum Divino nutui animum eſſe*, in ejus literis legeret; vigilandæ noctis præſagium id eſſe, ex longâ præteritarum noctium ſerie colligebat. Id porrò quotidianum fermè experimentum inopinatus præ cæteris firmavit eventus. Nihil enim capiti quodam die metuenti, adhùc tamen acquieſcendum Divinæ Voluntati eſſe, ſuo Chirographo ſignificavit Franciſcus. Quod ipſa principiò demirata, alterâ noctis horâ, quid ſibi futurum reapſe foret eum præcinuiſſe deprehendit. Etenim auctis eo tempore præter ſolitum capitis intemperiis, inter maximos Cephalææ angores non proximam ſolùm noctem, ſed ſecuti præterea diei ſpatium tranſigendum ſibi eſſe doluit. Revaluiſſe ſe tandem è tàm difficili ægritudine teſtata hæc demum eſt; non priùs tamen, quàm revalituram ſeſe prævio Franciſci Oraculo didiciſſet.

Afragolæ, non longè à Neapoli, Juris periti Leonardi Orefice uxor Anna Maria Sanguigno novenûm, quod ſubierat, abortuum infortunium cum hoſpite ſuo Franciſco anno hujus ſeculi x. Februario menſe lacrimabundè conqueſta, his ſe ab ipſo vocibus hilarè interpellari audiit: *Satis abortionum eſt: Bono animo ſis: ſcapulas tantùm hac S. Cyri veſte protectas velis: ità maturos poſthac enitère fœtus*. Ineunte mox Majo in idem Oppidum Concionis causâ regreſſus maſculæ etiam ſobolis eam ſolatus nuncio eſt. Non aliud porrò eodem menſe ei eveniſſe, tùm Parentes ipſi allato Neapolim religionis causâ ad S. Cyrum partu, tùm proſperi ſucceſſus teſtes non pauci publicis deinde literis prodidere.

Nec diſſimile abortuum infortunium pluries paſſa Poſtilionii Dux Anna Garofalo, cum ei, quem gerebat, fœtui pariter metueret, Sancti Cyri tutelæ commendari ſe à Franciſco cupidè voluit. Cui ſtatim ipſe: *Huic, quem geris, fœtui Cyri nomen impoſito: Cæterùm inter partionis ærumnas ad Sanctum Cyrum tutè per te ipſam adeas opus eſt. Ità, & morbum diſcutiet, & abortionum metu inpoſterum vacua multiplicem ſobolem in lucem edes*. Ità porrò tùm de eo Annæ partu, cujus Suſceptor in Sacro Fonte ipſe fuit, tùm de aliis ejus ærumnis fauſtè præcinentem ſecuti deindè eventus haud unquam falſi coarguerunt.

CA-

Digitized by Google

CAPUT II.

Procùl distantium rerum cognitio.

NEc prætereà ad res longè gentium semotas ejus caligavit obtutus. Ac primò memorandum in hoc genere admodùm est, quod deinde ætatis suæ anno suprà septuagesimum septimo testatus suo chirographo est vetus Franciſci Sodalis Thomas Troisius. De obsessâ ingentibus Turcarum copiis Vindobonâ in Austria, anno elapsi proximè seculi LXXXIII. tristes subindè Neapolim afferebantur nuncii. Aulâ relictâ, commigrasse aliò cum Conjuge, ac Liberis Leopoldum Cæsarem: vastato jam passim rapinâ, atque incendiis agro supremam Urbi perniciem imminere. Cum incussum hunc bonis omnibus terrorem è Sodalium suorum animis, Concione ad eos Dominico die habitâ ex inopinato primus evellit Franciscus. Etenim sermone ad Christianæ Reipublicæ calamitates digresso, placatum piorum precibus Deum jam esse gratulatus; *Irent*, subjecit, *ac Deiparæ Virgini de profligato Barbarorum exercitu gratias agerent. Respirare jam ejus Patrocinio solutam bimestri obsidione Viennam. Nullum Germaniæ, nullum Italiæ, nullum Christi asseclarum cervicibus cladis periculum impendere.* Non aliud, quàm quod pridie ejus diei res fuerat, reapse loquebatur Franciscus. Verùm ne sperari quidem hæc posse prudentibus rerum æstimatoribus videbantur. Ex voto proindè potiùs, quàm ex vero ità eum dixisse existimatum. Sodalibus interea hoc ejus dictum in utramque partem versantibus, ecce decimo quinto post die laureati ab Germania tabellarii solutam obsidione Vindobonam, potitumque insigni victoriâ Cæsareum Exercitum, non aliter, ac Franciscus præcinuerat, Neapoli nunciant. Ab omnibus id quidem lætissimè, sed ab iis potissimùm mistis gaudio lacrimis exceptum, qui tantam Christianæ rei felicitatem à Francisco prænunciari suis auribus hauserant. Inter quos ad gratulandum ei comprobatum eventu Oraculum Thomas ipse Troisius progredi ausus, litantem ad Aras ut vidit, peracto Sacro præstolari eum in Sacrarii limine voluit: irrito tamen successu. Quanquam enim nullus inde aliò exitus pateat; sub-

Digitized by Google

ſubductum tamen ſuo aſpectui, atque alloquio hominem miratus eò magis eſt, quòd non ſine novo prodigio, ad plauſum declinandum, evadere inde inobſervatum eum potuiſſe tacitus ſecum reputavit.

Minervii in ſuæ ditionis Oppido, quod in Apulia eſt, periculosè admodùm decumbere *Calabritti* Ducem è Patriciâ Tuttavillâ Familiâ Sorores in Divini Amoris Cœnobio Aſcetriæ reſcierant, Fratris proinde vicem ſolicitæ, apud Marium Sandalarium, Societatis Sacerdotem, cupidè inſtitère, ut, quid ægro futurum eſſet, callidè à Franciſco expiſcari ſatageret. Eum verò cum ab id genus interrogationibus abhorrere, earumque eludendarum peritiſſimum eſſe jam Sandalarius noſſet; explorare id per Adjutorem Laicum Franciſci Socium maluit. Quocircà ab hoc, non quidem ſcitantis, ſed preces pro ægro expoſcentis ſpecie, indagari penitùs rem totam juſſit. Exponentem verò hæc Socium vix audit Franciſcus; cum erectis in altum de more oculis, ductoque ex imo pectore gemitu, ad eum obverſus, *Patri Sandalario* (cujus tamen nomen ſtudioſè ſuppreſſerat Socius) *Patri Sandalario dic, Tuttavillæ Familiæ Aſcetriis nunciet, ut Divini Conſilii nutibus animos accommodent ſuos*. Depoſitum jam Ducem eſſe è tàm libera reſponſione conjectum: nec conjicientes opinio fefellit. Circumacto enim biduo, extinctum Minervii jam Ducem eſſe feralis Neapolim attulit Nuncius.

Illuſtris Matronæ Sancti Marci Marchionis, ob extinctum in utero nono menſe fœtum, deſperatam jam valetudinem eſſe Medicæ Artis Profeſſores pronunciaverant. Id ubi Petro Marcello Cabaniliæ Hieroſolymitano Equiti è Sancti Joannis, quem *Rotundum* vocitant, Pago eſt nunciatum, tùm piorum hominum pluribus, tùm Franciſco præ cæteris Puerperæ calamitatem commendatum acceſſit. Cumque ab hoc exorabilem ægræ Marchioni Deum fore audiviſſet, detorqueri in omnem fœminæ eventum hæc verba poſſe ſuſpicatus, apertioribus rem dictis ab ipſo edifferi cupiit; ac, *Non æterna tantùm*, inquit, *Matronæ ſalus mihi cordi eſt; mortali etiam ejus vitæ in extremum diſcrimen ob infelix puerperium adductæ conſultum velim*. Cui ſubridens ſtatim Franciſcus; *Redire jam domum potes: mœrore te levatum ſenties*. Ac verè vix regreſſus domum Marcellus, opperientem cum Epiſtolis nactus eſt Tabellarium, qui

Digitized by Google

qui materno ex utero exanimem, ac lethiferum illum fœtum, fospite Puerperâ, exiviſſe ſignificavit.

Paternâ è domo, Genitoribus nec ſalutatis, abſceſſerat Thomas à Sancto Quirico, atque hàc illàc temerè juvenili licentiâ evagatus, viginti, & ampliùs annos Neapoli ſpontè exulaverat. Ità verò nequiter ſui, ac ſuorum immemorem filium agere cum, quò diuturniùs, eò familiariùs jam ferret Mater, ad exponendum Franciſco mœrorem ſuum ſecundæ cujuſdam Feriæ manè plorabunda acceſſit. Diuturnum verò ejus luctum haud fore promptè ex ipſo, in quo ſedebat, Confeſſionali Subſellio, reſpondit Franciſcus: quin *quartâ Feriâ ad tertiam noctis horam incolumem ei redditum Filium iri*. De devio Adoleſcente, a quo nihil unquàm literarum Neapolim tandiù venerat, exploratum id nullâ ratione eſſe poterat. Cæterùm mare, longèque diſſitos terrarum tractus longâ navigatione emenſus Adoleſcens, quartâ, prout prædixerat, Feriâ ad nocturnum tertiæ horæ pulſum in paternam ſe domum recepit; cum ante quartam circiter horæ partem Neapolimè longâ peregrinatione redux Navi appuliſſet.

Joſephum Sylveſtrum, domeſticorum omnium judicio jam conclamatum, è lethali morbo Sancti Cyri ope quamprimùm levaturum prædixerat Franciſcus. Nec aliter ſecuta brevi ſanitas oſtendit. Jam hunc maritimi Chirurgi munere functurum Navi quâdam profectum, tempeſtate abreptum peregrè periiſſe cum ſparſus Neapoli nunciaret rumor, Franciſco ejus vitam commendarunt cognati. Peracto verò ipſe Sacro, gratiiſque de more Deo actis, ex eorum animis ità ſubridens metum omnem evellit; *Inanis (quæ Sancto Cyro ſit gratia) hæc naufragii ſuſpicio eſt. Salvæ res ſunt: ſoſpes hàc redibit Joſephus*. Qui ſoſpes reapſe Neapolim revectus Oraculi fidem examuſſim implevit.

Ad nobilem Sanctæ Mariæ Ægyptiacæ Majoris Parthenonem ægræ cuidam Virgini benè precaturus acceſſerat Franciſcus; cum ei Conſtantia Villana fratris ſui periculosè decumbentis valetudinem commendatum advenit. Queminam porrò fratrem potiſſimùm loqueretur ſcitanti, Olivetanæ Familiæ adſcriptum eum eſſe repoſuit. Tùm coram loci Antiſtita, ac Maria Ægyptiaca de Afflicto Franciſcus; *Bono*, inquit, *animo ſis Conſtantia: neque enim occumbere Fratrem dolebis*. Mox vaticinii

cinii loco dictum illud acceptum ab iis iri ſuſpicatus, lepidis hiſce verbis tegere illud ſtuduit; *Videsis: Religioſæ Familiæ addictus Frater eſt: id genus homines verò haud unquam occumbunt.*

Nihil ſe cogitare, nedum agere, quod abſentis licèt Franciſci ſagacitatem effugeret, experta non ſemel Aſcetria quædam eſt, quæ ipſum ſibi Religioſæ vitæ Ducem, atque Præceptorem delegerat. Primò enim ab alia ejuſdem Parthenonis Virgine mordacibus dictis quodam die laceſſita, irrogatam ſibi injuriam nihilò aſperis minùs verborum aculeis ulta erat. Cum ecce ad eam ex improviſo Franciſci literæ, quibus ſe aures in poſterùm ei confitenti minimè præbiturum ſignificavit. Miranti porrò, &, cur præter morem humaniſſimus cæteroqui homo ità ſtatueret, ſcitanti; *At verò* (præcipitis ejus iræ Divino admonitu conſcius ità reſcripſit) *pravos hoſce affectus in ea, quæ mihi Filiæ loco eſt, vivere penitùs veto: compeſci proinde ab ea iram ita cupio, ut convicium convicio rependere nefas exiſtimet.* Præter hæc, cum Cœleſtium rerum Meditationi antelucanis hanc vacare horis ipſe juſſiſſet; quod ex nimio anni calore ſuperinducere cæteris veſtibus Regularem Habitum pertæſum eam eſſet; his verbis è Pœnitentiæ Subſellio vix ſalutatam increpuit; *Piæ commentationis tempora Sacro Habitu induta debinc tranſigas oportet: ſecùs ſi faxis, ſalubribus in te excurrentem rivulis Divinæ Beneficentiæ fontem intercluſum ibis.* Levem verò hanc noxiam Deo, ac ſibi duntaxàt notam apertis adeò verbis cum à Franciſco exprobrari hæc miraretur; occultiſſimas item animi ſui latebras nec ipſum latere paulò poſt intellexit. Franciſci ipſa juſſu, cum manè quodam Euchariſtico Epulo abſtinuiſſet; animi voto, re cum non poſſet, Cœleſti Menſæ accubuit. Ejus interim animo hæc haud ſatis cautè vitata cogitatio obrepſit; non alienum ab eo tempore fore, ſi ſe denegatæ Divinæ Dapis apprimè cupidam, perinde ac Virginem olim Catharinam, ſuâ Chriſtus Soter præſentiâ recrearet. Eam verò in id genus cogitationibus paulò oſcitantiùs verſatam fuiſſe, patere ſibi, ubi primùm ad eam acceſſit, hoc dicto luculentiſſimè prodidit Franciſcus; *Tu verò Catharina illo Sancta non es, quam Divini oris ſui præſentia foletur Jeſus.* Qua objurgatione, ad mentis ſui oſcitationem coarguendam nonniſi divinitùs edoctum accedere eum potuiſſe, luce clariùs Virgo perſpexit.

Ean-

Digitized by Google

Eandem in ipso perspicaciam expertam se præterea fuisse à celeberrimo Neapoli Sanctæ Trinitatis Ascetorio testata est Anna Beatrix Spinella, Veliæ, seù, ut vulgò nunc dicitur, *Scaleæ* Principis Filia. Præscriptum sibi quippè in Spiritualium Exercitationum secessu orandi tempus in Contubernalis alterius Ascetriæ gratiam quodam die ipsa contraxerat. Cum rescribentis sibi aliis de rebus Francisci literas aperuit, atque in iis, *Servanda ad amussim orandi tempora esse, nec ullâ unquam ratione coarctanda*, pudore juxtà, atque admiratione perfusa perlegit. Perplexam sese præterea, multisque in rebus hærentem, religionum sæpè nodis ante exsolutam sensit, quàm, quinam animo molesti insiderent scrupuli, Francisco exponeret. Denique cum depositis hæc apud ipsum totius vitæ noxis, nonnullis adhùc animi ambagibus exagitaretur; à tutelari Angelo fidenter expetiit, ut, quando per se ipsa nequiret, absenti Francisco injectos menti scrupulos aperire ne gravaretur. Eas verò preces & valuisse testata est, mœrore nempe omni suâ spe citiùs levata: & patuisse præterea Francisco ex eo conjecit, quòd ubi ad se primùm accessit, in hæc subridens eruperit: *Tutelarem suum Angelum sæpiùs ad me mittere ne dubites.*

Diutiùs vivendi spe abjectâ Franciscum supremis horis ad alloquium extremi solatii loco expetiit Retini, ac Ferentini Dux (a) Antonius Vitalianus. Eum verò ubi Heri nomine Familiæ Aulicus confestim accersitum advenit, hoc se responso dimitti præter morem audit: *Redi jam domum, melior nostrâ hac Ducis conditio est, nec nostrâ indiget operâ.* Quibus ejus verbis cum minimè acquiescens, morientis hominis cupiditati morem gerendum esse, validiùs urgeret Aulicus: *Atqui*, clarè subjecit Franciscus, *Vivere jam Dux desiit.* Fieri id tàm citò potuisse non sine animi horrore excèpit Aulicus. Domum verò regressus, atque è novo morbi accessu obliisse ægrum Ducem nactus, id, quod res erat, agnovisse Franciscum miratus est.

Anno hujus seculi XIII. ineunte, Andriæ dum ageret Franciscus, in Neapolitanâ Tyrocinii Domo extremum in

(a) *Vulgò* Ferrazzano, *aut* Ferenzano: *atque hoc Samnitium Ferentinum fuisse, aut* Florentiolam *Friderici II. Cæsaris morte celebrem, scribit Philippus Cluver. Introduct. Geograph. l. 3. p. mihi* 220.

Digitized by Google

morbum incidit germanus ejus Frater Joſeph Maria de Hieronymo. Monendum eâ ſuper re Franciſcum ſtatim cenſuit Loci tùm Rector Carolus Veſpoli. Ac primùm Nonis Januarii, periculosè quidem, non verò inſanabili ægritudine conflictari Joſephum per literas ſignificavit. Secutâ verò poſt biduum ejus morte, aliis dein literis, VII. Idus Januarii exaratis, amantiſſimum, ut par erat, Fratrem de eâ certiorem fecit. Poſteriori verò hac Epiſtolâ eum minimè eguiſſe, ut exceſſiſſe è vivis Joſephum intelligeret, ex iis, quæ priori Epiſtolæ VII. Idus Januarii pariter reſcripſit, abundè eſt deprehenſum. Patefactum quippè ſibi cœlitùs eodem, quo accidit, die Fratris interitum luculentiſſimis hiſce verbis oſtendit. *Quòd mihi periculoſam Fratris ſui Socii ſtatum Reverentia Sua per literas nunciet, gratias ago. Vicinus ſcilicèt Cœlo eſt, eòque, dum hæc ſcribo, Divinæ Pietatis beneficio eum jam perveniſſe opinor. Jacturæ hujus causâ non me Reverentia Veſtra, ſed ego Reverentiam Veſtram ſoler, neceſſe eſt: quanti enim Joſephum ob naturales, ac cœlitùs inditas ei dotes fecerit, probè teneo. Benedictus Deus: idem omnes iter terimus: illud conficere aliis citiùs, ſeriùs aliis datum. Nec diſpar hæc temporum varietas ullius momenti eſt.* Hæc Andriâ Neapolim, poſterioribus literis nondum acceptis, Franciſcus. Quâ ſanè re de Fratris morte nonniſi divinitùs edoceri eum potuiſſe liquidò conſtitit.

Omnium verò loco disjunctum maximè illud fuit, quod de extinctæ cujuſdam Aſcetriæ ſtatu perſpicuè agnoſcere eſt viſus. Res ità habuit. Hydrope hæc Medicorum judicio inſanabili Neapoli decumbens, accitum ad ſeſe ut vidit Franciſcum, ex inſito vitæ amore; *Fac*, inquit, *citò ut revaleam, Pater*. Ità verò optantem his ſtatim ipſe verbis repreſſit: *Nonne, dic, ſodes, nonne diuturnas Purgatorii Ignis pœnas ægritudine iſthac lubentiùs redimas?* Cum verò ſubituram ſe perquàm libenter mortalis hujus vitæ moleſtias illa repoſuiſſet, modò piacularis flammæ breve ſibi poſt mortem obtingeret ſupplicium; obfirmato ad conſtantiam animo, inter non leves, quibus exercita eſt, morbi ærumnas, quadrimeſtri ſpatio elapſo, è vivis exceſſit. Jam ad Confeſſionale Aſceterii ſubſellium non multò poſt accedens Franciſcus, ſcitari ab earum Virginum unâ cupidè cœpit, Quotus ab ejus ægræ obitu circumageretur dies? Auditoque, vix alterum volvi; *Proh*, inquit, *ingentes*,

no-

Digitized by Google

noſtrâque opinione majores Purgatorii carceris pœnas! Ex, convento mihi brevium pœnarum non ſibi conſtare fidem illa exprobravit Aſcetria: pluribuſque annis eo in ergaſtulo ſe detineri conqueſta eſt. Deus immortalis! Qualibus ibi ſuppliciis contractæ in vitâ labes expiantur! Brevis bidui pœna biennii opinionem excedit. Excidiſſe hæc cautiſſimo cæteroqui homini demirata quidem audiens eſt: reque eo die diſſimulatâ, ubi aliquantò poſt redire ad eum debuit, Quid factum extinctæ illi Aſcetriæ fuiſſet? timidè percontari aggreſſa, ità ſtatim reponentem audiit; *Uno, ac viginti diebus, boriſque inſuper aliquot, expiari eo igne ejus animus debuit: nunc, labe omni detersâ, æternâ Cœlitum voluptate jam fruitur.*

CAPUT III.

Occultarum penitùs rerum mira in Franciſco notitia.

NIhilo verò minori perſpicuitate occulta plurima, quæque ſagacium etiam hominum diligentiam effugerent, & agnoſcere, & prout res tulit, palàm in lucem aſſerere eſt viſus.

In Æde, quæ ad egenas, ac tenuiores puellas alendas erecta, *Sancta Maria viſita pauperes* nomen Neapoli habet, in Deiparæ Virginis, à Monte Carmelo nuncupatæ, obſequium Alexander Saracenus Sacerdos feſtam pompam maximâ, quâ potuerat, magnificentiâ celebraverat; ipſiuſque præcipuè Magnæ Matris Effigiem commodatis ſibi à locupletibus haud vulgaris pretii gemmis ornaverat. Has dum poſtridie inde detractas Dominis reddendas ſeponere ſatagit, elegantem unionum lineam, paulò oſcitantiùs in perula cum narium linteolo ſervatam, imprudens amittit. Excidiſſe ſibi ſuæ commiſſum fidei monile vix deprehendit Sacerdos; cum furto illud ſublectum ſuſpicatus, imploratâ anteà ipſius Deiparæ Virginis ope, Franciſcum anxius adit, rogatque, ut amiſſæ lineæ mentione ſuis in Concionibus injectâ, certâ ſtrenæ ſpe ejus jacturæ conſcios ad reddendum alliciat. Uti ſe facturum receperat, ità præſtitit actutùm Franciſcus: dumque in Foro Arcis Novæ

Digitized by Google

non indonatum eum abiturum promulgat, qui uniones Domino retulerit, hæc ſtatim ſubjicit: *Illud in hac re me vehementer angit, quod furti hujaſce reus præſens hæc audit quidem; obſirmato tamen ad fraudem animo, anxii Sacerdotis dolorem, ac jacturam nihili facit, nec tanto ut ſe crimine liberet, animum inducit*. Et ſe, & animi ſui conſilium Franciſco patuiſſe exhorruit, qui revera Concioni aderat, ſubreptorum unionum reus: mutatoque in diverſum animo, ſtatim à Concione, quo ſe adſtrinxerat, furtum Franciſco aperit. Pro redditis verò unionibus quanquàm nihil ei redonandum in ipſa criminis cognitione jam renunciaſſet Franciſcus; liberandæ tamen ſuæ fidei cupido Sacerdoti ut faceret ſatis, collatam ultrò ſtrenam expiato jam, ac de vitâ rectiùs inſtituendâ admonito homini impertire haud recuſavit.

Capreis (Inſula hæc eſt Neapoli obverſa, Tiberii Cæſaris turpi olim otio, ac deliciis celebrata) Capreis, inquam, Theodoram Paganam inſuetus, idemque violentus corripuit morbus. In altero enim crure diductum ulcus nigrorem, in toto verò corpore eum tumorem effecit, ut monſtro ſimillimum videretur. Acceſſit cruris ulceri Eryſipelas; nihil ut jam à domeſticis ſperari minùs poſſet, quàm ex lethali id genus tabe ægram revalituram. Capreis per id tempus Franciſcum morari fors tulerat. Quare ad ſororis ægræ ſolatium accerſitum eum adiit germanus Theodoræ frater Nicolaus Paganus ejus Diœceſeos Archidiaconus. Accitus perrexit, ægrâque benè ſperare juſſâ, Sancti Cyri reliquias non ulceri, ſed ſuperiori parti inter preces adhibuit. Cumque minùs rectè eum facere Fratri videretur, hominemque proinde de ulceris loco admoneret: *Haud ità*, reſpondit ſtatim Franciſcus, *hìc verè Eryſipelas eſt, hujuſce morbi fons, & origo*. Nec falſum animi eum fuiſſe felix probavit eventus: poſtero enim mane, obducto in totum ulcere, ità morbus evanuit, ut domi liberè incedere deplorata paulò ante Theodora valuerit.

Vivacem nondum ſibi obtigiſſe ſobolem, pluribus jam in infantia liberis amiſſis, Hippolyta è Cantelma ſtirpe illuſtris Matrona (1) Amphiſſiæ in ulteriori Calabria Princeps anxiè, eò-

(1) La Rocella; *teſte Barrio*.

eòque magis dolebat, quòd opulentæ, ac Patriciæ Familiæ masculum enixè optaret hæredem. Voto proinde hæc suo Francisci precibus nec semel commendato, id unum sibi reponi continenter audiit: *Sui quidem voti compotem eam fore; habendæ verò sobolis tempus nondum appetiisse*. Appetiit tandem; cumque difficile puerperium Matrona metueret, adesse sibi partionis horâ Franciscum voluit: qui infelicis nixus labores miseratus, precibus intermissis, oculisque in Cœlum erectis; *Quin matrem*, inquit, *molestiâ eximit, nec dum in lucem prodit masculus hic Infans?* Vix hæc Franciscus; cum partu solutam, enixamque jam marem Matronam esse tota conclamat Domus. Hunc verò ipsa sacro è Fonte à Francisco susscipi, atque in clientelam recipi voluit, quippè quem ejus duntaxat precibus acceptum referret.

Emmanuela Caracciola, Joanni Pignatello Montis Calvi Duci recens nupta, Sobolis, quâ tenebatur, cupiditatem Francisco olim exposuit. Subridens huic ipse de more; *Quod*, inquit, *tantoperè expetis, tibi cœlitùs datum ex animo gratulor. Tua nempè vota prævertentis Dei beneficio masculæ prolis Mater jam es. Nascituram interim infantem Cyrum ut appelles, vicissim rogo*. Primo nuptiarum mense Franciscum ità non ex vano dixisse decimus mensis ostendit. Enixa enim marem nobilis Fœmina est, cui, prænunciati à Francisco partus apprimè memor, Cyri nomen inditum voluit, ne homini majora votis pollicito exhibitum, quod cuperet, Sancto Cyro obsequium denegare videretur.

Non obscuris natalibus homini, quem domo aliquando abesse loci cujusdam, quam susceperat, cura coegerat, quòd uxorem redux puerum enixam comperisset, ejus fides, ac pudor in suspicionem venerant. Jamque intemperiis actus mucrone stricto necem utrique intulisset, ni præcipiti fugâ dilapsa domo mulier & suæ, & legitimo partu susceptæ infantis vitæ, atque innocentiæ apud consanguineos consultum iviſſet. Injuriâ porrò virum ad immane adeò facinus impelli, maturè supputata tùm ejus absentiæ, tùm puerperii tempora satis evincere videbantur. Quare ut molestiam super eâ re Uxori facessere, sibique, ac familiæ eam notam inurere desineret, multis hortari hominem consanguinei juxtà, ac domestici satagebant. A conceptâ temea violatæ fidei opinione, nec consiliis, nec precibus de-

Digitized by Google

deduci unquam potuit. Imò plurium rogatu conatus idem Franciſcus, ab irato homine haud quicquam impetrare melius valuit. Difficillimo proinde in vado miſeræ Uxoris famam hærere conſpicatus, Divino mentis afflatu eam cum recens edito infante ad Viri domum accedere protinùs jubet. Mox arreptum è fœminæ brachiis puerum adulterii ultionem coquenti adhùc Viro oſtentans; *Hem*, inquit, *pulcherrimum, eundemque tui ſimillimum, quem tua tibi Uxor peperit, infantem! In ejus te amorem naturæ, ac ſanguinis communione propelli ecquid experiris?* Improſperè adhùc omnia: nihilò enim placatior, ne oculis quidem in infantem conjectis, ſatis obſequi Franciſco viſus ſibi eſt, quod eum non interimeret. Tùm verò in demitigando ferocientis animo nihil humanæ artis induſtriâ profici arbitratus, converſo in elinguem puerulum vultu; *Tuam verò cauſam tute perores neceſſe eſt, Puer. Age jam, Dei nomine edico, Patris tui nomen ediſſere.* Imperii vim percipere bimeſtris puer viſus. Reſpondere ſiquidem coram præſentibus è veſtigio auditus: *Eccum Patrem*, eumque diductis brachiolis amplecti velle eſt obſervatus. Quàm varios animorum motus in perturbatâ domo prodigium illud exciverit, narrando explicari vix poteſt. Inexpectatis certè iis pueri vocibus perculſus Genitor ad Franciſci priùs, inde ad innoxiæ Uxoris genua provolutus, inconſultæ ab hac ſuſpicionis, nimiæ ab illo pervicaciæ veniam precatus, domeſticis turbis, cum ingenti utriuſque familiæ gratulatione, finem demum impoſuit. Neapoli porrò conſtans adeò admirabilis hujuſce rei percrebuit fama, ut Franciſcum ipſum de eo eventu interrogandum cenſuerit graviſſimus inter nos ſenex Scipio Cacciuttulus. Verùm ab homine factum inficiari minimè auſo non aliàs raptim exculpere voces potuit, niſi conſuetas illas declinandarum hujuſmodi interrogationum causâ excogitatas; *Quid porrò? Nonne majora his aggredi Xaverius poteſt?*

CA-

Digitized by Google

CAPUT IV.

Occultas pariter cogitationes, abditaque animorum consilia introspicit Franciscus.

SEd longè difficilior illa, unique Deo per se debita humanarum mentium cognitio, singulari Cœlestis Beneficentiæ dono exornasse pariter Franciscum est visa. Inopum, ac pœnitentium turbâ circumseptus in pœnitentiæ Tribunali sedebat olim Franciscus. Cum subito animi impetu extrà Sacram Ædem se proripit, ac transeuntem pro foribus hominem quendam resistere ex improviso jubet. Ignotum sibi Sacerdotem imperiosè adeò secum agere eò illi indignius est visum, quòd itineris sui rationem importunè reposci à privato homine haud æquum putaret. Hinc plenis iracundiæ vocibus; *Quid*, inquit, *meæ me res vocent, quid tua refert, Pater?* Cumque nec acerbâ hac responsione repelli à se odiosè scitantem cerneret; odio, ac furore excandescens, probris, & contumeliis in sua explorantem consilia acerrimè invehi cœpit. Tùm verò majores humano spiritus gerens Franciscus; *Ades dum*, ait, *Nonne ex Urbe* (eam nominavit) *armatus ad homicidium perpetrandum hùc advenis? Ita-ne alienæ salutis immemor inimico necem intentas, ut par vitæ, æternæque salutis periculum te adire minimè intelligas?* Patuisse jam ità loquenti ejus, quàm animo coqueret, ultionis consilium in tantum obstupuit ille, ut vix in hæc verba; *Vera narras Pater*, expedire vocem valuerit. Exporrectâ tùm ad hilaritatem fronte Franciscus; *Agesis ergò*, subjungit, *ad criminis pœnitentiam, & confessionem citò advola*. Opimâque eâ prædâ extrà Ædem potitus ad Confessionis Subsellium volentem, atque homicidii pertæsum hominem secum attraxit. Christianaque jam agitantem consilia maturatò in Patriam regredi rité expiatum jussit.

Huic omninò dissimilem infimi cujusdam è fæce homuli pertinacia exitum habuit. E' quodam, quem inviserat, ægro Domum de nocte repetebat Franciscus; cum ad proximam nostris Ædibus.

Digitized by Google

bus Sanctæ Claræ Campanariam Turrim, adventuro veluti mox illùc alicui præſtolaturus, pauliſper ſubſtitit. Nec multò poſt laternâ munitum ſervum quendam à pedibus illàc tranſire conſpicatus: *Benè eſt*, ait, *eccum ipſum: te volebam*. At *Quid mihi tecum?* inſitâ ruſticitate ille repoſuit. Cui Franciſcus: *E' re tuâ feceris, ſi tantiſper hìc mecum ſubſiſtere haud graveris*. Majori verò inurbanitate ille: *At tu æquius feceris, ſi meas me res curare jam ſiveris*. Contrà verò nec aſperis hiſce verbis commotus Franciſcus; *Age*, inquit, *hanc ſaltem à me nunc ineas gratiam, rogo. Domum rediturus, aliam, quæſo, inſiſtas viam*. Meras eum loqui nugas infelix ille homo arbitratus, averſo repentè vultu, inſalutatum reliquit. Neglecti tamen conſilii pœnitere miſerum caput ſtatim debuit. Conſuetâ quippè viâ dum domum ſeſe recipere ſecurus pergit, per paratos in inſidiis ſicarios, repetitis mucronis ictibus confoſſus miſerrimè, &, quod peſſimum mortis genus eſt, nullis expiatus Sacris interiit.

In extrahendo à ſordidæ vitæ cœno homine quodam, diù quidem, ſed fruſtrà laboraverat Societatis Sacerdos Ignatius Iſceri. Ac ne quid intentatum pro ejus ſalute relinqueret, Franciſco ejus calamitatem commendatum ſe contulit. Erectis in Cœlum oculis narrantem audire viſus eſt Franciſcus. Mox breviter exorato precibus Numine; *Ergà hunc verò*, inquit, *quicquid egeris, operam, mihi crede, luſeris, Pater. Eum ſcilicet iratus jam deſpexit Deus*. Cœlitùs edoctum in hæc ipſum erupiſſe ex eventu Ignatius edidicit. Quantumcunque enim conatus, atque induſtriæ in emolliendo perverſi hominis animo poſtmodùm adhibuiſſet; ne hilum quidem ſe unquam profeciſſe teſtatus eſt.

Fratri Angelico, præclaræ Capuccinorum Familiæ Alumno, dein ad Tropeanam in ulteriori Calabria Inſulam ſuis virtutibus meritò evecto, Sacræ cujuſdam Expeditionis munus ſuus impetraverat Moderator. Id homini, in hujuſcemodi laboribus jamdiù ſpontè verſato, quanquàm ex unâ parte haud difficile; affectas tamen, atque impares tunc oneri vires ex alterâ parte æſtimanti anceps, ac dubium viſum. Aliquot proinde dierum intervallo ad deliberandum poſtulato, in id propendebat, ut valetudinem cauſatus ei ſe labori ſubtraheret. Intereà loci in obvium fortè incidit Franciſcum. A quo poſt mutuæ ſalutationis officia ultrò, citròque de more amantiſſimè habita, hæc ſibi

in

Digitized by Google

in aurem ab inscio totius rei homine insusurrari attonitus audit; *Pergamus, & pareamus Pater. Cadent, Deo propitio, feliciter omnia*. Cœlestis veluti responsi loco amicas has voces accepit Angelicus. Valetudinis proinde metu statim depositio, facturum se, quæ Moderator juberet, hilarè recepit. Injunctusque ex Obedientia sacræ Expeditionis labor feliciter ei adeò cessit, ut redintegratâ præter expectationem valetudine inde redierit, undè accisas omninò vires relaturum se fore anteà ominabatur.

Leviori quidem in re æquè perspicuum Francisco animi sui fuisse consilium fassus de se est memoratus alibi Societatis Sacerdos Carolus Vespoli. In adornando enim olim suum in Cubiculum reditu cum fortè in ipsum jam incurrisset, mutato repentè inde redeundi consilio, cum pacatiorem, atque intempestivis nescio cujus confabulationibus minùs obnoxiam aliâ viâ sibi fore eam reditionem duceret, obvium habere Franciscum iterùm debuit. Commutatisque cum eo breviter aliâ super re verbis aliquot, dimitti se ab ipso improvisâ hac laude audiit; *Benè, ac sapienter facis: turbarum pericula cautè propellis*. Id, quod res erat, eo dicto Franciscus aperuit. At inscium suæ mentis hominem acutè adeò rem nullo expressam verbo, nutuve cernere valuisse; id enimverò non admirationi duntaxat, verùm & gravissimo sibi indicio fuisse asseruit, ut mentis arcanorum Interpretem non de nihilo ab aliis eum prædicari jam crederet.

Ex illustri æquè, ac piâ Sancti Philippi Nerii Familiâ Sacerdos quidam Divinæ promovendæ Gloriæ studio incensus arduum admodùm, ac difficilè consilium olim susceperat. Verùm cum, ne in irritum labor caderet, non ex vano metueret; ancipiti distractus curâ, quî providendum rei esset, nondum satis videbat. Adventasse interim in sacram suæ Familiæ Domum aliâ omninò de causâ Franciscum vidit. Quem cum eâ, quâ ergà nostri Ordinis homines ii Patres solent, humanitate, quò vellet, deduceret; Sancti Philippi Nerii, quæ in scalarum ascensu posita erat, Imagine perspectâ, has animo preces tacitus effudit; *Age jam, Philippe, animique me ancipitem per Franciscum edoce*. Vix eas preces conceperat, cum irritas eas non fuisse confestim sensit. Ex abrupto siquidem, ac præter instituti sermonis ordinem, depromptа quædam è Sacris Literis verba

Digitized by Google

pronunciari à Franciſco audiit, quæ in id, quod ipſe animo volveret, ità quadrarent, ut rem totam, quam aptiſſimè explicare, atque acu, ut ajunt, tangere viderentur. Cœlesti proinde lumine imbutum de abditis rerum arcanis tàm aptè eum differere demiratus, ad ejus dictorum normam conſilium examuſſim executus, proſperè ſibi omnia ſucceſſiſſe gratulatus ex animo eſt.

Fraude, & calumniis à quibuſdam ſuæ Ditionis hominibus appetitum ſe fuiſſe loci cujuſdam Toparchæ acerbiſſimè acceperat. Impunè id famæ ſuæ vexatoribus ut ne eſſet, eò crudelitatis exemplo eam injuriam apud ſe ulciſci decreverat, ut calumniatorum hominum aures, ac naſum præcidi juſſurus jam eſſet. Jamque in ſuæ Ditionis Oppidum Neapoli diſceſſurus, adornare profectionem Franciſco inſalutato penitùs noluit. Hunc verò dum valere plenis officii verbis jubet, eumque ſibi, ſuoque itineri fauſtum precari contendit, à ſævo, quod ſuſceperat, conſilio his ſe ab eo verbis abſterreri præter expectationem intelligit; *Prob malè factum, Toparcha: malè, inquam, factum! Chriſtianorum hominum nares, atque aures quiſquam ne mutilare Chriſtianus audeat?* Manifeſtum ſe meditati criminis jam teneri hic primùm exhorruit. Mutatis mox in melius conſiliis, ſe ab eo ſcelere manus temperaturum pollicitus, ad pedum ſuorum oſcula provolutum ut vidit Franciſcum, mirari non minùs ejus virtutem in ejus, quod daret verius, quàm acciperet, beneficii gratiâ referendâ debuit, quàm ad perſpicuam, quâ ipſe floreret, occultarum animi cogitationum intelligentiam anteà obſtupuerat.

Anteactæ vitæ ſordes Pœnitentiæ Myſterio elutum non ſemel iverat Antonius de Roberto; moribuſque jam emendatior in Franciſci ſeſe familiaritatem inſinuaverat. Plurima inde ſibi, & maxima obveniſſe commoda poſt Franciſci deceſſum aſſeruit. Inter quæ illud omninò mirabile recenſuit, quod ex impreſſa ſuæ fronti ab ipſo Cruce derivari ſuaviter è capite in pectus inſuetum quemdam Divinarum rerum amorem expertus fuerit; eâque voluptate illectus nil, niſi Cœleſtia, diù, noctùque meditari, cupidèque in Deum ferri ad plures dies valuerit. Illuſtrari etiam mentem eo attactu ità ſenſit, ut impervias anteà veteris vitæ noxias, veluti in imagine depictas, perſpicuè videret omnes. Quibus cum ſeſe expiandum iterùm alteri à Franciſco

Digitized by Google

ſco Sacerdoti obtuliſſet ; biduo poſt ad eluendas labeculas quaſdam ad Franciſcum regreſſus, nihil à ſe admiſſum in vita fuiſſe deprehendit, quod perſpectum, atque exploratum Franciſco æquè, atque adito antè Homologetæ non eſſet. De introſpectis præterea ab eodem animi ſui latebris hæc memoriæ prodidit. Diuturnis, atque acerrimis expianda ſuppliciis piaculari in igne vitæ crimina eſſe in Concione olim audiverat: conſultiùs proinde fore, ſi longè levioribus, ſponteque ſuſceptis hic pœnis, graviores, qui poſt mortem manent, cruciatus ſummo quiſque ſtudio anteverteret. Salubre id conſilium ne negligeret Antonius, acutis contextam hamulis catellam nudo lateri admovit. Verùm cruciandi corporis inſuetus homo, quòd ſe dolori diutiùs ferendo imparem duceret, eo ſupplicii genere lubens abſtinuit. Ab obvio verò, eodem fortè die, Franciſco ſocordiæ ſe inſimulari his verbis ex inopinato audiit: *Malè verò agis, Antoni, qui levi ferreæ catellæ cruciatu tàm citò te eximis. At verò, me vide, in rem tuam eſt, ſi toleraveris: daturus, ni faxis, pro levibus, quas hìc refugis, poſt mortem criminum Vindici Deo graviores oppidò pœnas.* Dicturo demùm ad ſuos Sodales Franciſco cum idem adeſſet Antonius, ac piis ergà Deum ſeſe interim exercaret affectibus; nihil ſe ſuis ſecum cogitationibus tacitè loqui animadvertit, quod non ab ipſo in Concionis decurſu ad verbum repeti miro conſenſu audiret.

Occultarum animi ſui cogitationum, intimorumque animi motuum agnitione inſtructum probè eſſe Franciſcum ſuo jam ſæpè experimento edocta Gertrudis à Corde Jeſu in Neapolitano Sancti Franciſci Cœnobio Aſcetria, in educatis pariter, quibus præerat, Virginibus demirata idem eſt. Dum enim hac pio ejus alloquio ſimul adeſſe olim juſſiſſet, ſcitari ab iis humaniter cœpit Franciſcus, Num ad Cœleſtes in Aſceterio Nuptias Jeſu Chriſti Amor omnes alliceret? Ac omnibus ad eas ſe cupidè aſpirare pronunciantibus; *Haud ità*, ſtatim repoſu t, *non enim hoc idem ſtudetis omnes*. Inopinato hoc perculſæ reſponſo, cur ità cenſuiſſet, cupidè ab ipſo expetiere nec paucæ. Quibus incunctanter ipſe; *Quam potiſſimùm loquar, animum tanti ſperſi conſulat ſuum, perſpicuè intelligere per ſe jam poteſt. At prob miſeram! Quot enimverò æruranæ extra Aſceterium eam manent, ignorat*. Nonniſi cœlitùs id homini patuiſſe teſtata poſtmodùm ea ipſa eſt, quæ alienas ab Aſceterio cogitationes occultè jam ſo-

Digitized by Google

vens, petitam ſe his verbis fuiſſe tùm demùm animadvertit; cùm incommodum Virum ſortita, plurimis, quas deinde ſubiit, moleſtiis Franciſci Oraculum ad unguem implevit. Longè verò meliora de aliâ ejuſdem loci Aſcetriâ præſenſiſſe Franciſcum eadem Gertrudis narravit. Nihil illi ad vitam ſpei ſupereſſe Medici dixerant. Ad eam proinde extremùm expiandam ipſe accerſitus, poſt auditam noxarum confeſſionem, ad præſentem Gertrudem obverſus, hæc de ipſa Franciſcus: *Ægra hæc Aſcetria ad Pœnitentiæ Subſellium me ut conveniat, tuâ operâ non indigebit, Gertrudis.* Incredibilia loqui viſum vera dixiſſe non multò poſt omnibus patuit. Etenim morbi vi remittente ad Franciſcum adire, animique apud ipſum ſordes eluere omninò incolumis valuit.

Tractandis apud Laniſtam armis filium plùs nimio aſſuefcere cum reſciiſſet Pater; præfervido Adoleſcentis ut caveret ingenio, armatum gladio eum publicè incedere, additis etiam minis, ſeverè vetuerat. Paterno hic tamen imperio fuæ cupiditati poſthabito paciſci de gladio cum Machæropola in Foro jam cœperat. Emiſſetque profectò; ni menſtruam Synaxim ibidem fortè indicturus, refractarium ejus conſilium mirabili ratione diſturbaſſet Franciſcus. Conjectis quippè in procul viſum Adoleſcentem oculis, his Crucifixum Servatorem verbis affatus ex improviſo eſt: *Tuis verò rebus, Jeſu bone, quin caves? Oblongum emere gladium audax quidam jam parat Ephebus, ferroque propediem ſuccinctus per Urbis vias magnificè incedet. Hunc tu Machæropho rum cautè vites, opto, à quo non unus ſcilicet tuo lateri imminet ictus.* Hæc, aliaque ad proximam Synaxim ſpectantia oculis ab Adoleſcente haud unquam detortis Franciſcus. Quibus pervicacem ejus animum ità fregit, ut mutatis in melius conſiliis, nedum Cives, ut antea deſtinaverat, laceſſere, ſed illatas injurias gratiâ, ac beneficio ad Chriſtianæ Legis normam ulciſci aggreſſus deinde non ſemel fuerit.

Ad vetuſtum, ac Neapoli multis nominibus illuſtre Sanctæ Patriciæ Conſtantinopolitanæ Virginis Aſceterium ægræ cujuſdam rogatu, anno labentis ſeculi XIV. cum conſueto S. Cyri reliquiarum annuleto acceſſit Franciſcus. Eamque ex poſitis ibi ad Cœleſtem Dapem adeundam poſt Majorem Aram cancellis blandè ſolatus, ejuſdem magni Martyris pulviſculo, & aquâ de more quidem impertiit; ſed nullâ ei tamen redituræ

vale-

Digitized by Google

valetudinis injectâ spe, de non longinquo exitu, id quod res fuit, eam satis præmonere est visus. Cæterùm exortâ in reliquis Ascetriis exosculandarum earundem reliquiarum eâ occasione cupiditas, in agnoscendis animorum arcanis Cœlesti eum pollere perspicaciâ, Virgini cuidam intelligendum indubiè obtulit. Agnes è Patricio Bononiæ Familiæ sanguine hæc fuit, quæ aliis post alias ad eas reliquias sponte accedentibus in semoto interioris Templi angulo, hæc tacitis cogitationibus versare secum occepit: *Atqui præ majori hac minorem illam, quam pectore Franciscus continenter gestat, admotam mihi lipsanothecam velim: secùs si faciat, illùc ut adeam, adduci equidem nequeo.* Hæc secum duntaxat Agnes: cunctantem tamen, animique adhuc ancipitem æqualium Virginum admonitus, atque exemplum de sententia statim dimovit. At verò vix adeunti, atque in genua provolutæ leniter subridens Franciscus, relictâ majori, quam aliis obtulerat, lipsanothecâ, minorique ex pectore extractâ, atque Agnetis fronti non semel appressâ, quàm subiti eam gaudii ob mutatas ex voto reliquias, tàm ob patefactum mentis suæ arcanum sacri cujusdam horroris, atque admirationis implevit. Altèque adeò ejus animo facti deinde insedit memoria, ut XVI. post anno, in Francisci obsequium testari rem perinde valuerit, ac si ejus oculos, atque animum recentis prodigii novitas, & magnitudo tùm primùm percelleret.

In Neapolitano S. Eligii Gynæceo, cum salubribus quibusdam Franciſci consiliis neutiquam auscultasset Maria Seraphina Lancellotta, ex obortis deinde scrupulis, nimioque animi angore diuturnam corporis ægritudinem sibi contraxisse visa est. Utrique igitur ut morbo consuleret, præ Medicis omnibus Franciscum ad se unum Antistitæ operâ accersendum curavit. Quem cum Socio ingressum alloqui quidem ægra, at non ità liberè potuit, ut animi sui latebras, offusarumque animo religionum causam pro libito aperire æquum censeret. Respondere tamen ita eum sibi toto eo tempore animadvertit, ut non alia dicturum optimè nosceret, si seorsim conventus de animi sui molestiis accuratè ab ipsa edoceretur. Id, ut securiùs postmodùm ageret, explorare ipsa datis ad eum literis brevi post tempore voluit. At non alia ab eo rescribi mirata est, quàm quæ paucis ante diebus coram insinuaverat. Sedatis proinde animi, & corporis

Digitized by Google

poris morbis corrigendam in ſuis moribus labeculam illam ſuſcepit, quam nullis à ſe proditam verbis, perſpectam tamen Franciſco fuiſſe optimè agnoverat.

Franciſcus de Palma Artois, è S. Eliæ Duce Clericali primùm, mox Societatis Militiæ adſcriptus, de cujuſdam rei ſibi æquè, ac Franciſco ignotæ exitu admodùm ſolicitus, adeundum ſibi ipſum cenſuit, ut à pii, quem colebat, hominis verbis, quo tandem loco ea res eſſet, ſi minùs explorare, certè conjicere prudentiùs poſſet. Perſpectam verò homini totius rei ſummam jam eſſe demiratus eſt ſtatim. De ſemotâ quippè, humanaque cognitioni omninò impervià re non aliter diſſerentem audiit, quàm ſi verſatam ob ejus oculos totam fuiſſe contigiſſet. Hinc ubi ex voto fluxiſſe omnia accepit, diſertè adeò de occultiſſimâ re locuto acquieſcendum eſſe initio exiſtimavit. Sed tamen, ut non leviter anteà ejus animum eâ momorderat curâ, ità remordere vel invitum paulò poſt vehementius cœpit; ac, Num eâ felicis eventus denunciatione adulari ſibi pro ſuâ humanitate Franciſcus voluiſſet? anceps hinc inde animo diſtrahi. Cum hæc agitanti novam, eamque uberiorem admirationis materiem inexpectatum Franciſci dictum ſuppeditavit. Ad ipſum enim ægrum officii gratiâ inviſendum ingreſſus, ſubortas animo ſuo dubitationes divinitùs ei ſuboluiſſe deprehendit. Mutuæ quippè ſalutationis officiis vix utrinque tranſactis, hæc ad ipſum ex improviſo Franciſcus; *Me vide, Dux: quantovis me pretio ad mentiendum haud quiſquam adegerit*. Quo ſanè dicto, quàm alta ejus mentem occultarum rerum notitia imbueret, tacitus ſecum conjecit, quem nempè ne temerè quidem intruſæ animis ſuſpiciones effugerent. Animi præterea ſui ſedandis moleſtiis ſalubrem Franciſci non minùs vocem, quàm manum alio die ſenſit. Triſtiſſimis enim olim vexatus curis, nec ſui ſatis jam potens, mœrorem ſi minùs abſtergere, ſaltem eo adito levare tentavit. Nec fruſtrà: ejus enim manu vix fronti appreſsâ, mœſtitiam illicò ſubsidere omnem, reddique eo attactu placidiſſimam animo tranquillitatem expertus eſt.

CA;

Digitized by Google

CAPUT V.

Vitæ, vel Mortis prænunciata Ægris Eventa.

SI quâ verò aliâ in re Divinus hic Vaticinæ mentis afflatus in eo eluxit, in Ægris certè invisendis, atque in prospero, vel tristi morborum exitu examussim prædicendo singularis adeò passim est habitus, ut præ ejus dictis Medicorum ex arte responsa nihili esse debere, frequentibus experimentis condidicisse jam quilibet videretur.

Utque hac in re à Nostris incipiam: In Collegii Neapolitani Ephebio Rhetoricæ facultati operam dabat Franciscus de Uva domo Capuanus. Ad hunc ex lentâ, ac diuturnâ febri paulatim contabescentem accessit Franciscus; ægrique cognomen scitatus, ex ipso recuperandam ejus valetudinem arguto prænunciavit joco; *Quid enim?* inquit, *Immitis adhuc hæc Uva est; nondum maturuit.* Lepidè, sed verè ità eum dixisse non abacta solummodò morbi vis edocuit, sed spe longè major restituti Adolescentis incolumitas. Studiis quippè jam omnibus absolutis, obeundis nostri Ordinis muniis operam navat.

Ejusdem præterea Collegii Administrum Januarium Guanciale gravis ægritudo viribus destitutum diù lectulo affixerat. Adiit hunc Franciscus; *Ac die*, inquit, *Dominico ad audiendas in Domus Professorum Æde Confessiones accedas volo.* Majora sibi viribus imperari secum reputavit Æger: quî enim è Cubiculo, nedum è Collegio, pedem efferret bimestri morbo, ac longo pharmacorum usu debilitatus? Vix verò dicta diluxit dies; cum arcano quodam impulsus ad surgendum è strato, atque ad Professorum Domum petendam incitari sese expertus est. Accessit, aures confitentibus præbuit, laboremque ipsum prostratarum anteà virium non tenui incremento sibi fuisse testatus, redditæ valetudinis beneficium, Francisci seù imperio, seù vaticinio acceptum retulit.

In idem Collegium Decembri mense, anno hujus, quod labitur, seculi XIII. vocatus se contulit. Ibi Victorium

Ame-

Digitized by Google

Amedæum Languſcum Vercellenſem Hecticâ febri lethaliter laborantem nactus, ad vitæ exitum ſeſe ut pararet, admonuit, Quo acerbo nuntio perculſus Adoleſcens, teneri ſe quidem vitæ cupiditate profeſſus eſt; id tamen non aliò collineare, niſi ut ſuſcipiendis pro Dei Gloriâ laboribus ſe totum impenderet. Fruſtrà verò hæc vota eſſe, ſubdidit ſtatim Franciſcus; *Cæleſtem enim Patriam*, inquit, *tute jam cogites neceſſe eſt*. Divino admonitu hæc ab eo dici arbitratus Æger, abjectâ diuturnioris vitæ ſpe, breve illud, quo ſuperſtes fuit, ſpatium Cœleſtis Patriæ recordatione recreatus tranſegit.

Nihilò verò minora ea ſunt, quæ in noſtrâ Probationis Domo præſagiit. Lethali ibi oppreſſus morbo jacebat Leo Lucas Potentia Vibonenſis, ſpei non mediocris Tyro. Huic ut adhibitis Sancti Cyri reliquiis opem allatum accederet, Franciſcum rogavit Carolus Veſpoli Tyrocinii Rector. Futurum quid Tyroni eſſet præſenſiſſe jam ipſum illicò patuit. Ægri enim vicem anxiis ejus Domus Patribus, eo nondum adito; *Atqui*, ſtatim ipſe repoſuit, *maturum ut fructum ſibi Agricola decerpat, optimum id factu eſt*. Ipſum deinde ægrum non aliis allocutus eſt verbis, quàm quibus è corporis cuſtodiâ, ac vinculis evolandum ſibi citò ad Superos eſſe intelligeret. Quo quidem Franciſci alloquio in tantùm profecit Adoleſcens, ut, vivere-ne mallet, an mori? requiſitus; *Mori ſe malle*, promptè reſponderit. Nec ab optatâ morte ſe abeſſe non ità poſt multò expertus reapsè Leo Lucas eſt.

Geminum huic penè, quod Blaſio Tarſiæ Cuperſanenſi egregiæ indolis, optimæque ſpei Adoleſcentulo ibidem accidit. Lethalis huic morbus cum vitæ periculum intenderet, ei ut occurreret, idem Tyrocinii Rector Franciſcum per duos è Noſtris rogatum miſit, ut ad decumbentem accedere ne gravaretur. Aberat tùm Domo ipſe; verùm à quonam acceſſeretur in reditu vix audiit, cum perſpectam ſibi rem omnem eſſe his prodidit verbis: *Ità eſt; ad ægrum Tyronem ſuum me Rector vocat. At quid facias? Optimum hunc Ephebum Deipara Virgo ſibi præ cæteris oppignerat*. Vocanti tamen Rectori ut faceret ſatis, acceſſit tandem; ægroque Sancti Cyri reliquiis benè precatus, ut Divini Numinis arbitrio animum aptaret, paucis ſuaſit: nec diù apud eum moratus, aliò divertit. Actum de ejus vitâ jam eſſe hinc ſtatim conjectum. Cæterùm tenaciter

adeò

Digitized by Google

adeò ægri animo hominis adhæsere dicta, ut, quoad loquelæ usum retinuit, illud identidem repetere audiretur: *Dei voluntas ex integro fiat.* Magnam huic Matrem supremis vitæ horis videndam se objeciſſe ex non levibus indiciis in ea Domo increbuit: ab ea proinde ad Cœleſtem Aulam eum vocari non de nihilo Franciſcum dixiſſe eſt judicatum.

Nihilò his meliora à Franciſco auditurum, longè deteriùs ægrotantem Tyronem alterum, Joannem de Marino domeſticæ operæ Adjutorem idem putabat Rector; præſertim cum quotquot fabuloſam illam Pandoræ Pyxidem implere dicuntur Peſtes, in hujus perniciem eodem ſe tempore exoneraſſent; Febris, Eryſipelas, Angina, Parotis. Certior tamen de his factus, nihili ejus morbum fecit Franciſcus: inviſumque vix ægrum, bono animo eſſe juſſit, utpotè propediem convaliturum. Quæ ſanè non temerè prolata ab ipſo fuiſſe, ſecuta paucis poſt diebus Ægri ſanitas, ac ſuperſtes etiamnum vita ſatis oſtendit.

Bis, disjunctis temporibus, ægrorum causâ ad Clericorum Regularium Sancti Pauli inſignem Domum accerſitus pro ſuo erga eum Ordinem obſequio, ac benevolentiâ libentiſſimè acceſſit Franciſcus. Ac Patribus de ſui Cajetani Caraccioli graviter decumbentis vitâ admodùm ſolicitis, parùm læta prima ejus aditio accidit. Etenim poſteaquàm cum Ægro breviter, ac perpaucis egit, ſuas oſculari manus eum contendentem, arcendi à ſe officii ſpecie, ità propinqui exitus in ipſo diſceſſu admonuit; *Uſque adeo-ne*, inquit, *demiſſè mecum agis, Pater? At, ſapiens ut es, prodeſſe hæc ad Æternæ Vitæ regionem profecturis optimè intelligis.* Conclamatum Caraccioli vitæ jam eſſe ex his verbis conjectum. Nec temerè eam in ſententiam itum ſecuta ex eo morbo hominis mors patefecit. Contrà verò ſucceſſura proſperè omnia Joanni Baptiſtæ Sartonio Ariminenſi, Theologiæ ſtudiis inter tertiæ Claſſis Juniores addicto, alio die ibidem præcinuit. Deſperatam hujus vitam procul dubio eſſe celeberrimo Neapoli Archiatro Friderico Menino viſum jam fuerat. Sed eum tamen vix primò viſum Franciſcus ſecurum ab eo metu agere ſtatim juſſit, ex ejus morbi periculo utique revaliturum. Poſt quæ, Sancti Cyri aquâ ad declinandum vaticinii plauſum ei de more porrectâ, bonæ ſpei plenum, ac ſoſpitem, prout res fuit, propediem futurum reliquit.

Digitized by Google

Æquam prætereà ſibi admirationem conciliant, quæ pluribus in Aſceteriis edidit in eodem genere vaticinia. Celebre Neapoli eſt à præclarâ illâ Virgine Mariâ Villanâ dicatum ſub Sancti Dominici Regulâ Divino Amori Aſceterium, quod plurimas genere non minùs, quàm virtutibus Nobiles Deo Virgines ſacrat. Hùc anno fluentis ſeculi VI. accerſitus Sancti Cyri reliquias Hieronymæ Tuttavillæ graviter decumbenti attulit Franciſcus. Auditoque in Aſceterii veſtibulo, optandam huic maximè vitam eſſe, quippè quæ novi Templi ædificio ſedulam navaret operam; ubi in Ægræ Cellam pedem intulit, coram Deiparæ Virginis Imagine primùm proſtratus, mox erectis ſurſùm luminibus, hæc dicere auditus eſt; *Domus non manufacta in Cœlis*. Vicinum ejus exitum eâ metaphorâ denunciari præſentes conjecere Virgines. Nec eas fefellit opinio: paucis quippè poſt diebus ea mortem oppetiit.

Contrà verò ad Mariam Aloyſiam item Tuttavillam ſexennio poſt accitus, deſperatam licèt ejus vitam edicerent Medici; attamen ſeptimo quidem febris acceſſu eam peſſimè habituram, è morbo tamen convaliturum diſertè pronunciavit. Nec aliter evenit. Supremis enim Myſteriis ritè procuranda ſeptimo illo acceſſu Aloyſia fuit: nec tamen, uti Franciſcus præſenſerat, ei morbo ſuccubuit. Quanquàm non ità priori periculo defungi huic licuit, quin in duplex aliud incideret corporis, animique infortunium. In crura enim ſeſe morbi virus exonerans tumorem effecit, cui ferro maturè occurrendum, ne in Gangrænam abiret, communi judicio jam decreverant Medici. Cum interim, ne vacuus à dolore animus ageret, ad æternæ ſalutis ſpem abjiciendam tetricis, atque anxiis urgeri cogitationibus cœpta eſſet. Utrique verò calamitati in accito iterùm Franciſco præſentiſſimum ei remedium obtigit. Nam injectis animo religionibus, ac ſcrupulis ei vix explicatis, ex applicitâ affectæ parti Sancti Cyri hierothecâ, tùm fœdam illam moleſtarum cogitationum nubem repentè diffiari, tùm detumeſcere ſtatim crura experta eſt, atrâ tantùm maculâ in iis relictâ, quæ depulſi cœlitùs morbi fidem veluti faceret. Cœleſtis prætereà cujuſdam doni compotem eam poſtmodùm fore eidem prædixit Franciſcus. Quo ipſa ſe cumulatè potitam fuiſſe in Vatis ſui commendationem teſtata eſt, quanquàm beneficii genus ſupprimendum juſtis de cauſis duxerit.

Nihi-

Digitized by Google

Nihilò verò minùs mirabile illud fuit, quòd in idem Aſceterium ad graviſſimè ægrotantem VIII. hujus ſeculi anno evocatus, non in hujus, ſed in ægræ alterius Conclave ſe ſponte intulit. Atque admonitus, non huic, ſed alteri longè periculoſiùs decumbenti utiliorem ejus operam fore; *Non ità eſt*, repoſuit; *hæc opis indiget, non illa*. Quocircà hanc viſere prius voluit, nec niſi expiatam reliquit. Non incaſſum verò ità ipſum egiſſe ex eo patuit, quòd hæc, cujus vitæ timebatur minùs, loquelæ uſu ſtatim deſtituta, præter omnium expectationem, extincta poſtridiè eſt, nullo alio Myſterio procurata præter Homologeſim, cujus peragendæ auctor ei fuerat Franciſcus. Contrà verò è longè pejori morbo altera illa emergens, incolumis, ac ſoſpes Oraculi totius fidem implevit.

His affinia Franciſci vaticinia memorat dicatum Virgini Deiparæ ſine labe Conceptæ Aſceterium, Hiſpanæ Nationis Mulieribus Neapoli ædificatum. Lethaliter ibi ægreſcentibus, anno à V. P. MDCCII. menſe Februario Mariâ Cæciliâ de Acugna Bracamonte, & Mariâ Bernardâ de Torres, ad priorem Medicorum ſententiâ morientium Sacris jam ritè muniendam ingreſſus, Sancti Cyri Lipſanothecam ejus ubi fronti appreſſit, *Revaleſces*, inquit, *Cæcilia: nunc quinque horis ſomnum cape.* Et quinis reapsè horis in placidum hæc ſoporem reſoluta, opinione celeriùs, morbum diſcuſſit. Alteram verò ut ante diſceſſum inviſeret, rogatus; *Minimè verò*, incunctanter repoſuit, *alteram hanc quippè Cœlum ad Coronam expectat*. Nec vana eum præcinuiſſe ſecuta paulò poſt pia Bernardæ mors comprobavit.

Tribus præterea ejus, eodem die, vaticiniis memorabilis in Sanctæ Mariæ à Solitudine Parthenonem, quod Neapoli in Æglæ Regione eſt, ejus ingreſſus extitit. Primò enim Magdalenæ Platæ loci Antiſtitæ è præcipiti lapſu lethaliter laboranti ſacratam Sancti Cyri reliquiis aquam ut præbuit, propediem convalituram eam fore prænunciavit: nec Vatem ſucceſſus vanum habuit. Duas etiam ibidem educatas Hiſpanas Nobiles Virgines adiit; Joannam Ordognos continenti febre conflictatam, & Joſepham Garziam acerrimo auris dolore jamdiù laborantem. Ac porrectis illi Sancti Cyri floribus, febris ſtatim evanuit. Hanc verò doloris expertem fore prædixit: puellares tamen ut mores dediſceret, morboque monitore ad augendam

Digitized by Google

pietatem proficeret, incognitæ sibi puellæ noxiis cœlitùs duntaxat perspectis, seriò admonuit.

Neapoli item in Collegio Sanctæ Mariæ *ad Secula*, ut vulgus vocat, confracto è lethali prolapsione poplitis osse Candida Mariâ ab Immaculatâ Conceptione anno circumacti proximè seculi XCVI. adducta eò jam erat, ut morbo insuper articulari, ac febri acriore correpta, Medicinæ Professorum judicio, ab interitu proximè abesset. Securam hanc à metu agere jussit Franciscus. Imò cum ex eo morbo eam minimè interituram coram plurium Virginum cœtu pronunciasset, incredibilia quidem loqui iis visus fuerat; nihil tamen à vero alienum dixisse remittens sensim febris edocuit. Jam, quæ confracto ossi fomenta adhibuerant Medici, cum ne minimum quidem procedere Candida perspexisset; hoc saltem à Deo sibi impetrari supplex cupiit, ut nimirùm bacillo innixa moliri sese per Collegium posset. Cui statim Franciscus; *Post annum nec bacillo firmandis gressibus indigebis. Hujusce item Collegii Præfecturâ donaberis*: aliaque mox subdidit non pauca, quibus ad futuri muneris ritè obeundi rationem Ægram instituit. Omnia verò ex præsciâ futuri mente eum enunciasse firmavit eventus. Triennio hæc Antistitam, dein Vicarias Antistitæ vices undecim annis eo in Collegio incolumis gessit.

Æquè verò perspicax in aliorum extrà Religiosas Domos ægritudinibus hominis prænotio apparuit. Triennem puerum Stephanum de Marinis, Sancti Gervasii Principem, *Gentiani* Marchionis Filium, eò Coryzæ morbus adduxerat, ut extremos penè anhelitus duceret. Franciscum ità laboranti præstò esse voluit Mater. Quam ipse vix Aulæ vestibulum ingressus ut vidit; *Nil*, inquit, *est, cur animum despondeas: bono animo sis; revalescet Infans*. Eum porrò Sancti Cyri lipsanis de more vix tetigit, cum obversis in eum oculis infans, subortâ repentè tussi, ingentem pituitæ copiam, unàque tabem omnem è pectore ejecit. Id solicitæ Matri (uterumque extremo jam mense ferenti, agentisque animam puelli aspectu idcircò, prohibitæ) gratulari statim voluit Franciscus: sed novi vaticinii plena hæc ipsa gratulatio fuit. Ad eam quippè ingressus; *Euge*, ait, *Matrona: sospitem tibi Filium Clemens indulsit jam Deus: virili mox alio fœtu sua in te beneficia cumulabit*. Lætissimi Oraculi fidem postera implevit dies: eâ enim die marem ipsa alterum in lucem edidit,

Digitized by Google

edidit, quem, impoſito Caroli nomine, luſtrali Fonte expiatum à Franciſco voluit, quò reſtituti juxtà, ac dati pignoris beneficium duplici ejus Oraculo acceptum ſe referre eo officio proderet.

Lethali correptum morbo anniculum Infantem Antonium Caracciolum, Medicis omnibus valere juſſis, unius Franciſci operâ curari poſſe in animum induxerat mœroris æquè, ac fiduciæ plena. Mater Tereſia Pinto Capycia Bozzuta, Atinæ Princeps, ac Brienſæ Marchio. Nec rogatus deſtitutum jam viribus puerum viſere detrectavit Franciſcus. Imò contabeſcentem nimio gemitu Genitricem nactus, conſueto ſibi lepore, ac joco, *Muſicam ne ſatis calleret?* hilarè percontatus ab ipſa eſt. Cui cum ad luctum, non ad modulationem ſe invitari illa reſpondiſſet: *Imò verò*, ſubjecit, *nunc, ſi unquàm aliàs, canendum eſſe pronuncio. Perge jam, & reſtitutam huic Infanti vitam modulato aliquo carmine jam lætior gratulare. Viden? Jam revaluit.* Et verò ſanitatem tùm quidem brevi tamen poſt tempore eidem puero mortem præcinuit. Rubentibus enim puſtulis oppreſſum, ut vidit Mater, non alia ab accerſito iterùm Franciſco audiit, niſi Summi Numinis conſiliis obſequendum ex animo eſſe: gratulandum puero, quem in Cœlum jam Deus evocaret. Jacenti mox puero, Angelicam Salutationem ex integro ut recitaret, voce ipſe præivit. Conceptis etiam verbis repetere ſtrophen illam juſſit: *Maria Mater gratiæ &c.* Ex quibus cum imminens Filio lethum prænunciari jam cerneret Mater; animi præ dolore impos; *Eheu*, inquit, *certiſſima jam Nati jactura eſt! nec te luctu obſitæ Matris ut miſereat Pater?* Cui ille; *Bona verba quæſo: nec terræ incolam eſſe nequidquam cupias, quem Cælo deſtinat Deus. Quid porrò? Ejus ne vicem doleas, quem Innocentium agmini adſcribendum in Cœleſti Sede eſſe jam ſcias? Si ſapis, Filio in Supremi Regis Aulam properanti tantam felicitatem ne invideas Mater.* Porrò ne laxas dolori hæc habenas permitteret, mollis hæc Franciſci objurgatio effecit. Certè ejus dictis demitigata, & maternis imperare affectibus, & Filii orbitatem, quâ debuit conſtantiâ, ea poſtmodùm toleravit.

Pro duobus item Filiis è Patriciâ Afflictorum Familiâ, quos ægros dolebat, ad Franciſcum, qui preces expoſceret, Aulicum cupidè miſit Illuſtris Matrona *Scanni* in Pelignis

Prin-

Digitized by Google

Princeps. Ac lætum quidem reſponſum referre ea viſa eſt: Quid enim acerbi ſub integro ejus verborum contextu latitaret, ne ſuſpicari quidem, niſi fecutâ alterius filiorum calamitate, ſatis valuit. Renunciari Matronæ ſuo nomine juſſit Franciſcus; *Bono animo eſſet; neque enim ei liberorum causâ dolendum eâ vice fore*. Ac revaleſcente reapsè utroque Filio, impletum ipſa ex voto vaticinium eſſe jam reputans, ad ejus verba ſolertiùs expendenda, ne minimam quidem curam adjecit. Elapſis porrò aliquot deinde annis, dum in itinere Filiorum alter nimiis tumentem aquis Vulturnum amnem Ciſio trajicere imprudentiùs audet, gliſcentium vehementiùs undarum impetu demerſus miſerrimè interiit. Ad hunc verò luctum ſeſe *alterâ hac vice* reſervatam fuiſſe, vetus Franciſci Oraculum mente dum refricat Mater, duriſſimæ calamitatis eventu admonita probè intellexit.

Thomam Carafa, Virum Patricium, Chriſtianâ non minùs pietate, quàm generis nobilitate Neapoli conſpicuum ad extremum vitæ diſcrimen ingraveſcens morbus adduxerat. Sancti Cyri huic lipſanis opem ut Franciſcus ferret, expetitum acceſſit filiorum natu maximus Marcellus. At verò ſibi ad piſcandos Sacrâ Miſſione animos eo tempore deſtinatum, id minùs licere, comitate, quâ debuit, reſpondit Franciſcus. Ulteriùs rogantem verò, quod caput eſt, his verbis dimiſit: *Optimo Parenti Thomæ hoc veſpere neceſſarius haud ero: cras verò nec meâ, nec ullius operâ indigebit*. Dictis reſpondit eventus. Quartâ noctis horâ egregius Vir conſonam piæ vitæ mortem, præter omnium expectationem, oppetiit.

Operam in ſe curandâ Medicos ludere conſpicata Agnes de Carluccio, aut nullâ, aut unâ Franciſci ope revaleſcere ſe è morbo poſſe in animum induxerat. Ejus proinde alloquio ſe fraudari ne doleret diutiùs, ægræque ut faceret ſatis, rogatus tandem eam inviſit Franciſcus. Ac timidos, lacrimiſque perfuſos in ipſo domus aditu ejus nactus Domeſticos, lætis adeò dictis eorum mœrorem abſterſit, ut benè de ægrâ ſperandum eſſe jam inde ab alloquii initio interpretarentur. Sed tamen quò tanta hominis eo die hilaritas tenderet, ex his ejus verbis ſtatim intellexere; *Quæ tanti*, inquit, *gemitus cauſa eſt? Ad Cœlum quòd properet Angela, ſolatii id ſanè, non luctus materies eſt*. Ad Ægram dein ingreſſus, Sancti Cyri lipſanis ei benè precatus, iiſdem

Do-

Digitized by Google

Domeſticos dictis ſolatus diſceſſit. Vix verò è ſcalis deſcenderat; cum ex placidiſſimâ, quæ Ægræ obtigit, morte, feliciorem ei vitam non ex vano gratulatum ei Franciſcum fuiſſe conjectum eſt.

Nec minùs inſigne alterum hoc in eodem genere mortis vaticinium, Franciſci Antonii Vennitti Regii Conſiliarii teſtimonio æquè, ac ſuperius firmatum. Sceleribus, ac nequitiis obnoxius quidam diù vixerat: gravi tandem morbo admonitus, tempeſtivè ut ſibi conſuleret; Franciſcum, quem ardenter expetiit, interpoſitâ ejuſdem Conſiliarii operâ, non difficilè impetravit. Ad hunc porrò Ægrum ſibi cæteroqui incognitum anteaquàm ingrederetur, hæc in anteriori cubiculo ad Conſiliarium Franciſcus, *Quot iſte errorum ambagibus implicitus vixerit, exploratum nobis abundè jam eſt. Nunc, Divinæ Gratiæ præſidio è cœno emerſus, de corrigendis moribus jam cogitat. Ità animo comparatus cum videatur, æternæ ejus ſaluti proſpiciet, opinor, Deus.* Nec diſſimilibus deinde Ægrum ipſum ſolatus verbis, poſt eum diù auditum, ut ſeſe ad vitæ exitum benè paratum haberet, ſedulò præmonuit. Ejuſque ille ſalubribus auſcultans dictis, paucorum dierum ſpatio interjecto, poſt edita Chriſtianæ pietatis longè plurima argumenta, non minùs mutatis in melius ad extremum moribus, quàm piæ mortis genere Franciſci vaticinium ex toto implevit.

In eo tractu, qui Surrentum inter, ac Vicum Æquenſem interjectus, *Surrentina Planities* vulgò ab Incolis dicitur, diverſari obiter Franciſcum audiit gravi conflictatus morbo Antonius Auriemma ejus loci indigena. Jamque à nullo præſentius ægritudini ſuæ remedium, quàm ab ipſo, obvenire poſſe arbitratus, infimis eum precibus ad ſe arceſſit. Viſo verò vix Ægro, ſtatim Franciſcus, *Quotus*, ait, *morbi agitur dies?* auditoque, ſextum circumagi: *Macte animo*, addidit, *ſeptimo in totum ſaneſces*. Nec falſa eum dixiſſe ſecuta poſtero die ſanitas planum fecit.

Medentium præſidiis fruſtrà adhibitis, cum ad vitæ exitum magnis itineribus contendere videretur Dominicus Germanus Neapolitanus, ut Sancti Cyri lipſanis benè ſibi precaretur Franciſcus, cupidè expetiit. Fecit haud gravatè ſuo more ipſe; verùm his Ægrum vaticinis admonuit verbis; *Revaleſces quidem; atque incolumis mihi in noſtrâ Ædè te ſiſtes. Videſis tamen,*

Digitized by Google

tamen, ut ſaniora in poſterum conſilia agites: neque enim præſtitum tibi à Deo vitæ beneficium diuturnum fore arbitreris oportet. Dictorum fidem probavit eventus. Proximo, qui illuxit, Dominico die noſtram in Ædem viribus ſatis firmis ſe contulit Æger: quadriennio autem ad ſummum elapſo Cyterii, ſeù *Ceriſani* in citeriori Calabria è vivis exceſſit.

Similia penè Principis S. Martini Aulico cuidam acerrimis doloribus ad motum omnem inepto imperavit, eumdemque brevi adhùc ſpatio ſuperſtitem fore prædixit. Quæ omnia non de nihilo dicta fuiſſe inſperata ejus in noſtrum Templum aditio, ſecutaque non ità poſt multò mors luculentiſſimè oſtendit.

Ad Xaverium Catalanum ſexennem puerum gravi implicitum morbo Patris rogatu acceſſit Franciſcus. Impetrandam puero Sancti Franciſci Xaverii ope vitam cupidè inſtabat Mater, quippè quem bona animi indoles ad Societatis Inſtitutum ſuo tempore impelleret. Tùm verò; *Non ità*, repoſuit Franciſcus, *ad ſeverioris Inſtituti Franciſcanos, non ad Societatem hic ſpectat. Sanctæ Crucis Ædem, quæ propè Regium Palatium eſt, brevi adibit.* Alios nempè liberos vitâ functos illùc humandos miſerat Mater. Hinc alterâ poſt hebdomade tumuli locum præcinuiſſe ægro Franciſcum ſecutus pueri exitus oſtendit.

Levi febriculâ tentari viſus eſt Raymundus è Nobili Familiâ Blanch, tùm veteri neceſſitudine, tùm, quòd in Confirmationis Myſterio ipſum ſuſceperat, Sacræ Agnationis nomine Franciſco cum primis charus. Febrire hunc ex non metuendo pituitæ in pectus defluxu rebatur Carolus Frater Pizonii Marchio (Non longè à Caſſino monte, ac Venafro Urbe Pizonium eſt ſitum). At verò metuendum id morbi genus maximè eſſe, ægrum ut vidit, Fratri confeſtim denunciavit Franciſcus. Verèque ex Pleuritide eum decumbere non obſcuris deinde indiciis Medici deprehendère. Jam dum conſuetis artis præſidiis præſtò laboranti eſſe contenditur, poſt reviſum ægrum hæc Carolo Fratri ſeorſim Franciſcus; *Prob alta, ac venerandæ Dei conſilia! Chriſtiani, ac nobilis Viri partes optimè implebat Raymundus, nec inopum calamitatibus ſuâ ope, atque operâ deerat.* Fraterni ſe funeris admoneri cohorreſcens putavit Marchio, nec eum decepit opinio. Vincente ſiquidem artis, ac naturæ

præ-

præsidia morbi vi, paucis post diebus, uti Franciscus innuerat, supremam diem explevit Raymundus.

Camillum Longum, *Vinclaturi* in ulteriori Principatu Marchionem, Stranguriâ laborantem, Vincentiæ Granaræ Uxoris, ac Beatricis Longo ejus Consobrinæ rogatu invisum accessit Franciscus. Utrique tamen Matronæ, dum Ægri vitam ejus precibus enixè commendant; *Deo Hominum Patri, ac Domino parendum esse*, denunciavit. Pauciſque ex eapsè elapsis diebus, atroci eo morbo confectus Marchio vivere desiit. Contrà verò ab eâdem Beatrice ad Ægrum lethali febre Filium Michaelem de Vicariis Patricium Salernitanum accersitus, post S. Cyri aquam, ac pulverem ei propinatum: *Macte animo*, inquit; *nostram in Ædem, acturus S. Cyro grates quamprimùm te conferes, quin firmandis gressibus cujuspiam operâ indigeas*. Incredibilia sibi prænunciari, suarum virium imbecillitatem æstimans, opinatus est Æger. Sed tamen brevi lanescens, instituto pedibus ad nostram Ædem itinere, vaticinii fidem, contrà quàm rebatur, ex toto implevit.

Quàm verò Michaeli lætus, tàm Ramiro è Rogeriorum Prosapiâ acerbus ruituræ in pejus valetudinis, imò & funeris Vates accidit. Apoplecticus huic stupor dexteri lateris motum abstulerat. Ad accommodandum tamen æquissimis Divinæ Sapientiæ consiliis animum, ut primùm eum invisit, est hortatus Franciscus. Rogantique, ut affectum saltem latus Cruce signare ne gravaretur; *Faciam*, subjunxit. *At si lævi fortè lateris item usuram ademptam tibi Deus velit; hac quoque jacturâ contentus tutè sis oportet*. Quæ non de nihilo ab eo insinuari, paucis post diebus immobilis jam utroque latere æger agnovit. Redire porrò ad hunc per vices cum perrexisset Franciscus, his demùm verbis propinquæ eum mortis admonuit; *Pulcherrimæ, ut video, substructioni suprema propediem imponetur manus*. Mortis eâ se damnari sententiâ interpretatus æger, haud falsus animi fuit. Neque enim ità post multò, ut nobilis fœmina Isabella de Tufo ejus uxor asseruit, supremis piaculis procuratus ad prænunciatam sibi à Francisco Domum, uti sperare fas est, migrare debuit.

Minoris haud esse in hac re hoc aliud Oraculum censeo, quod non modò rem, sed stati etiam temporis certam præsensionem continuit. Consanguineæ sorori suæ, Francisco à Confessionibus jamdiù usæ, supremum ex diuturno morbo diem

Digitized by Google

instare cum certa in speciem proximi interitus indicia præmonstrarent; brevi, quod supererat, spatio, sibi ut ritè consuleret, disertè admonendam censuit memoratus alibi Frater Angelicus Capuccinus, dein Tropeanæ Sedis Episcopus. Sed pari libertate ab eâ se ità refelli attonitus audiit; *Imò verò alia omnia, Frater. Vitæ cur modò metuam meæ, nil prorsùs est. Peregrè ad Sacras Missiones profectus abest hinc, ut vides, Franciscus. Se verò absente me è vivis haud excessuram, discedens ipse pollicitus mihi seriò est.* Vicisse porrò eâ authoritate fretam Sororis sententiam superior consuetis lethi indiciis ostendit eventus. Contrà quàm enim ex prostratis Ægræ viribus jam quisque ominabatur, nonnisi coram regresso Neapolim Homologetâ suo Francisco naturæ eam reapsè, uti fidenter dixerat, concessisse admirationi omnibus fuit.

CAPUT VI.

Quæ in unâ Comorum *Familiâ vaticino spiritus afflatu prædixerit Franciscus.*

SI cui Neapolitanorum unquàm Francisco uti familiariter licuit, Comorum certè id Familiæ obtigit; quæ ut omni ipsum officio prosequi semper studuit, ità singularem ipsius difficilibus in rebus experta pluries benevolentiam est. Nec ulla, opinor, nostrâ in Urbe domus est, quæ pluribus se Francisci, seu Oraculis, seu beneficiis oneratam memoret. Arctæ adeò necessitudini nobilis, ac pia Hispanæ originis Fœmina Eleonora de Acugna Bracamonte, Vasci, Bajanæ, quæ in Puteolano agro est, olim Arcis Præfecti filia, non disparis Viri Agnelli Comi Uxor, viam, ni fallor, aperuit. Conjugalem hæc vitam Consanguineorum jussu potiùs, quàm suâ sponte amplexa, Christianæ tamen pietatis studio Ascetriarum non paucis anteire visa est. Fastum quippè omnem, vitæque delicias pertæsa, intimam cum Deo conjunctionem, effusam in pauperes liberalitatem, animi demissionem, ac modestiam, cæterasque Christianâ Matronâ dignas virtutes singulari studio consectata, in sui primùm admirationem, dein in pietatis etiam imitationem affines, ac domesticos facilè attraxit. Ex

quo

Digitized by Google

quo ſui Homologetæ, ac vitæ Ducis Franciſci peculiarem in ſeſe totique deinde Familiæ profuturam benevolentiam convertit. Jam, ut quæ tùm Eleonoram ipſam, tùm ejus affines ſpectarunt Franciſci vaticinia, vel occultarum rerum cognitiones ex parte delibem; patuiſſe homini, quas animo contraxiſſet, labeculas non ſemel Eleonora deprehendit. Præverti enim ab ipſo ſibi aures præbente non pauca in criminum cognitione animadvertit, quæ vel animo penitùs exciderant, vel in poſtremum confeſſionis locum reſervanda conſtituto à ſe ordine eſſe duxerat. Pervias hinc animi ſui latebras, arcanoſque ſenſus morum ſuorum Cenſori Franciſco eſſe demirabatur. Sed aliis quoque in rebus ſibi poſtmodùm factis miram ejuſdem in præſentiendo perſpicaciam ſuſpicere non ſemel ei obtigit. Eniti Eleonoræ fœmineam olim ſobolem ſine ullo penè puerperii labore res tulit. Lethale id fore portenderunt Medici, nec ſua eos fefellit opinio. Vitatis quippè in partione doloribus conflictari à partu debuit, quos febris, animi defectio, artuumque convulſio violenter adeò comitata eſt, ut ad interitum eam properare ambigeret jam nemo. Accitus proinde ad extremam ægræ ferendam opem ſtatim Franciſcus, nonniſi poſt habitas in compitis feſto eo die Conciones laboranti Eleonoræ præſtò ſe fore reſpondit. Urgentique nuncio, maximo in diſcrimine ægram verſari, maturatòque proindè opus eſſe: *Haudquaquam*: ſubjecit, *differri haud incommodè id negotii poteſt*. Sub veſperum porrò ad ægram, uti receperat, adiens, exporrectâ ad hilaritatem fronte; *Quid turbarum*, inquit, *domi eſt? Quæ importuna iſthæc me accerſendi celeritas?* Ad has hominis voces morbido è veterno excuti viſa ægra eſt: ſibique jam deceſſuræ in difficili eo rerum articulo extremùm aures præberi ſe maximè velle ſignificavit. Cui ſtatim ipſe: *Audiam verò, ac lubens. Te verò hoc potiùs, quàm alio tempore ſiſtendam Deo Judici eſſe, unde habeas rogo?* Mox ſibi viribus deſtitutæ, ac dimidiâ jam parte corporis immobili cum ex alterâ lecti ſpondâ aures à Franciſco dari cupiiſſet ægra; *Nil eſt, cur id faciam*, promptè ipſe repoſuit; *hùc potiùs ad me tute accedas volo. Ebodùm, Dei nomine, hùc te agere ne cunctëris, Eleonora*. Nec ſucceſſu vacuum mirabile hoc imperium accidit: quam enim nullo famularum adminiculo, aut ope moveri ad eam horam potuiſſe dolerant domeſtici, nullâ jam moleſtiâ, aut angore ad alteram lecti ſpondam latus ſponte vertiſſe ſuſ-

Digitized by Google

pexere. A' cujus ſanè rei admiratione, non minùs quàm à futuræ ſanitatis Oraculo adſtantium animos ut, quibus poſſet, artibus averteret, in alias res deflexo ipſe ſtatim ſermone, parere ægram Medicis juſſit, modò in Cœleſtis Medici ope, ac ſubſidio fiduciam, ac ſpem omnem reponeret.

Jàm verò imminentem mortis aleam, non aliter quàm ſubobſcurè innuerat Franciſcus, evaſit quidem Eleonora. Contracta tamen ex eo morbo aurium ſurditas novo hominis Oraculo locum fecit. Certior quippè de novâ ægritudine factus Franciſcus; *In Cœlo*, repoſuit, *aurium uſuram recuperabit Eleonora*. Cujus ſanè vaticinii firma adeò fides fuit, ut peregrè licet quæſitis medentium Alexipharmacis, ipſiſque etiam Franciſci vitâ functi reliquiis pluries adhibitis; eo tamen pertinacis morbi genere ægram levare nulli unquam integrum fuerit.

Sed nihilò minùs mirabilis de natâ eidem Eleonoræ Filiâ alia ejus præſenſio fuit. Hanc à fœmineæ ſobolis partione adhùc recentem pii officii gratiâ inviſens Franciſcus; *Quid hoc?* inquit; *Cœlum-ne novis incolis implere molitur Eleonora?* Dum verò, quò inexpectata hæc tenderent verba, animi anceps ſecum reputat Puerpera, ejus dicti ſententiam callidè ut exploraret; *Meam*, ait, *hanc filiam tuis en precibus commendo, Franciſce. Incolumitatem ei, vitæque ſanctitatem uſque ad ſenectutem à Deo impetres velim*. Sed materno affectu ità loquentem è veſtigio ſugillans Franciſcus: *Prob matrem*, reponit, *Prob, matrem, inquam, in filios parùm benevolam, quæ ſanctitatem ipſis in ſenectute exoptat! Eccur id, amabo, propediem haud fiat? Citò, citò, ità fieri expedit*. Inſtare puellæ ſupremum diem ex hiſce ejus dictis non ex vano conjectum. Bimeſtrique reapsè ſpatio vix circumacto, optimo quanquàm corporis habitu, ac viribus pollere ea viſa fuiſſet, tamen XVII. Kal. Auguſti, anno labentis ſeculi VIII. præproperâ ad Superos commigratione Franciſci vaticinium implevit.

Eidem præterea Eleonoræ dum pro augendâ ergà Sanctum Cyrum fiduciâ multa ipſe pro more quodam die inſinuaret; proclivem ſe quidem in tanti Martyris cultum ad eam diem fuiſſe contrà repoſuit Eleonora; natamque propterea ſibi olim virilem ſobolem Cyri nomine in ejus obſequium appellaſſe. *At quid tùm porrò?* addidit, *Lactentem adhùc è cunis illam properè nimiùm in Cœlum ad ſe traxit Cyrus*. Quibus

bus ipſe auditis, *Benè eſt*; adjecit, *alium, quem enitèris, marem, Cyrum denuò appelles volo*. Et marem reapsè, non proximo quidem, ut domi putabant, partu, ſed quadriennio poſt, IV. Kal. Junii, anno ſuprà milleſimum, ac ſeptingenteſimum duodecimo, in lucem edidit Eleonora: eique ex præſcripto Cyri indidit nomen. Hunc porrò Infantem per id tempus Matri gratulaturus Franciſcus, in hæc erumpere auditus: *Societatis eum nomen daturum, parteſque Concionatoris in eâ obiturum*. Cujus ſanè præſagii auctoritatem quanquàm & gracilis pueri habitudo, difficillimis in infantiâ non ſemel vexatâ morbis, labefactare videretur; adſcito tamen in Societatem, conſuetiſque ejus ſtudiis ſat firmis viribus ſeſe exercente jam Cyro, ſua Oraculo fides ex parte jam ſtetit: implendique ex toto, ſuo tempore, vaticinii tùm ipſa per ſe ſpem facit, tùm Adoleſcentis ingenium, ac mores à Franciſci dictis nullâ hactenùs ex parte degeneres.

Haud novæ tamen de Eleonoræ Filiis hæ Franciſci præſenſiones fuere. In Benedicto Mariâ natu omnium maximo vaticinium ejus ſpiritum ſingularis eventus pluribus antè annis oſtenderat. Enatus huic, necdum trimo, in veſicâ calculus lotii meatum obſtruxerat: adhibitiſque jam fruſtrà artis remediis, in eo ex peritorum decreto puer erat, ut unicum, adhùc tamen anceps, inciſionis remedium ad arcendam ab eo mortem reſtaret. Conſultus tamen hac ſuper re Franciſcus, permittendam Sancti Cyri patrocinio, ac fidei pueri vitam pronunciavit: fauturum eum quidem ægro, ſuum tamen favorem magno ſtare eum velle. Nec dicto abfuit fides. Etenim dum imminens pueri lethum membrorum rigor, afflictæ vires, impar vel ad gemitum vocis vigor indicare viderentur; antequàm ſectionem tentaret, periculum facturus Chirurgus, Cathetere admoto lapillum lenticulâ majorem è laborantis veſicâ præter ſuam atque omnium expectationem extraxit. Quâ ſanè in re eò manifeſtiùs prænunciatum Sancti Cyri beneficium enituit; quòd non præſentem modò Scalpri ſævitiam, ſed & morbum omnem ab ipſo ex eo tempore prorsùs abſtinuerit.

Sed non Eleonoram duntaxàt, ac Filios, ejus in eâ domo ſpectarunt Oracula. Ignatio Como Eleonoræ Leviro inſignem hanc, quæ in Franciſco floruit, occultarum rerum notitiam experiri item contigit. Preces hic ab ipſo ob magni momenti rem flagitatum olim adiit, quin tamen, qualis ea eſſet, aperiendum

juſtis

Digitized by Google

juſtis de cauſis duceret. Sed tamen, nonniſi quæ in rem ipſam mirè quadrarent, ab eo reponi, ſeſeque his verbis dimitti audiit; *Equidem hanc rem potiſſimùm* (eamque qualis Ignatii animo obverſabatur, diſertè expreſſit) *hanc, inquam, rem te loqui, opinor.* Ex quo compertum Franciſco optimè eſſe quicquid ipſe occulendum duxiſſet, attonitus animadvertit.

Quod verò de Ignatii animo, hoc de Franciſci Xaverii Comi Cathedralis Ædis Neapolitanæ Canonici corpore æquè admirabiliter alio tempore prænunciavit. Nephriticus eum Octobri menſe, anno labentis ſeculi XIII. eâ vehementiâ tùm primùm inceſſit dolor, ut animam penè inter angores exhalaturus videretur. Majori tamen calculo cum minoribus aliis, ſeù Sancti Cyri beneficio, ſeù Franciſci precibus ejecto, cum ad agendas Magno Martyri grates noſtram in Ædem recuperatis ex parte viribus hic conceſſiſſet, ibi Franciſcum nactus, optare ſe ab eo Cœleſti Medico expoſuit, ut acerbi adeò morbi expers omninò in poſterum ageret. Cui ſtatim Franciſcus; *Dare hoc tibi Cyrus profectò poſſet: Tu verò id ſaltem poſtules æquum cenſeo, ut, ſi qui latent adhùc in tuis renibus Calculi, iis nullo doloris ſenſu ejus ope te exoneres.* Quæ ſanè verba ei non de nihilo excidiſſe ſecutus oſtendit dies. Eo quippè die binos, ad ſummum ternos, quos ejecit, lapillos non aliter abſque ullo dolore emitti à ſe animadvertit, quàm vel ſuo pridie prænonuiſſet Oraculo, vel ſuis etiam precibus impetraſſet Franciſcus.

Non prætereundum ſilentio hoc aliud eſt apud eandem Familiam non ſine admiratione tranſactum. Ingentem ſanguinis copiam cum per os redderet Anna de Aprèa Comorum Mater; & morbi genus, & declivis in Senium ætas Medicorum animos conſternaverat. Evocatus, qui ægræ, ac Medicis animos faceret Franciſcus, poſt S. Cyri reliquias languentis gutturi admotas; graviſſimum quidem eum morbum eſſe aſſeruit; *At ejus virtutis, ait, hùc Medicum attuli, cujus ope revaleſcere non difficilè poteris, in ejus modo tutelam, ac patrocinium ex animo conceſſeris.* Mox eum abeuntem pro more deducentibus filiis: *Bono animo eſte*, addidit, *neque enim mulierum hæc prima foret, quam ex iſtiuſmodi calamitate liberaſſe prædicaretur Cyrus.* Porrò non incaſſum injecta hæc ipſis fiducia eſt. Ex eo quippè die, contrà quàm metuerant Medici, ſuppreſſo ſanguine, in totum Anna convaluit.

CA-

Digitized by Google

CAPUT VII.

Sancti Cyri Lipsana mirabilibus rebus patrandis à Francisco adhibita.

NOn solam Francisci mentem admirabili abditarum rerum notitiâ illustratam; manum etiam, vocemque ipsam insignibus nobilitatam portentis à Deo fuisse frequentissimis colligere licuit documentis. Quanquàm verò hæc ipse prodigia, modestiæ ut consuleret suæ, Sancti Martyris Cyri lipsanis, quibus ut plurimùm utebatur, adscribenda prædicaret; cum tamen nonnisi ejus manu adhibitum averruncandis morbis efficax amuletum illud esse constitisset nec semel; hinc præter Cyri opem, necessariam ægris Francisci manum etiam esse, Nostrorum juxtà, atque externorum animis altè insederat persuasio.

Jam, quibus experimentis collectum id esset, ne indictum relinquam; nonnulla hìc duntaxàt Sancti Cyri beneficia referam, quæ interpositâ Francisci operâ in plurium commodum derivarunt. Omnia siquidem huic historiæ attexere, & longum foret, & ab institutæ narrationis ordine alienum. Inter hæc porrò principem sibi, non ab re, locum vindicat Fr. Angelici à Neapoli Capuccini, ac Tropeanæ deinde Urbis Antistitis, mirabilis curatio, quam beneficii memor his penè verbis post Francisci decessum ipse testatus de scripto est; *Testor me ab annis hinc quindecim ad habendam de S. Antonii Magni laudibus Panegyricam Orationem à Nobilibus Dominæ Romatæ Ascetriis invitatum, è meo Cœnobio, assiduâ, ac vehementi ejus diei pluviâ benè madidum illùc accessisse; atque ex udo, quem gerebam, habitu, rigescentem licèt, suggestum nihilominùs conscendisse. Octonùm verò dierum spatio ab ea Concione vix evoluto, me febris incessit: è qua ubi revalui, coxam non uno apostemate læsam sensi, quam excisorio curandam scalpro suscepit Joannes Antonius Vitalis Chirurgus. Verùm cum iteratis incisionibus morbus augesceret; post læsam partem ferro jam tertiùm exploratam, putruisse jam alcus, atque in Gangrænam degenerasse Chirurgus animadvertit: Quare restituendæ mihi valetudinis spe depositâ,*

supre-

Digitized by Google

ſupremis morientium Myſteriis muniendum me ritè eſſe pronunciavit. Me interèa graviter adeo decumbere vix Dominæ Romatæ Aſcetriis innotuit; cum meam miſeratæ vicem, Franciſcum, ut me inviſeret, enixè rogarunt: nec onus ipſe pro ſuâ in me benignitate gravatè ſuſcepit. Me porrò ut vidit; Ades animo, *inquit,* Angelice: nullius momenti malum eſt, quod te vexat: diù adhùc nobis laborandum eſt. *Enimverò hominis ego ſanctitate maximoperè fretus, affectam partem Cruce ab ipſo ſignari cupidè volui: quod ille adhibitis Sancti Cyri reliquiis, præſtitit: meque à morbi metu ſecurum agere iterùm, atque iterum jubens, diſceſſit. Adfuit poſtero mane idem, qui de meæ vitæ ſtatu deſperaverat, Chirurgus Vitalis; ac faſciis religatis, attonito ſimilis,* Signum ſalutis! *exclamavit: longè meliùs ſiquidem è periculoſis illis ulceribus mihi eſſe reapsè comperit. Equidem ex eo morbo non multò poſt perfectè revalui.*

Fr. Angelicus à Neapoli Capuccinus.

Hæc ipſe; quibus & S. Cyri reliquias, & Franciſci attactum æquæ ſibi ſalubres fuiſſe memoriæ prodit.

Memoratâ hac curatione illuſtrior longè cujuſdam è Franciſcanâ item Familiâ Virginis improviſa ſanitas fuit. In Neapolitano Gynecæo, cui S. Mariæ *à Splendore* inditum nomen, præacutis artuum doloribus conflictata annum jam erat Maria Columba Cerbina: ac Medicorum induſtriam vincente jam morbo, in eo jam erat, ut, ne linquente animo in terram repentè rueret, neve acerrimo cruciatuum ſenſu è lectulo eam exturbari contingeret, adſtantium Virginum operâ occurrendum continenter eſſet. Fusæ ibi, nec ſemel, pro ægrâ ad Deum preces: nec tamen ſævientis in eam calamitatis pertinaciam exarmarunt. Miſerrimam hanc inſanabalis jam filiæ vicem dum fortè cum amicis conqueritur Pater; ab eorum quodam Sancti Cyri Medici, ac Martyris ope revaleſcere eam poſſe audit, cujus ſicièt difficillimis in rebus maxima ergà plurimos vulgata jam extent beneficia. Franciſcum proindè confeſtim adeat, ſi ſapit: præſentiorem aliis artis nartheciis munitam Cyri reliquiis ad propulſandum Puellæ malum fortaſsè ejus manum fore. Recreatus hac novâ ſpe Pater monenti auſcultat, optatumque Franciſci ad ægram acceſſum non difficilè impetrat. Eam ipſe interea vehementiſſimis, ſi unquàm aliàs, doloribus exagitatam nactus, Sancti Cyri primùm lipſanotheçâ tangit: mox ſacrato

eidem

Digitized by Google

eidem oleo ægræ frontem, aures, ac pectus inungi jubet; demùm expiatam ejusdem Martyris reliquiis aquam delibandam porrigit. Confectâ dein veluti re, impetrandam novi Medici ope valetudinem decumbenti pollicitus, nimio illo doloris æstu repentè sedato, dum placidè obdormiscere eam videt, pro triplici Sancti Cyri, Medici nempè, Anachoretæ, ac Martyris laude, ter Dominicam precationem, ac Salutationem Angelicam, positis ipse humi genibus cum adstantibus inibi Virginibus persolvit. Hoc verò piarum precum penso vix absoluto, somnum excutiens ægra; *Convalui, convalui*, hilarè exclamat: *Cedo vestes, quò ad agendas Deo grates actutùm in Odæum pergam.* Quod ubi non ex vano dici agnitum est, confusis lætitiæ, atque admirationis vocibus Gynecæum omne personuit: mistisque gaudio lacrimis repentinâ supplicatione ad Eucharisticum Ecclesiæ Hymnum Deo decantandum à piis Virginibus cum persanatâ jam ægrâ in Odæum est processum.

Parem sibi admirationem conciliat hoc aliud ibidem gestum, quod à gravissimo, atque humanissimo Viro, omnigenæque literaturæ laude satis conspicuo, Cathedralis Ædis Canonico Julio Torno ad me benignè post hæc scripta transmissum, ipsis ejus verbis, ad operis mei ornatum, fideliter refero. *Triginta fermè abhinc annis, anno scilicèt tertio labentis seculi, Maria Magdalena Sterlicco, tunc sextumdecimum suæ ætatis annum agens, nunc verò sextum suprà quadragesimum, Virgo Deo dicata in Collegio S. Mariæ, cui* à Splendore *nomen (S. Francisci Assisiatis Strictioris Observantiæ Regulam Virgines hujus Collegii profitentur) gravissimo affectionum hystericarum morbo jamdiù afflictabatur: cujus vi adeò concutiebatur, ut è lecto ad tectum usque sui Conclavis assilire propè videretur. Nec humanis remediis juvari potuerat: quamvis Nicolaus Sterlicco ejus Pater Medicæ Artis Professor, sed tùm jam Sacerdos (defuncta nimirùm Uxore, quam Virginem duxerat) omnem adhibuisset industriam. Accitus propterea Franciscus Virginibus ejus Collegii familiaris: qui vix ingressus decumbentis Virginis Conclave, eam salvere jussit; posteàque S. Cyri Martyris lipsanis ei admotis, eam benè sperare monuit. Continuòque vestes eidem tradi edixit, quibus jam indutam ejus brachio innixam ad Chorum adduxit. Interea dum procederent, hymnum* Te Deum *Sacræ Virgines decantabant. Quò ubi pervenerunt, sacras aliàs*

Digitized by Google

preces ad memoriam Sancti Cyri recitari juſſit. Demùm in ſuum Conclave incolumem reduxit. Quæ pluribus menſibus ab hujuſmodi afflictationibus libera extitit. Nunc verò adhùc vivit, ſed apoplexi correpta, undecim ab hinc annis in lecto jacet. Rem ipſam, cæteris atteſtantibus Virginibus, quæ tunc temporis in eodem Collegio degentes prædictioni, & miraculo præſentes fuere, Sacerdoti, qui ei à confeſſionibus eſt, ex integro retulit.

Præſentiſſimam item S. Cyri per Franciſcum opem in Divini Amoris Aſceterio experta ter eſt Penelope à Duce, illuſtrium Conjugum Scipionis à Duce, & Cæciliæ Capyciæ filia. Ac primò educatam hanc ibi puellam alterum vix luſtrum ingreſſam cum in evidens vitæ diſcrimen adduxiſſet morbus; ferentem S. Cyri pignora ut vidit Franciſcum, arrepto ejus pallio, ac plenis puellaris fiduciæ vocibus; *At at*, inquit, *equidem ſanari, Pater, volo. Saneſcere me tu jubeas neceſſe eſt.* Ex inſitâ vitæ cupiditatæ candidè ità loquentem riſu excipiens Franciſcus; *Quoniam*, reponit, *ut video, ſaneſcere valdè vis; age jam, ex hoc lectulo ſtatim exili.* Et verò ſalubre hominis imperium experta illicò ipſa eſt. Dum enim ei paret, decumbere, ac febrire eodem penè temporis articulo deſiit. Hinc Pleuritide iterùm paucis poſt annis vexata, quo ſibi potiſſimùm utendum Medico eſſet, ſatis edocta, nonniſi Franciſcum præſto ſibi eſſe voluit. Nec eam vana decepit ſpes: dum enim imploratâ Numinis ope languentis caput tangeret Franciſcus, adactâ fortuitò in puellæ nares ejus manu, copioſus inde profluens ſanguis ex affecto ægræ pectore morbi cauſam omnem ſtatim abegit. Nullius verò morbi genere tentari periculoſiùs hæc eadem viſa eſt, quàm cum ex rubentibus puſtulis tertiò decubuit. Malignas eas vocitabant Medici, artiſque ſubſidiis adhibitis operam luſerant. Ad hanc jam pro depoſitâ habitam, flexo in veſperum Sole, vocatus accurrit Franciſcus: conſpectâque vix ægrâ; *Ab hoc*, ait, *equidem morbo tuæ vitæ re verâ metuebam: At verò Sanctus Cyrus tuâ causâ in hoc Aſceteriam ingredi poſtmodum non vult: idemque perfectè te valeſcere jubet.* De Puellâ mox animam efflaturâ incredibilia ipſum loqui tùm Aſcetriis, tùm lacrimabundis ad Aſceterii cancellos Genitoribus viſum. At, nonniſi vera ab ipſo nunciata Sancti Cyri nomine fuiſſe, reſtituta Puellæ paulò poſt valetudo liquidò oſtendit.

Hæc verò, aliaque id genus plurima, quæ de Sancti Cyri pro-

Digitized by Google

prodigiis, ac perennibus beneficiis fama vulgaverat, Joſephi, Sancti Antimi Principis, è clariſſimâ Ruforum Proſapiâ, auribus vix accidère; cum atrociſſimo, ac diuturno laterum dolori levamen ut quæreret, advocandum ad ſeſe cum S. Cyri reliquiis curavit Franciſcum. Nec cunctatus ipſe, & affecto lateri ſacra lipſana admovit, & ſacratam ejuſdem Martyris nomine aquam cum floribus bibendam ægro Principi præbuit: hortatuſque, ut quaternis arſuros facibus cereos ſex Magno Medico, ac Martyri dono mitteret, abſceſſit. Mandata hæc exequi, impetrandæ ut erat opis percupidus, ex ingenti, qua pollebat, fiduciâ, ne momentum quidem diſtulit Princeps. Verùm ubi ipſum nihilò meliùs habere poſtridie eum reviſens audit Franciſcus; *Papè*, ex ingenti admiratione exclamavit, *humaniter pro ſuo more haud egit Cyrus: Cereos igitur protinùs tibi reddat, ſaxa.* Mutare ſe verò factum cùm indignum cenſeret Princeps, factæ ſe potiùs ceræ pondo centum Magno Martyri quotannis daturum pollicitus voto eſt, ejus modò morbi, ſi minùs immunis, in ejiciendis ſaltem calculis moleſtiæ expers foret. Ità porrò voventem, ſacris reliquiis denuò lateri applicitis, cum bono animo eſſe juſſiſſet Franciſcus, acer ille doloris ſenſus miteſcere primùm cœpit, pauciſque poſt diebus ità in totum deſiit, ut nullo poſt tempore latus eo confodi Princeps ſenſerit. Imò quadrimeſtri ſpatio evoluto avulſum è renibus tantæ molis lapillum ejecit, ut ſine moleſtiâ excerni eum potuiſſe prodigii loco rem æſtimantibus fuerit. Minores ex eo tempore idem egeſſit calculos, quin tamen ullus unquàm ob hæc eum uſſerit dolor. Quod cum Sancto Cyro, ejuſque laudum Præconi Franciſco acceptum retulerit: feſtâ ejus luce quotannis recurrente, promiſſæ ceræ donario beneficum ergà ſe Magnum Cyrum voti reus venerari haud unquàm neglexit.

Si verò minùs operæ, atque opis, conſiliorum certè S. Cyri particeps in Hippolytæ Cantelmæ, Amphiſſiæ, ſeù *Rapellæ* in Calabriâ Principis curatione apertiſſimis indiciis apparuit Franciſcus. Ad hanc ipſe nobiliſſimi ſanguinis Matronam, quæ ob immaturum fœtum ſeptimo menſe ejectum, febri, nervorum convulſionibus, acerrimiſque artuum doloribus viginti jam diis conflictabatur, cum Sancti Cyri reliquiis adire juſſus, hæc ſibi primùm viſo dicentem audiit: *Hoc mihi à Deo jam impetres, Pater, ut nimium hic citò me interimat, ni citò deſinat*,

Digitized by Google

dolor. Verùm è ſæviſſimo corporis totius cruciatu ità loqui adactam hilarè interpellans Franciſcus; *Imò verò*, inquit, *ut ſoſpes vivas, delapſum è Cœlo Medicum conſultò hùc mecum attuli: quem, donec ſaneſcas, aſſiduè tibi domi adeſſe volo*. Mox ſacro eo pignore ægræ applicito, *Id unum*, adjicit, *indubiâ jam mihi pollicetor fide. Auguſtæ Triadis feſta hodiè recurrit celebritas: Quintus ubi dies Euchariſtiæ dicatus illuxerit, hæc mihi lipſana tuis tu manibus redditum in Templum accedito*. Majora viribus imperari quanquàm ſecum reputaret Matrona; imperantis tamen auctoritate freta, cum facturam ſe examuſſim omnia recepiſſet, ſuæ ipſam fiduciæ haudquaquam pœnituit. Remittente enim morbi vi, ad dictam diem promiſſi ad Templum acceſſus jam ſoſpes implevit fidem. Redditiſque Franciſco lipſanis, ac Cœleſti refecta Epulo, quàm benè de Cyri ope, ac Franciſci precibus ſperare poſtmodùm poſſet ex accepto paulò antè beneficio optimè agnovit.

Non ſola verò Neapolis admirabilium hujuſmodi eventuum teſtis fuit. Aliis item Regni Urbibus, atque Oppidis affinia his prodigia mirari licuit. Gerunium in Daunia Pignatellorum Dynaſtarum, qui Biſaccenſes item Duces ſunt, non ignobile Oppidum eſt. Hùc, ut Aureliæ Imperiali Andriæ Duci graviter ægrotanti morem gereret, anno hujus ſeculi xv. deductore Aloyſio Carafa, *Conventualium*, ut dicunt, Franciſcanorum Sacerdote, equis diſpoſitis, conferre ſe quantocyùs debuit Franciſcus. Ac nihil ei periculi ab eâ ægritudine imminere nedùm præſens, verùm in itinere ipſo præſenſit. Abellini enim, dum conclamatum ejus vitæ eſſe obvius ex Apuliâ Rhedarius nunciat, poſt breve ſilentium, diſcuſſo veluti mœrore, hæc ad viæ comitem Franciſcus; *Alia omnia, Aloyſi: nullus metus eſt. Revaleſcet, quæ Deo grates ſint, revaleſcet procul dubio Aurelia*. Nec aliter cum eodem accelerandi itineris admodùm cupido proximâ nocte locutus, Arianum Urbem manè vix attigit; cum ex acceptis ibi à Tabellario aliis literis diſcuſſi à Matrona periculi verus Vates apparuit. Ipſam verò Ægram Gerunii exeunte jam Januario lectulo affixam nactus; *Qui metus eſt?* ſtatim inquit; *Feſtiva Sancti Cyri perendie recurret dies: ſummùm eâ luce tanti Medici ope pertinax hic morbus remittet*. Sua huic etiam Oraculo non defuit fides. Prid. Kal. Februarii, feſto S. Cyri die, delibato mane vix cibo, immobilis paulò antè Au-

relia

Digitized by Google

relia lectulum repentè pertæsa, contrà quàm sperare fas cuipiam esset, ad Sancti Dominici Templum ad agendas Deo grates sellâ gestatoriâ vectari se jussit.

Sed hisce de Aureliâ vaticiniis nihilò inferiùs, quod alteri Puellæ hic veluti ex occasione præstitum, suæ ut obstrueret laudi, ab sese in S. Cyrum omni conatu deflectere necesse habuit Franciscus. Biennem Puellam, Ludovicam nomine, Epilepsiâ, scatentibus è corpusculo vermibus, ac nauseâ septem jam mensibus laborantem, Medicorum judicio ad vitæ exitum properare mœstissimi dolebant Parentes, Andreas à Puteo Lucerinus, & Angela Ceccia Gerunensis. Igitur eam tot morbis, necnon inediâ confectam ad Franciscum, veluti ad sacram Anchoram, adducunt. Qui comiter exceptam, Sanctique Cyri lipsanis attactam, oleoque inunctam, immunem morbi tandem fore pronunciavit. Revixere ad faustum adeò sanitatis omen Parentes; Cœlumque paulò post digito, ut ajunt, tangere sunt visi, ubi abductam domum puellam & suis pedibus aliquatenùs niti, & donatis à Francisco cupediis avidiùs vesci observarunt. Proximæ mox noctis spacium pacatissimè ab eâdem ex insperato traductum illud effecit, ut morbo discusso discurrere domo, & pro sanâ se gerere coram attonitis parentibus primo mane ipsa valuerit. Hujusce verò curationis prodigium, cum in suæ virtutis commendationem apud loci incolas vergere audiisset Franciscus; quanquàm non sibi multis criminibus cooperto, sed Deo Optimo Maximo, ac Martyri Cyro adscribenda hæc esse multis contenderet; suam tamen operam in eâ re nihili fuisse Puellæ Parentibus, ac Medicis persuadere omninò non potuit. Postque ejus decessum, Cyri, ac Francisci ope ità Infantem illam revaluisse, ut inter maximum morbum, ac nullum unius noctis spacium interceserit, concordi judicio, ac jurisjurandi fide interpositâ datis publicè literis prædicarunt.

Nihilò verò minori legentium admirationi illud meo judicio fuerit, quod de conciliato ægris per Franciscum Cyro memorant Lupiæ in Japygia Antonia Maria Montinara Cryptaleensis, tres, ac viginti annos nata, in illustri S. Joannis Evangelistæ Ascelerio, quod S. Benedicti Legibus utitur, duarum nobilium è Tresca Familiâ Virginum famulitio addicta, satis firmâ valetudine, congruisque suo muneri viribus ad sesquianpum vixerat. Cum Comitiali repentè gravata morbo, sævos

adeò

adeò ejus impetus pati coacta eſt, ut vix tutò aliquid aggredi poſſet. Linquente enim ſæpè animo, cum in ſolum præceps ex improviſo rueret; ne ignis, aut Aſceterii ſcalæ ei exitiales forent, non ex vano metuebatur. Ad calamitatis præterea auctarium non unus vexare membra cœperat tumor. Quare cum fruſtrà tentatis jam artis remediis, luſuros ſe operam conjicerent Medici, inſanabilem adoleſcentulam obeundis Aſceterii munilis ineptam Matri nec renuenti reddendam quantocyùs eſſe ſignificaverant. Quanquàm ne parùm civiliter cum ægrâ agere generoſæ illæ Virgines viderentur; protrahendam ejus curam in bimeſtre adhùc ſpatium cenſuere. Ad has interea redactam incitas ſolari per quietem Sanctus Benedictus viſus, apertèque eidem inculcare, ne ſacratum ſuis Legibus Domicilium deſereret. Filiæ verò vicem alterâ ex parte anxia, ut par erat, Mater, ut ſuis ei precibus Sancti Cyri opem conciliaret Franciſcus, frequentibus literis ab hujus conſobrinâ Cryptalenſium Capuccinarum Antiſtitâ ad eum datis, præſtari id ab eo omni curâ ſtuduerat. Haud irritam porrò eam induſtriam cecidiſſe ineunte Septembri anno labentis ſeculi XIV. agnitum eſt. Eo ſiquidem tempore, ſæviùs ingraveſcente morbo, viribus, atque animo deſtituta ad quintam uſque ſecutæ noctis horam maximos angores perpeti ægra coacta eſt, donec laxatos nimiâ morbi pertinaciâ artus aliquandiù ſopor oppreſſit. Evigilare tamen hæc iterùm debuit; appreſſæ ſiquidem capiti manus ſenſum experta, recludi lectuli velum, nimiâque circumfundi luce cubiculum videre ſibi viſa eſt; adſtanteſque præterea ſuo lateri duos pullo indutos amictu, quos ne de facie internoſceret, inſolitus prohibebat fulgor. Cæterùm ad ſeſe, novi ſpectaculi metu trepidas jam erumpentem in voces, lucidiſſima lipſanothecâ tangendam eorum alterum acceſſiſſe, paulòque poſt commonſtratis ſibi ſacris illis reliquiis, hæc inter diſcedendum dixiſſe teſtata eſt: *Sancti hujus Viri memor poſtmodùm ſis oportet.* Ac ne, quem potiſſimùm loqueretur, ambigeret, addidiſſe ſtatim; *Cyri*, inquam, *Cyri memorem te eſſe juſſi*. Poſt quæ ab abſcedentis hominis ſocio leniri tantiſper gradum, ſeque extremis hiſce vocibus admoneri animadvertit; *Non parùm verò tuâ causâ laboravit Franciſcus*. Vanis ſomni imaginibus illuſum ſibi eâ nocte fuiſſe ſuſpicari ægra mulier jam cœperat. Verùm ubi ſe valentem jam viribus, morboque ſolutam ſenſit,

Cyri

Cyri reliquiis à Franciſco per quietem objecto adhibitis, optatæ ſe valetudini redditam fuiſſe intellexit. Quare reliquæ noctis intervallo tacitè inter admirationem, ac metum tradu&to, Aſcetriis omnibus primo ſtatim mane evocatis, reſtitutæ ſibi proximâ nocte valetudinis fidem jam ſoſpes fecit. Quod quidem inſperatum rei eventum æſtimantibus eò admirabiliùs viſum, quod non modò morbi, verùm nec contuſi frequenti prolapſione vultus veſtigium in eâ ullum deprehenderint. Recurrere porrò anteà ſolitum per vices morbum jam deſediſſe, conſtanti mulieris valetudine diù exploratâ, maximi prodigii loco habendum eſſe, eodem anno Kalendis Decembris, duo, indemque peritiſſimi Lupienſes Medici publicis tabulis conſignarunt.

Poſtremò, ut Cyrum in hujus etiam, quod ſequitur, prodigii partem advocem, Franciſci auctoritas potiùs, quàm ulla perſanati ægri fiducia efficit. Res ità accidit. Franciſcus Arcucci Capreis Cathedralis Eccleſiæ Curio, dum ſacrâ Euchariſtiæ luce in Pœnitentiæ Foro ſeſe indicantibus præberet aures, vehementi laterum dolore agitari cœptus, ſtationem relinquere coactus eſt. Nec ullis artis præſidiis allevatus unquàm, vigeſimo poſt die, ſupremis Myſteriis ritè procurari juſſus, nil niſi lethum acerrimis vitæ doloribus finem impoſiturum opperiebatur. E' Maſſâ Lubrenſi intereà in eam fortè Inſulam divertiſſe Franciſcum audiit; ac deſperatis rebus tanti viri adventum præſidio eſſe poſſe arbitratus, accerſiri eum ad ſeſe per conſanguineos eâdem fiduciâ imbutos ſtatim juſſit. Nec ſpes Curionem fefellit: humano quippè auguſtiorem, mirâque perfuſum luce adventantis vultum adſpexit: imò incluſam caveâ Acanthidem inſueto ei modulamine feſtivè veluti blandiri, in proſperi eventûs præſagium non ſine admiratione obſervavit. Cæterùm non aliis à Franciſco verbis ſalutatus æger, quàm Evangelicis illis, *Vis ſanus fieri?* Cumque & velle, & ſanitatem ſpe jam præcipere ſe ille repoſuiſſet; *Bonè igitur habet*, ſubjunxit Franciſcus: *Egregium ego Medicum ad te, Sanctum Cyrum, adduxi*. Cui ſtatim Curio; *Priſcæ ætatis Sanctos Viros veneror quidem: meam tamen ſpem in alio hujuſce ævi ſancto Homine* (præſentem nempè, & ipſum innuebat Franciſcum) *repoſui*. Ad S. Cyri opem ex animo implorandam, ut hunc excitaret, præclara, ac frequentiſſima collata in plurimos à Magno

Mar-

Digitized by Google

Martyre beneficia ei enarravit; hujus dein ipſanis benè ei precatus, ſacratamque ejuſdem nomine aquam impertitus, *Vereret-ne adhàc latera dolor?* ab ægro exquiſivit. Tunc enimverò, quod Franciſci alloquio intentus minimè adverterat, ab ipſo hominis ad ſe ingreſſu doloris ſenſum omnem evanuiſſe morbi jam expers animadvertit. Creſcente igitur ex accepto nuper beneficio fiduciâ, ut laterum dolori perpetuum ab ipſo imperaretur exilium, cupidè expetiit Curio. Nec irritum ejus votum fore reposuit Franciſcus, ſi Medicum, Anachoretam, ac Martyrem Cyrum pro triplici ejus laude ter quotidie Dominicâ prece, atque Angelicâ ſalutatione in poſterum veneraretur. Quibus dictis eventum reſpondiſſe ſoſpes, nec unquàm Nephritide ex eo die tentatus, XVII. Kal. Sept. labentis hujus ſeculi anno XXIII. teſtatus Curio ipſe eſt: reſtitutæque ſibi valetudinis Franciſcum potiùs, quàm Cyrum ipſe auctorem agnoſcit.

CAPUT VIII.

Franciſci ipſius preces, attactus, voces, plurimis non ſine prodigio ſalutares.

SEd tamen intuentium aciem non adeò perſtringere ſplendidum Sancti Cyri valuit nomen, ut rerum, quas ipſe gereret, gloriam à ſe in eum deflectere ſemper Franciſco ſucceſſerit. Quamplurimis ipſum ità per ſe opitulari ſæpè res tulit, ut ſecuta inde prodigia adſcribenda ipſi uni eſſe certiſſimis appareret indiciis.

Et verò luculentum hujuſce rei documentum anno hujus ſeculi XV. præ cæteris meo judicio exhibuit Joannes Cafaro Sacerdos, Auguſtæque Trinitatis Aſceterii Procurator, ac Templi Æditimus. Enatus huic ſub dextero oculo tumor lucis uſuram omnem jam inde ademerat: obductoque circà lævum oculum velo ità eum vitiaverat, ut in ipſâ luce caligare cogeretur. Nec medentium operâ diù adhibitâ quicquam profecit, niſi ut apertus exciſorio ſcalpro malignæ ſaniei hiatus occludi ulteriùs haud poſſet, ne puri denegato exitu utrumque oculum ex æquo corrumpi fortè contingeret. Gravioris igitur ærumnæ

metu

metu obtectam ibi cataplasmate fistulam plures jam menses toleraverat. Cum exeunte Septembri in demandatâ sibi Trinitatis Æde positis coràm Eucharistiâ genibus orantem manè Franciscum nactus, ejus ope, magnisque apud Deum promeritis purulentæ fistulæ incommodum exiturum se fore speravit. Ab eo projnde post persolutas preces comiter exceptus, necnon *Quî valeret?* requisitus; *En*, statim reposuit, *meam improbi, ac nequam hominis vultum signatum, ut vides, voluit Deus, quò nempè, juxtà veterem paræmiam, cavere sibi à me hac notâ affecto obvius quisque condiscat*. Modestè verò, demissèque adeò de se locutum solatus Franciscus; *Erras*, subjecit; *immò verò Sacerdotem optimum Tum, quæ electorum in Sacris Literis tessera est, signandum Summa illa Bonitas censuit*. Gliscere ad hæc verba in ægri Sacerdotis animo concepta cum pergeret fiducia; arreptam Francisci manum, osculantis specie, affectæ parti semel, atque iterum appressit, præsentissimum molestæ fistulæ amuletum futuram eam ratus: ejusdemque spei plenus domum vix rediit, cum, cataplasmate sublato, fistulæ oras, ne cicatricis quidem relicto vestigio, obductas jam fuisse deprehendit. Jamque id lævo oculo, contrà quàm præsagire ex artis suæ præceptis instituerant Medici, salutare potiùs, quam noxium pluribus diebus expertus, manifesti compertæ prodigii Franciscum Neapolitano Antistiti Francisco S.R.E. Cardinali Pignatello relatum adiit. Ex cujus prudentissimo præscripto postquàm Francisco superstite id omne suppressit, audito ejus decessu ad beneficii memoriam publico testimonio coràm legitimis Quæsitoribus evulgavit.

Illud etiam prodigio-ne, an vaticinio illustrius fuerit, haud facilè definierim. Peregravi Adriæ in Aprutio afflictam morbo Cæciliam Spinellam ejus Urbis Ducem inibi jam esse, ut victura vix biduum videretur, missæ inde Neapolim literæ nunciaverant; cum charissimæ Sororis periculo perculsa Angela Spinella, Capuæ, vulgò *Tarsiæ*, in citeriori Calabria Princeps, ad expetendam Francisci opem confestim advolat, ejus utique preces desperatæ rei subsidio unicè fore arbitrata. Irritam verò suam spem, & consilium esse initio doluit. Nihil enim fari, mussitare, nec nisi parendum Summo Numini esse inculcare pluries est auditus Franciscus. Cumque ferale aliquid iis verbis portendi expostularet Matrona; adhùc tamen in sen-

Digitized by Google

tentiâ ipſe perſiſtere, accommodandumque Dei nutibus animum eſſe conſtantiſſimè iterare. At verò eccè novo veluti inſtinctu repentè afflatus, erectis anteà in Cœlum oculis, Sancti Cyri lipſana è pectore extracta perfuſæ lacrimis Matronæ porrigit; atque, *In expoſcenda*, inquit, *Cyri ope ægræ tu Cæciliæ vices imple: lipſanaque hæc pectori hîc perinde apprime, ac faciendum id Adriæ languens ſuſciperet Soror*. Quod hominis imperium dum aucto gemitu, ac precibus Princeps fœmina exequitur: *Macte animo, Matrona*, adjungit ex improviſo Franciſcus: *Cæciliæ vicem cur doleas, jam nihil eſt: bono animo ſis: & vivit, & lethi diſcrimen jam exiit Soror*. Eum porrò non de nihilo ità pronunciaſſe regreſſa domum agnovit Matrona. Remiſiſſe ſiquidem morbi vim non ità poſt multò miſſus Adriâ tabellarius attulit: mox etiam expertem totius periculi Sororem agere (uti Franciſcus prædixerat, ac ſuis fortaſsè precibus impetrarat) alii ſuper alios novis indidem literis nunciarunt.

Mariam Seraphinam Carafa Nobilem Sanctæ Mariæ à Jeſu Aſcetriam acuta febris, ſimulque lethargicus invaſit morbus, ut biduo à decubitu Chriſtianis eam Sacris quantocyùs muniendam Medici pronunciarint. Accerſitus hinc ſtatim ſub noctis ejuſdem initium, qui eam expiaret, Franciſcus. Accelerati tamen acceſſus cauſam nullam eſſe cauſatus, ægræ primo mane præſto ſe fore reſpondit. Valuitque adeò hominis ità loquentis auctoritas, ut eâ fretæ ejus loci Aſcetriæ imperata à Medicis exequi in poſterum mane abſque metu diſtulerint. Vix verò diluxit; cum ingreſſus languentis cubiculum Franciſcus brevi precatione de more præmiſsâ; *Macte*, ait, *animo ſis, Seraphina: vitam tibi propitius elargitur Deus: nondum Cœlo maturuiſti: laborandum tibi aliquantiſper in hac Domini vineâ adhuc eſt*. Valere dein juſſam his verbis reliquit; *In Confeſſionali Subſellio quamprimùm te audiam*. Nulli ejus dicto abfuit fides. Subſidere quippè ſenſim ità morbus cœpit, ut ſanitati ex integro reddita ad præbiturum ſibi aures in Pœnitentiæ Tribunali Franciſcum vegeta, ac ſoſpes adire non multis poſt diebus valuerit.

Nec diſſimili ratione illuſtris è Divæ Claræ Aſceterio Virginis Lauræ Sanfeliciæ de profligatâ Catharinæ Seriſalis valetudine admodùm ſolicitæ metum abſterſit. Chariſſimam hanc

ejus

Digitized by Google

ejus Neptem octogesimo secundo ægritudinis die nullo humanæ artis subsidio lethum declinaturam septem Medici pronunciaverant. Quare, qui Francisco hæc nunciaret, simulque preces exposceret, Fratrem Ludovicum à Bononiâ misit Franciscanæ Familiæ Sacerdotem suâ probitate satis notum. Eo verò audito, postquàm in Cœlum oculos, & animum brevi spatio erexit; *Salva*, ait, *res est: bono animo esse Lauram jubeto: nullum ab hoc morbo Catharinæ exitium imminet, nullum, nullum*. Nec aliter, quàm vel impetrarat, vel pronunciarat, accidisse secuta mox Nobilis Adolescentulæ sanitas ostendit.

Nicolaus Brunus postquàm Sancti Cyri *lipsanis* à Francisco attactus immanem laterum dolorem discussit; cum prætereà assiduo subter præcordia dolore annis triginta conflictatus adeò fuisset, ut cor ipsum ejus molestiæ aculeis veluti terebrari experiretur, calamitatem hanc suam Francisco item exposuit. Et verò auditâ, erectis in Cœlum luminibus miseratus ejus vicem brevos se in preces effudit Franciscus. Iis verò vix absolutis evanuisse repentè dolorem illum, nec unquàm eo postmodùm tentatum se fuisse beneficii memor testatus est.

Puteolis Maria Magdalena Clara Carmelitarum Ordinis Tertiana stomachi vitio cibum, & medicamenta omnia toto quadriennio ex æquo respuerat. Quod cum non vacare periculo animadverteret, Neapolim sese ad Franciscum contulit: depositisque apud eum animi noxis, acerbam pariter, quâ premebatur, corporis calamitatem aperuit. Incolumitatem huic Sancti Cyri ope pollicitus est Franciscus, si tamen ejus habitum spontè indueret. Hoc verò ubi facturam sese recepit Mulier, abacto stomachi fastidio, firmis statim viribus uti cœpit; impletâque promissi fide (ut publicis in Tabulis jurata asseruit) morbus ab ipsâ omnis non rediturus abscessit.

Contraria huic Bulimiæ affectio Mariæ Thomasiæ Paulucciæ, in Sanctæ Mariæ Ægyptiacæ Majoris Cœnobio Ascetriæ, ventriculum pervaserat. Vehementi verò esuritione se ad cibum continenter adigi pertæsa, pudere se hujus morbi Francisco exposuit. E' Confessionalis verò, in quo erat, Subsellii cratibus Crucis simul atque huic signum appressit; morbidâ eâ fame sedatâ, dapibus plùs nimio se inhiare nunquàm ampliùs doluit. Ibidem etiam Theodoræ Fortunatæ Laicæ adjutrici, aper-

Digitized by Google

to in humeris ulceri biennium obnoxiæ, Sancti Cyri pulvere cum precibus adhibito obductum illud iri pollicitus; incognito Medicis malagmate moleſti ejus morbi expertem breviſſimo temporis ſpatio eam reddidit.

Adoleſcentem ejus viæ inquilinum, quà è Profeſſorum Domo ad Olivetanorum Patrum Cœnobium itur, ſupremis jam procuratum Sacris, atque ante Solis occaſum ex Medicorum judicio indubiè deceſſurum, poſtquàm Sancti Cyri lipſanis attigit, bono animo eſſe, atque interitus metum deponere juſsit Franciſcus. Mirumque dictu! Quatuor ad ſummum horis elapſis è lectulo proſiluit: acceptæque à Deo ſubitæ valetudinis memor, nuncio rebus omnibus exindè remiſſo, ad Sacrum Minimorum Ordinem amplectendum confugit.

Memorabile omninò eſt, quod in celeberrimo Neapoli Domus Romatæ Aſceterio duabus Virginibus in domeſticâ Cœnobii munia adſcitis beneficium contulit Franciſcus. Alteri earum, cui Franciſcæ de Bono vocabulum, vehemens dexteri brachii dolor animum jam integrum nocere ità perrexerat, ut exercendis laboribus imparem ſeſe, atque Aſceterio minùs idcircò gratam ſe fore arbitrata, domuitionem animo jam coqueret. Commendare miſeram hujus vicem accito ad Confeſsiones ibi audiendas Franciſco Nobilis quædam Aſcetria anno elapſi proximè ſeculi XCII. inſtitit. Cum ægram ipſe accedere ad ſe juſſam humaniter priùs ſolatus; *Perſtare-ne in Religioſæ vitæ propoſito vellet?* ſedulò interrogavit. Cumque illa, perſtare ſe quidem velle, repoſuiſſet, modò integras vires ad conſueta Aſceterii officia afferre doloris expers valeret; ter *ipſe oculis in* Cœlum erectis, ter ab iis omnibus, quæ audiendi hominis ſtudio non paucæ illùc accurrerant, conſueto Eccleſiæ Hymno ſalutari Auguſtam Trinitatem juſſit, quò eidem de collatis in Sanctum Cyrum donis gratias agerent. Mox ſuper affecto Virginis brachio Magni Martyris reliquiis ſalutare Crucis ſignum expreſſit. Omnibuſque rei prodigio attonitis, ſirgatus eodem temporis puncto ità omnis indè abſceſſit dolor, ut nullam deindè moleſtiam eidem creaverit. Non diſſimili ex causâ Apolloniam Cavam (earum altera hæc erat) quadriennio poſt par Regularis vitæ tædium cœperat. Perperàm ſuccreſcentis quippè unguis vitio pedis digitus purulentum, ac permoleſtum adeò ulcuſculum contraxerat, ut moliri ſe, aut quòquam agere ſine

maxi-

Digitized by Google

maximo doloris sensu neutiquam posset. Non humaniter hanc, sed acri objurgatione præter morem excepit Franciscus; *Ignavam enim*, inquit, *te potiùs, quàm ægram dixerim, quæ levibus adeò de causis ad Religiosæ vitæ institutum deserendum adduci te finis*. Hanc tamen verborum acrimoniam præsenti remedio ei fuisse non multis post diebus est agnitum. Dum enim animo in Franciscum exacerbata ad imperatos labores regreditur, cupreâ situlâ in affectum pedem violenter prolapsâ acer eam adeò oppressit dolor, ut de adhærentibus purulento ulceri caligis detrahendis toto quatriduo ne cogitandum quidem censuerit. Quinto verò post die, dum nudare caligâ pedem noctu timidè aggreditur, avulsum è digito corruptum unguem, obductoque jam ulcere novum subnatum jam esse perindè admirans reperit, ac si acerrimæ ei molestiæ obnoxia anteà haud unquam fuisset.

Teresiam Ruffo non sine extremæ perniciei periculo Scirrhus obsederat, qui latè per corpus serpens circà maxillam inferiorem sævum tumorem effecerat. Rogatus hanc invisit Franciscus; ac, post fusas de more ad Deum preces, affectæ parti salutare Crucis signum appressit. Testata porrò est ægræ hujus Soror Catharina Ruffo eodem temporis puncto tumorem illum prorsus evanuisse, dolorem verò ità sensim desedisse, ut nunquam, quoad vixit, eo se torqueri doluerit.

Ter ex imploratâ Francisci ope non prospero tantùm successu, sed fausto etiam successus prænuncio lætam se abiisse gratulata est Eugenia Rodriguez Thomæ Caropresii Uxor. Primò enim, anno labentis seculi secundo, Franciscum ad Sacram Synaxim in Foro cientem Populum è domus fenestrâ interpellans, Filium ei commendavit jam propè triennem, sed prorsùs elinguem, eâque de causâ excisorium Medici scalpellum sub linguâ opperientem. Pueri os ad se advecti, hæc ubi audiit, dexterâ signavit Franciscus; expediendumque Puero loquelæ usum confidere Matrem jussit. Nec aliter quàm prædixerat, mox evenit. Vivit hic jam adultus, & Sacerdos, ac ad audiendas Confessiones à Curiâ Archiepiscopali adprobatus, ac Sodalitio Apostolicarum Missionum in Ecclesia Cathedrali erecto adscriptus laudabilem, & quæ aliis exemplo sit, vitam degit, ac Missionum Exercitiis laudabiliter vacat. Nec dispari eventu biennio post cum bimam Filiam decimum jam mensem molien-

dis

Digitized by Google

dis greſſibus ex crurium morbo ineptam doleret, ut ità languenti præſto Franciſcus eſſet, expetiit. Nec fruſtrà eam ſpes habuit: Sancti Cyri lipſanis quippè Puellæ benè precatus, fidendumque Deo eſſe non ſemel inſinuans, paucis poſt diebus Puellam morbi immunem, ac liberè jam domi incedentem reddidit. Auctâ hinc Eugeniæ ex duplicis eventus felicitate fiduciâ, uterum dum ferret, ſibi, ac fœtui fauſtum precari Franciſcum voluit. Roganti porrò annuens hæc addidit Franciſcus: *Naſcituræ huic ſoboli Cyri nomen imponito*. Marem reapsè enixa feliciter Eugenia eſt, cui Januarii Cyri nomen, beneficii æquè, ac vaticinii memor, inditum voluit; cumque natos exindè liberos nullis pueritiæ incommodis, ac morbis obnoxios ſortiri inſuper ei obtigerit, hoc ipſum à Franciſci precibus in eos derivaſſe publico dein teſtimonio aſſeruit.

Idem & quadrimo infanti Vincentio Tuttavilla Calabriti in Lucanis Duci præſtitum à Franciſco fuiſſe teſtata de ſcripto eſt Fauſtina Caracciola ejus Mater. Ullis quippè remediis levari ejus morbum poſſe cum negarent Medici, unigenæ Filii vitæ ut proſpiceret, Franciſcum accivit Mater. A' Puerulo verò ſcitatus primùm ipſe; *Abeſſetne eum morbum vellet?* Annuentem ad conciliandum ſibi precibus Deum blandè illexit. Sancti Cyri aquâ dein ei porrectâ, ſecuram à metu Matrem agere diſcedens juſſit. Ac præterquam quod puero meliùs ab eo ſtatim potu eſſe cœpit, non longo dierum intervallo nullis uſum remediis probè convaluiſſe mirabile Medicis ipſis omninò accidit.

Vitæ, fortunarum, ac dignitatis ſuæ præſidium, & columen Franciſcum fuiſſe teſtatus poſt ejus mortem eſt, antiquæ non minùs Beneventanæ originis, quàm Pietatis laude illuſtris Antonius Marchio Maſcambrunus. Quod enim ad vitam attinet; efferveſcentis ſanguinis morbum, qui vel quietis minimum, ne in lectulo quidem, capere ſineret, nonniſi ejus ope ſemel ſe evaſiſſe: iterùmque inflammatæ Eryſipelate tibiæ porrectam ab ipſo Sancti Cyri aquam, ejuſdemque reliquiarum attactum præſenti remedio fuiſſe memoravit. Prætereà anno rep. Sal. MDCCII. Octobri exeunte, debiti cujuſdam obtentu, ac nomine, pro quo creditor ipſe Marchio vocare in jus Adverſarios potiùs debuiſſet, cum ſuis litem fortunis intendi ſecum anxiè doleret; rem Fori tricis, atque ambagibus facilè impli-

can-

Digitized by Google

candam Franciſco commendatum adiit; à quo metum deponere non ſemel juſſus, contrà quàm ex cauſæ præjudiciis viſum nec paucis fuerat, pridie Idus Majas anno ejuſdem ſeculi xv. ampliſſimo, atque honorifico ſupremi, quem de Regis latere appellant, Senatûs Decreto abſolutum ſe rediiſſe Franciſci præſagio non minùs, quàm precibus acceptum retulit. Nihil verò deterius, quodque præſentem Franciſci opem magis expoſceret eâ calumniâ fuit, quam anno ejuſdem ſeculi ix. ad deterendam egregii ejuſdem Viri dignitatem, ac famam peſſimus nebulo commentus eſt. Corruptum hic à Marchione pecuniâ Toparchæ cujuſdam Medicum finxit, ut pharmaci obtenru venenum ei propinaret: nefariæque pactionis teſtes Tabellionis chirographo obſignatas literas exhibebat. Conceptum ex atroci, quâ vexabatur, infamiæ notâ dolorem cum apud Franciſcum exoneraret Marchio, hæc ab eo audiit; *Ne dubita: idem, qui falſum in te crimen fictis commentus eſt tabulis, veris ſuo tempore literis retractabit: nec aliter enim agere conſcientiæ ſtimuli ſinent*. Franciſci-ne preces id impetraverint, incertum: futurum verò ità eſſe quod clarè perſenſerit, eventu patuit. Etenim ex prudentis Homologetæ præſcripto, ut inuſtam alieno honori maculam detergeret, turpiſſimi commenti palinodiam calumniator publicè recantavit, ut debuit; ac teſtes ſuæ pœnitentiæ literas per publicum Libellionem Dominicum Venettum ad ipſum, quem læſerat, Marchionem deferendas curavit.

Salutarem Franciſci operam in liberis blæſi oris vitio liberandis jamdiù, ut alibi retuli, in Nolanâ Miſſione experta erat Nobilis Matrona Catharina Curtopaſſa. Hinc ubi ſe maligno Rheumate aliquot poſt annis correptam ſenſit, verita ne & ſibi, ut multis jam aliis eo anno in Campaniâ, exitialis hic morbus foret, advocandum maturatò Neapoli Franciſcum eundem curavit. Qui præſens hujus periculum nullas pati moras arcano admonitu edoctus, rebus aliis intermiſſis, Nolam extemplò ſe contulit; ſalubremque olim Filiis, eandem & Matri Sancti Cyri aquam felici adeò ſucceſſu præbuit, ut maligni Rheumatis perniciem, ac metum ex integro repentè deſiiſſe admirationi tùm ægræ, tùm aliis morbi conſciis fuerit.

Adoleſcentulum quendam anno hujus ſeculi xiv. ſævus cruris dolor lectulo affixerat. Animique noxis apud vocatum

ad

Digitized by Google

ad ſe Franciſcum depoſitis, convaliturum ſe quidem, ſed magnis doloribus obnoxium fore, ab eo audiit. Ad Medicum tamen ſi confugeret Cyrum, morbi, quo conflictabatur, originem brevi oſtenſum ab eo iri. Paruit monenti Adoleſcens; bimeſtrique ſpatio elapſo, vitiatam Gangrænâ ejus coxam obſervarunt Medici, ut conclamatum proinde ejus vitæ jam eſſe ominarentur. Redire ad ſe Franciſcum ferali decreto exterritus cupiit Juvenis, quem ipſe Cœleſti Viatico, Extremoque morientium Oleo muniri antea juſſum S. Cyri reliquiis dein attigit, ojuſque Florum, quos etiam ægro ſumendos præbuit, pulviſculo putreſcens ulcus aſperſit. Ad languentis dein Matrem obverſus; *Equidem*, inquit, *Divini ergò hunc amoris indicium hic morbus eſt. In oppido majus certè periculum offendiſſet, ſi quæ animo volvebat, proximis bacchanalibus liberè peragere integram ei fuiſſet. Cyri nunc beneficio lethi faucibus ereptus, de agendis ei gratiis cogitet, neceſſe eſt.* Poſtremis hiſce verbis evaneſcens poſtridiè Gangræna fidem fecit. Quid porrò prioribus dictis potiſſimùm innuiſſet Franciſcus, cum non ſatis perciperet, cupidè à Filio exquiſivit Mater. Meditatumque eum eſſe agnovit, theatro, ludo, comœdiis, aliiſque id genus periculis juvenili licentiâ ſe ingerere, quæ ineunti ætati ingentem ut plurimùm perniciem creant. Ex quo occulta Filii conſilia divinitùs Franciſco patuiſſe intellexit.

Puerperii defunctam labore Tereſiam Jordano Sancti Donati Ducem anno ſuprà milleſimum ſeptingenteſimum decimo quinto, pectoris priùs, dein artuum omnium acerbi adeò dolores vexaverant, ut fomentis, ac remediis nequicquam adhibitis, jacere in lectulo immobilis cogeretur. Quindecim jam dies, ne momento quidem temporis intermiſſa calamitas illa tenuerat: cum damnatâ hominum ope, ut ad Divinam confugeret, vocandum ad ægram Franciſcum curavit Margarita Ardi puerperæ Mater. Se verò ad morbum depellendum diſertis verbis acciri ſimul ipſe audiit; decuſſatis circà pectus brachiis, vultuque ad ruborem pudibundè compoſito; *Ego-ne*, inquit, *ut in hac re quicquam poſſim?* Porrò ità Matri ſe excuſantem ubi ægra audiit, collectis, quibus valuit, viribus; *Potes enimverò*, exclamavit, *potes. Ageſis id operam da, ut tuis mihi precibus Sancti Cyri patrocinium concilies.* Hæc ſuis auribus opploranti Sancti Cyri reliquias vix admovit Franciſcus; cum

di-

diruptis veluti pectoris costis morbum omnem excuti experta est ægra. Quo facto, ex anteà immobili erigere se in cubitum absque ullo doloris sensu liberè valuit.

Fœminis duntaxàt pluribus è conjugio susceptis, masculæ prolis desiderio angebantur admodùm Anna Maria Adimara, & Joannes Franciscus Blancus *Monteronii* Toparcha. Cum Annæ Mariæ animum hæc subiit cogitatio, qui virilem sibi stirpem impetrare non difficilè posset, Franciscum unicè esse. Quare nil differendum rata, è domesticis ulicis unum, qui eum curru domum adventantem exciperet, ad eum misit. Recusato, ut solebat, curru, venturum se, ubi primùm liceret, pollicitus, octavo post die Annam Mariam invisit Franciscus, cujus mœrorem blandis solatus verbis, fusurum se pro eâ re ad Deum preces recepit. Nec multò post ad eam regressus, hilari vultu, atque animo; *Macte animo*, dixit; *masculam, quam optas, sobolem suis tibi meritis Magnus jam impetravit Cyrus. Nascituram proindè prolem grati animi ergò ejus nomine insignias par est.* Hæc eo die Franciscus: quæ vaticino cum spiritu pronunciasse is, quem primo partu Adimara edidit, puer Cyrus ostendit.

Virilem pariter sobolem ad commune Familiæ solatium cum illustris Fœmina Sancti Marci Marchio maximoperè cuperet; cumque nascituræ propediem proli Ursulam Græcam nutricem providisset; Neapolim hanc vixdum advectam sæva adeò Arthritis corripuit, ut sine ingenti molestiâ ne manum quidem aliquò agere jam posset. Ad opem huic ferendam accitus Franciscus Puerperæ æquè, ac Nutrici gratissimum edidit vaticinium. Ægram enim ut vidit; *Euge*, inquit, *mulier; quem tua enitetur Hera, tu marem lactabis.* Ac non ex vano utrique eum fausta prodidisse, & reddita paulò post Nutrici sanitas, & natus Heræ Marchioni Trojanus Onerus Cabanilia S. Joannis Dux demiranti Familiæ ostendit.

Uterum se gerere anno hujus seculi XVI. vix sensit Maria Anna Brancatia *Cantalupi* Dux; cum, qui futuram sobolem Sacro lustraret Fonte, unum in cæteris optavit Franciscum. Qui pluries eo munere frustrà detrectato, persistenti tamen in sententiâ illustri Matronæ gerendum morem censuit. Datis proindè ad eandem literis (quas sacri pignoris loco ea Domus asservat) perperàm sese nullius numeri hominem ad id muneris delectum ab eâ scripsit. Cæterùm ejus voluntati se obsecutum

rum, modò ne Provinciæ Moderatorum, ac Generalis potiſſimùm Præpoſiti injuſſu id fieret. Id tamen omne conſilium octonûm menſium Matronæ abortu difflatum, non uni Franciſci Oraculo viam munit. Etenim ad decumbentem vocatus; *Ita-ne verò* inquit ipſe, *fœminam Baptiſmo luſtrandam mihi obtuleras? Equidem maſculæ ſoboli præſtitum id à me volebam. At quid facias? Extinctum me novus fœtus reperiet: vicini enim verò me lethi ſeniam admonet*. Ità eâdem ſententiâ & ſecutam paucis poſt menſibus ſibi mortem, & naſciturum biennio poſt Matronæ marem fœtum ad unguem prædixit. Editam etiam paulò antè Puellam Cœli Angelam ſibi videri aſſeruit. Ex quo ad Superos præproperè evolaturam eam eſſe, conjectum, ut res fuit, à domeſticis eſt. Ut verò improſperæ matribus octavi menſis abortiones ut plurimùm accidunt; ità & hanc Pleuritis, Inſomnia, ſævuſque omnium artuum dolor ad vitæ penè metam adduxerat. Ad eam proindè reviſendam vocatus Franciſcus, cum hoc quidem morbo diù conflictandum, at non ſuccumbendum ei eſſe præcinuit. Cumque ei prætereà ad tolerandas non brevis ægritudinis moleſtias animos faceret, ac Sancti Cyri reliquias pro more deindè admoveret, divulſam fortè holoſericâ è vittâ lipſanothecam ægræ ipſius pectori adhæſiſſe obſervavit. Hinc verò tanquàm feſtivè cum S. Cyro expoſtulandi argumentum nactus; *Quid*, ait, *hoc rei eſt? Huic-ne tu ægræ ut opitulere, ità me Medice deſeris Cyre? Equidem incolumem tuâ operâ omninò hanc vis, opinor*. De ejus demùm vitæ aleâ ambigentibus adhùc, non ſemper maternæ mortis prodromum abortum eſſe reſpondit. Jam verò nullum Franciſci dictum mendacii coarguit eventus. Etenim trimeſtris ægritudinis moleſtias emetiri Matrona debuit. Redditis tamen ſenſim viribus incolumem ex eo ſe periculo emerſiſſe gratulata eſt.

Hæc in Puerperas, quà vaticinio, quà precibus Franciſcus. Quibus tamen nihilò inferiora ea ſunt, quæ in puerilis ætatis beneficium præſtitiſſe conſtat. Ad conglobatam multitudinem, dum publico in Foro edito è loco olim diceret; adſtantem ibi puerum debito velociùs præteriens biga proſtravit; ſupergreſſaque ejus pectus rotarum altera tantùm non exanimem reddidit. Acerbam hanc filii calamitatem oculis ut accepit Mater, Franciſcum æquè, atque aurigam, tanquàm mali auctores, fœmineo furore deteſtata, impiis utrumque verbis ex

æquo

Digitized by Google

æquo insectari minimè erubuit. Quò fœminæ clamores, ac repetitæ execrationes tenderent, ut resciit Franciscus; concione intercisâ, adduci ad se semianimem puerum jussit: manuque læsæ parti appressâ restituti ex integro filii beneficio ferocientis in se Matris contumelias est ultus. Publicè id accidisse testatus est Matthæus de Alexandro procuratæ à Francisco in Neapolitanâ Professorum Domo Sodalitati adscriptus.

Sexennem ferè, quem habebat filium, ex distortis cruribus monstri potiùs, quàm pueri similem nostro olim in Templo gemebunda Francisco obtulit Mater. Qui utriusque miseratus vicem salutare Crucis signum Infanti crebriùs primùm appressit. Obtortis mox ejus tibiis diligenti manu aptatis illud effecit, ut rectus, ac firmus incedere jam posset. Ne tamen insignis facti auctor ipse appareret, attactum Sancti Cyri reliquiis Puerum, suisque jam niti valentem gressibus Matri restituit. Oculatum se hujusce rei testem fuisse asseruit Franciscus Puglieſe.

Collatum verò alii puero beneficium eò mirabilius, imò & gratiùs extitit, quòd inolito incessus vitio nec requisitus eum liberarit. In celeberrimo Mondragonii Secessu audiendis earum Matronarum Confessionibus vacabat Franciscus; cum in Templum ingredi fœminam cum reptante humi puero è subsellio conspexit. Eo proindè ad se accedere comiter jusso; *Vtinam*, reposuit Mater, *moliri se quòquam, ac tuis se pedibus sistere hic posset Puer!* In eo nihilominùs ad se evocando perstitit adhùc Franciscus: ac Cœlesti instinctu ad ità imperandum eum adduci extemplò patuit. Insolitam enim artubus firmitatem infundi expertus Puer, in pedes erectus ad vocantem accurrit: faustâque precatione ab eo exceptus, firmis omninò cruribus ad attonitam insperati prodigii magnitudine Matrem persanatus se refert. Hæc ibi in puerum beneficus eo die Franciscus. Cæterùm nec pauca, nec vulgaria sunt, quæ incolæ ejus Secessus Matronæ accepta eidem referunt. Nam & se laterum punctionibus vexari solitam calculos postmodùm sine dolore ejeciſſe ejus ope meminit Isabella de Januario. Et brachii sui ulceri admotas ab ipso Sancti Cyri reliquias præsenti subsidio fuisse testata est Nuntia de Michaele. Quid porrò usurpatæ ab ipso res post ejus decessum ibidem præstiterint, memorandum commodiùs in loco erit.

Digitized by Google

In eo, quod vigili Teatinæ Familiæ Patrum curâ regitur, Collegio, quodque à Joanna *Scortiatâ* Neapoli nomen accepit, iis agitari ex morbo intemperiis cœperat Veronica Riccardi, ut animi impos ea diceret, ageretque, quæ publicæ Collegii quieti non leviter incommodarent. Eam verò, extractâ è pectore, quam gerebat, Cruce, tantum quod tetigit Franciſcus; cum (quemadmodùm viri omni exceptione majores, Crotoniates Epiſcopus Michael Guardia tùm Neapoli Curio, & Joannes Baptiſta Caracciolus ex illuſtri Clericorum Regularium Ordine teſtatum reliquere) nullus exindè Veronicam dimotæ de ſtatu mentis furor, nullus contubernales domeſticarum turbarum metus exercuit.

Mariam Albinam Caſſier (hæc illa eſt, quam Hiſpanum militem diù profeſſam ad honeſtarum fœminarum vitam admirabiliter ipſe traduxerat) anno elapſi proximè ſeculi xc. lethaliter febrientem, ac Medici judicio jam depoſitam ſanguinis ex ore ejectio tantum non extinxerat. Pœnitentiæ igitur, Sacrique Olei Myſteriis ritè expiatam Cœleſti Viatico ex novi vomitûs metu abſtinendam cenſuit Franciſcus. Ad aridas interim partim ex morbo, partim ex inediâ fauces refrigerandas ab ipſo hæc aquam expetiit. Verùm (quod commune ejus temporis Medicorum judicium erat) lethalem fortaſsè ægreſcenti eum potum ratus, blandis eam verbis ad tolerandam ſitim hortatus, Domum ſe ipſe recepit. Non multò poſt tamen, eccè nunquàm antea viſus elegans, ac penè ſexennis puer à Franciſco, ut dicebat, miſſam pellucidâ in phialâ ei aquam offert, eamque haud valenti ſuis ipſe manibus hauriendam porrigit. Quâ vix epotâ ſurgere ægram è lectulo, atque ad Confeſſionale Franciſci Subſellium ejuſdem nomine accedere quantocyùs jubet. Mirari hìc Pueri factum æquè, ac dictum Caſſieria, ac vix ſuis oculis, atque auribus credere; imò ad detrectandum imperium jacentes, atque acciſas omninò vires cauſari. Cum manu capiti ad eam erigendam ſuppoſitâ Puer; *Suppetent*, ait, *ad ſurgendum vires: nil eſt cur metuas, Maria. Ex redeo; teque meis actutùm verbis auſcultaſſe Franciſco renuncio.* Reviviſcere ad eas voces, noviſque extemplò viribus ſe augeri viſa ſibi eſt Caſſieria: ac nil cunctandum arbitrata ad Franciſcum adit. Eâ verò vix ipſe viſâ; *Satin'*, inquit, *ſalvæ vires, Caſſieria? Hem lethum metuebas, meis, ac fratris inferiis ſuperſtes indubiè futura!*

atqui

Atqui salvam, atque incolumem te Cyri precibus conciliatus voluit Deus. Mox, ubi subitæ sanitatis causam, ac modum ab eâ agnovit, utque porrectâ à Puero aquâ, manuque capiti suppositâ confestim revaluerit; in gaudium, & gratiarum actiones primùm effusus, arcto dein silentio rem totam obvolvi severissimè jussit. Quod cautè custodiens Maria repentinam valetudinem demirantibus, dissimulato Francisci nomine, ac laude, non aliud reposuit, nisi Dei Optimi Maximi singulari beneficio è lethi faucibus emergere sibi tàm citò licuisse. Post hominis verò obitum rem omnem, ut acta erat, suo ordine coràm legitimis Quæsitoribus sacramenti religione adstricta enarravit.

In Cœnobio à Carmelitis Excalceatis Neapoli Deiparæ Matri dicato Joannes Maria à S. Paulino anno circumacti proximè seculi xcv. vehementi gravatus morbo supremis jam curis animum adjecerat. Sed tamen extremi solatii loco à germano Fratre Nicolao Gurgo nostræ Societatis Sacerdote, Franciscum ut alloqui sibi liceret, enixè flagitavit. Nec morem pio homini gerere reluctatus Franciscus, in ægri cubiculum pedem ut primùm intulit; *Quis*, inquit, *te languor, quis vanus te metus angit, Joannes? Age, Dominico die ad S. Cyri Aram nonne facturam te polliceris?* Se verò tantâ fiduciâ destitui cum reposuisset æger: eumque proindè ad benè sperandum multis allicere contenderet Nicolaus Frater, haud quicquam tamen promovit. Ex haustâ quidem Sancti Cyri aquâ profecisse non parùm visus est æger; secutus quippè proximâ nocte sudor febris immunem postero eum mane reddidit. Infidas tamen inducias eas fuisse sævius recrudescens post paulò morbus ostendit. De extremo igitur hominis discrimine certior factus Franciscus, ad ægrum his verbis graviter admonendum rediit; *Adesdum, Joannes; Dominico die nostram in Ædem sacris operaturus accedas, meoque Cyro gratias agas, edico.* Imperata ad dictam diem exequi se potuisse sospes demiratus est æger. Qui, resumptis ex integro viribus, & diù, & longa, ac difficilia itinera suscipere à suis Moderatoribus jussus, conficere ea se feliciter posse gratulatus postmodùm est. Eodem porrò die, quo hæc ad Joannem Franciscus, acerbus funeris vates ad Regium Sanctæ Claræ Consiliarium Benedictum de Angelis accessit. Non enim alias huic, nisi imminentis lethi, cogitationes ingessit. Quare quemadmo-

Digitized by Google

modùm priori Aras, ad quas faceret; ità poſteriori huic tumulum, quo humaretur, prænunciatum ab eo verè fuiſſe congruus dictis patefecit eventus.

In Stabienſi Carmelitarum Virginum Aſceterio, cui S. Mariæ à *Pace* nomen, Mariam Carmelã Polſone relicta ex diſcuſsâ febri pertinax utriuſque cruris debilitas ſtare, nedùm ingredi, haudquaquam ſinebat. Decimum proindè menſem lectulo miſerè affixa operam cum ludere ſecum Medicos cerneret, ſalubrem ſibi duntaxat fore, ſi ſe inviſeret, exiſtimavit Franciſcum. Porrò ubi in Cœnobium, quod nunquam anteà viderat, morem petenti geſturus, Moderatorum juſſu ipſe ſe contulit, in Ægræ cubiculum, perindè ac veterem loci inquilinum, nullo deducente cum rectà contendere non levi ſtatim admirationi iis, quæ aderant, Virginibus fuit. Expiata ab eo primùm Pœnitentiæ Myſterio ægra: mox cæteris ad preces admiſſis, Sancti Cyri lipſanothecâ ejus tibiis benè precatus, conſuetum ejuſdem Martyris pulverem eidem attribuit, quem reliquis Medicorum fomentis utiliter admiſceret. Demùm his eam verbis inter abeundum affatus; *Bono animo ſis: hùc ego ad te à Deo miſſus acceſſi*; bonæ ſpei plenam diſcedens reliquit. Redituram cruribus firmitatem ex hoc hominis dicto conjecit quidem Carmela: reapsè verò rediiſſe, non ſtatim ab ejus diſceſſu, uti fortaſsè accidit, ſed flexo in veſperum die animadvertit. Etenim dum ſuas tentare vires eo tempore timidè aggreditur, firmis ſe jam uti poplitibus experta, relicto poſtridiè lectulo, perſanatam ſe, ac liberè incedentem Sociis Virginibus oſtendit: tentari id à ſe jam inde ab heſterno mane debuiſſe interim dictitans; non enim in ipſo Franciſci abitu ſibi vires fortaſſe, ſed tantùm fiduciam defuiſſe exclamabat.

CA-

Digitized by Google

CAPUT IX.

Mortuos etiam ad vitam revocat Franciscus.

NEc depulsâ solùm ab ægris morte, sed redditâ mortuis etiam vitâ, inclarescere non semel Deus jussit Franciscum. Autumno, quo tempore in Neapolitani Regni finibus non impunè mutari Cœlum exploratiùs incolis est, quàm ut prolixâ feralium eventuum commemoratione opus habeat, quod mirum apprimè est, huic se discrimini improvidè objecit Pompejus Prudens, professione Medicus, Caroli item Medici germanus frater. Aditam proindè Octobri ineunte Capuam anno evoluti proximè seculi XCI. insalubrem adeò sensit, ut lethalem inde morbum Neapolim regressus retulerit. Quanquàm verò pro *virili* opem huic ferre tùm Frater, tùm alii primæ notæ Medici studuissent; in exarmandâ pestilentis morbi vi operam se ludere experti, supremis ei curis adjiciendum animum esse denunciarunt. Relevatum eum quidem aliquâ ex parte nono ægritudinis die ex indiciis quibusdam credidit frater: at falsum fraternus eum amor habuit. Decimo quippe accessu viribus omninò destitui, supinus rigere, animam agere, supremosque anhelitus ter ità ducere, ut spiritum haud ultrà reciprocaret. Hinc vivere eum desiisse indubiè à præsentibus pronunciatum; præsertim cum diducto jacentis ori admotam aliquandiù faculam ne minimum quidem fluitare, paulòque post liberè se illùc muscas ingerere conspectum est. Extincto igitur lessum domestici, ac familiares dum parant, nec nisi de supremo exequiarum honore inter gemitus, ac lacrimas cogitant; post dimidium horæ spatium ad solandum ægrum ab Orontio de Sapio Sacerdote accitus adfuit Franciscus. Qui decessisse jam hominem admonitus, ad extincti tamen cadaver ingredi voluit, ut quàm vivo minimè potuerat, mortuo saltem opem aliquam precibus impetraret. Ergò humi stratus recitare cum aliis Deiparæ Litanias exorsus, post Augustam Triadem ritè invocatam, ubi ea verba protulit, *Sancta Maria*; in pedes ex-

Digitized by Google

extemplò erectus, ac jacentis nomen ſcitatus, his cum humano majoribus aggreſſus eſt vocibus: *Chriſti Soteris* (extractam è pectore Crucifixi imaginem manu jam arripuerat) *Chriſti Soteris nomine, ac dilectorum ei Indigetum Franciſci Xaverii, ac Cyri, reſpondere te protinùs mihi, Pompei Prudens, jubeo.* Semel, atque iterùm nihil eo imperio actum. Tertiùm verò ità præcipere majori in Deum fiduciâ aggreſſo, recluſis repentè luminibus, *Quid me vis?* coràm præſentibus ſtupore, ac metu defixis reponere oſt auditus Pompejus. Sancti Cyri dein aquâ tantiſper recreatum, bonoque animo eſſe juſſum, ſui licèt non ſatis compotem, hunc reliquit Franciſcus. Collapſas morbo, ac letho vires ſenſim, ac modicè ex eo die recuperare cœpit Pompejus, ac menſe evoluto ex toto demùm revaluit. Quod quidem eò mirandum magis Medicis accidit, quòd cum nullis eum validioribus Pharmacis ad abigendas peſtiferæ ægritudinis reliquias curandum cenſuerint, ſed iis tantùm remediis foverint, quæ attritis viribus inſtaurandis ſubſidio eſſe poſſent; Franciſci unius precibus, atque imperio factum exiſtimarint, ut ſtatim redivivus, trigeſimo verò poſt die etiam valens ad agendas primùm Deo, atque imploratis Cœlitibus grates, mox etiam ad priſtina medicæ artis munia repetenda abſque ullo morbi veſtigio ſeſe contulerit.

Sed prodigii plenius, longèque mirabilius hoc aliud eſt, quod altiſſimo obvolutum ſilentio, dum vixit, voluit ſemper Franciſcus. Lactentem infantem, quam biduo antè morbus extinxerat, miſerrima cum lugeret Mater, inde etiam nihilò angebatur minùs, quòd nec ad tenues puellaris funeris ſumptus quicquam ei ſumma inopia ſufficeret, nec pro iis ſtipem è viciniâ corrogare verecundia permitteret. Utrique igitur anxia ut occurreret malo, id tandem conſilii inconſideratè iniit, ut Puellæ cadavere in Franciſci Confeſſionale Subſellium clàm aſportato, ſepulturæ curam pii ergà omnes hominis benignitati committeret. Nec aliud, quàm cogitaverat, extremis Bacchanalium feriis primo mane executa, in noſtram ſe infert Ædem; erectumque ibi, recepto jam antiquitùs apud nos per eos dies quadraginta horarum comprecationis ritu, Divinæ Euchariſtiæ in amplam Theatri formam auguſtum Solium nacta, ſimulque, ad intermicantem inde lucem oculis vividiùs exhibendam, nigris obductas velis Templi feneſtras offendens, iis tenebris

ad-

Digitized by Google

adjuta, in quem destinaverat locum linteolo involutum cadaver inobservata projecit. Inde re penitùs dissimulatâ pro Templi foribus substitit, suscepti à se consilii exitum opperiturâ. Ergò Sacrâ Re jam peractâ ad destinatum sibi Tribunal non multò post vix descendit Franciscus; cum positi ibidem cadaveris fraude deprehensâ, dissimulatione utendum principiò censuit. Ac positis non longè genibus in publicè expositi Eucharistici Numinis cultum supplex incumbit: animi nimirùm in non facili re fortassè anceps, opportuni ab eo luminis ut opem exposceret. Germanum interim Fratrem Cataldum, ac Mariam Cassier nostram in Ædem antelucanos adventasse conspicatus, adesse hanc primùm jubet; ac, *Tempori*, inquit, *advenis Maria*: *age jam*, *& expositam in meo Confessionali Subsellio Puellam cura*, *donec*, *quid facturus eâ sim*, *in mentem veniat*. Vix verò mandata exequi paravit Maria; cum è jacentis inibi corpusculi rigore, atque ex impositò ori gossipio, id quod res monebat, conjectans, Puellam secùm ad Franciscum defert; atque, *Hancine*, ait, *Pater*, *ut curem? Videsis*, *mortua est*. Cui usurpatis simili in re à Christo Servatore verbis Franciscus; *Falleris*, reponit; *Non est mortua Puella*, *sed dormit*. Cataldo mox Fratre ad Sancti Cyri aquam è Sacrario desumendam misso, Infantis frontem, os, ac pectus Cruce signat. Aperire ad hæc oculos Puellam stupet Maria: allatam etiam à Cataldo Sancti Cyri aquam guttatim in os infusam glutiri ab eâdem etiam videt. Quare non à somno, sed à morte revocatam eam esse quò minùs exclamet, unus obstat Franciscus, qui ad miraculum dissimulandum è præsentibus vitæ indiciis præconceptam de Infantis morte opinionem elevare persistit. Verùm ea ipsius eo die conditio visa est, ut quò magis tegeret, eò manifestiùs ex iis, quæ ageret, prodigia proderet sua. Redivivæ dein Puellæ consulere dum satagit, Mariæ iterùm imperat, ut Puellâ in dextero Confessionalis Subsellii latere collocatâ, ad Templi fores aeturùm pergat; & quàm decussatis ibi insidentem genibus, calyptrâque tectam, lacrimabundam fœminam viderit, Franciscam nomine, protinùs ad se accedere jubeat, atque esse aliquid cur ipsam velit suo nomine significet. Quod dum fideliter, ac sollicitè præstat Maria, congruere quidem dictis omnia observat, nisi quod detrectantem Franciscì alloquium fœminam ad mandata capessenda vi penè attrahere opus habuerit. Vix verò eâ visâ

Digitized by Google

Franciscus; *Nil lacrimis*, ait, *opus est: quàm in meo Subsellio locaveras, tecum abducere filiam jam potes*. Pertinaciter porrò suam esse perneganti: *Obe! negat loqueris*, addidit: *& tua ea est, & viva est*. Nec pluribus opus habuit: vix enim fraudis manifesta eò loci accessit fœmina, cum Puellâ Mammam puerili more clamitante, materni jam impotens affectus, *Probè mea te filia, Terefiola!* confestim exclamat: ac redivivam secum Filiam ad Franciscum deferens, cujus se ob summam inopiam adstrinxerat, doli veniam petit. Ac patefactæ licèt fraudis pudore suffusa, à miseràto tamen ejus vicem Francisco non aliud præter liberale pecuniæ subsidium referens, domum cum revocatâ ad vitam Filiâ discessit. Admirabile porrò, quod oculis hauserat, factum quò minùs proderet Maria, severum Francisci imperium cohibuit: nec Patris enim, nec Homologetæ loco se ei in posterum fore minatus est, si quid eorum, quæ eo die vidisset, vulgare unquàm auderet. Valuitque adeò apud eam imperantis auctoritas, ut nonnisi biennio post Francisci decessum, ejus Religionis metu per graves Viros liberata, ea, quæ quinquennio anteà viderat, apud legitimos Quæsitores ritè prodiderit.

Bina hæc duntaxàt per Franciscum patrata in hoc prodigii genere hactenùs compereram. Cum post hæc scripta diligentissimus tanti Viri rerum indagator, ejusque olim in Sacris Missionibus Socius P. Nicolaus Canatus alia hæc attulit, totius rei serie haud minùs prioribus admirabilia. Christiano anno MDCXCV. Neapoli Camillam Amendola Nicolai Gavaropoli publici Negotiatoris Uxorem Colicus, quo conflictari consueverat, dolor, tandem extinxit. Id ubi, admotâ ejus ori, ac naribus faculâ, ambigentibus adhùc de Matris exitu filiis indubiè innotuit; miser eorum ejulatus, funebrisque intantùm excrevit clamor, ut ad atrox spectaculum excita nostræ Professorum Domus vicinia de advocando Francisco eò lubentiùs cogitarit, quòd Camillam hanc scirent Mariæ Caffieriæ ex Hispano milite ad Christianæ vitæ castra ejus operâ recens traductæ, in ejus gratiam, de hospitio aliquandiù non illiberaliter prospexisse. Vix verò eò introgressum his prorsùs vocibus communis adstantium mœror Franciscum excepit: *Age per Deum, orbatasque Matre nubiles filias fer, puerumque insuper unum, si potes, solare*. Percelli jam ipse tantâ ejus Familiæ calamitate visus, oculis, ut solebat, sursùm erectis, cereisque coràm pri-

Digitized by Google

privatâ ejus domus Aræ accendi jussis, in preces ipse cum aliis extemplò effunditur. Nec longo post temporis spatio in pedes erectus, cadavere ter leniter excusso; *Camilla*, inquit, *Camilla, Dei nomine vocata respondeas volo*. Moveri eo imperio hæc primùm: mox etiam oculos diducere à conterritis admirandæ rei novitate præsentibus observata. Meliùsque exindè habens, & quid tandem duabus illis, quibus extincta jacuerat, horis actum secum fuisset, à nonnemine requisita; nil, nisi in amœnis quibusdam viridariis diversari se visam sibi fuisse, reposuit. Revalescens porrò paucis diebus hæc fœmina ut primùm de præstito sibi, ac Familiæ beneficio gratias Francisco agere exorsa est; ab homine suæ laudi perquàm infenso rejici se statim his verbis audiit; *Ita-ne verò, Camilla? Quasi verò meo tu, non Dei Opt. Max. beneficio, ac misericordiâ vivas? Quod in me est, Cœlum tibi, quàm terram precari, satiùs duxerim*. Viginti hæc postmodùm annis vitam protraxit. Sed non dissimilem eventum triennio post Camillæ hujus Filiam Annam Gavaropoli sortitam fuisse, iidem memorant testes. Acerbissimis quippè hanc puerperii doloribus septem horas vexatam, penè statim à partu, animo linquente exanimatam itidem referunt. Simili tamen Francisci imperio, fusisque ad Deum precibus, ad vitam revocatam, recurrentibus identidem lethalibus ejusdem morbi intemperiis ità restitisse, ut, contrà omnium spem, & improsperæ partionis periculum evaserit, & sospes adhùc eam, quâ fruitur, valetudinem Francisci precibus referat acceptam.

CAPUT X.

Francisci adhùc viventis res pro lipsanis miro successu à quibusdam adhibitæ.

NOn rarò Neapoli, longè extrà eam frequentiùs Urbes, atque Oppida Sacris Excursionibus lustranti Francisco catervatim se homines circumfudisse, quò ex ejus vestibus, aut pallio aliquid clàm invito subriperent, enarratum à me alibi satis jam est. Quorsùm verò tanta hæc sublegendarum ejus rerum vel in Nostratium quibusdam aviditas, nisi ut, quas salutares multis fama vulgaverat, easdem ipsi in aliorum item subsi-

Digitized by Google

dium antè ejus obitum præproperâ fiduciâ adhiberent? Facere hoc præ cæteris noſtrorum Juniorum quidam non dubitavit, qui appoſiti Franciſco panis micas in ſalubres hujuſmodi uſus clàm reſervavit, eaſque in præſentiſſimum propulſandis morbis amuletum evaſiſſe expertus retulit. Fœminam potiſſimùm memoravit, cui Apoplexia maxillas adeò concluſerat, ut nec fandi, nec guſtandi quidpiam vis ei ſuppeteret. Diducto tamen violenter ore, earum micarum fruſtulum glutire juſſa utriuſque facultatis uſum brevi recuperavit. Addidit micis iiſdem, ſe auctore, Medicæ artis profeſſorem Vaccarium in curandis morbis feliciter uſum fuiſſe. Imò ex iiſdem novâ iterùm farinâ ſubactis panem extitiſſe, quem perutilem ægris fuiſſe non uno didicerit experimento.

Fecere hoc item alii, uſurpatis à Franciſco rebus ſucceſſu non pœnitendo non ſemel uſi; ut Antonia Trebeta, cui, Nicolao Bruno teſte, ad abigendam incognitam omninò Medicis ægritudinem traditus à Franciſco Sancti Cyri pulviſculus; & Sarcinator quidam, cui Andreas Taglio vocabulum, cui miſſus ab eodem idem pulvis ad deſperatam valetudinem recuperandam præſentis remedii loco fuere. Ac præter hos, Puteolis Joſeph de Ferrante, & Cæſar Ruſſo à Medicis jam deſtituti, quorum utrique ab hauſto, quem ipſe ſubmiſerat, pulvere melius ſubitò eſſe, nec multò poſt perfectè revaleſcere etiam obtigit.

Submiſſi verò à Franciſco id genus pulveris præſentiſſimam vim experta omnium luculentiſſimè eſt illuſtris Matrona Anna Cattanea Cajetana Montis Aurei Comes, prout ex dato ab eâ teſtimonio colligere integrum cuique eſt. Maximo hæc ſibi præſidio, tùm in ſuis, tùm in Viri ærumnis Franciſcum perſæpè fuiſſe generatim ibi ampliſſimis verbis primùm fatetur. Id unum tamen, utpotè reliquis illuſtriùs, publicis conſignatum tabulis exhibuit x. Kal. Aprilis, anno ſuprà milleſimum ſeptingenteſimum vigeſimo primo. Sævus ei in mammarum alterâ dolor ineunte Junio anno hujus ſeculi XIII. dum *Ayrolæ* ageret, eum ſenſim tumorem effecerat, ut exciſorium Medici ſcalprum jam non ex vano metueret. Eâ ſuper re literas ad Franciſcum dedit, quibus & morbi moleſtiâ, & remedii metu ei ſimul expoſito, preces ipſius enixiùs poſtulabat. Miſerari ſe Matronæ vicem contrà reſcripſit Franciſcus; & quominùs eam, ut vellet, inviſeret, plurimas Neapolitanæ Urbis occupa-

Digitized by Google

cupationes causatus est. Cæterùm Sancti Cyri Iconem, ac Florum pulviſculum, quæ mitteret, præſentiſſimum morbi remedium fore, modò cum ingenti fiduciâ amuletum illud affectæ parti adhibitum iret: neque enim tùm primum fore, ut ſine ullâ ſcalpelli operâ tumores hujuſmodi opinione citiùs evaneſcerent. Non aliter porrò, quàm ſcripſerat, mirantibus Medicis, accidit. Earum quippè rerum, quas Franciſcus miſerat, attactu dolor, ac tumor omnis ità in totum recеſſit, ut latitantis intus peſtis veſtigium appareret jam nullum.

Immaturos præterea à ſe fœtus non ſine periculo ejici quater experta Jo: Bernardini Garofali Uxor, ex vitæ ſuæ metu non minùs, quàm ex vitalis ſobolis cupiditate calamitatem hanc ſuam Franciſco expoſuit, ut interpoſitis ejus precibus infelicis partionis infortunium declinaret. Novo huic excogitati à ſe remedii genere conſuluit Franciſcus. Confectum nempè è Sancti Cyri Floribus cataplaſma ei præbuit, quo corpori admoto felices fore partus præmonuit. Præſentiſſimum retinendo fœtui remedium illud fuiſſe experta ſuo tempore Mulier eſt. Eo quippè uſa, & conſuetos, qui abortum cierent, dolores compeſcere, & virilem partum eniti, ut optarat, feliciter valuit. Cui, gratum ut Franciſco faceret, Franciſci Xaverii nomen inditum voluit. Vulgatâ porrò miri adeò cataplaſmatis vi, particulam ejus aliquam, ſibi prout res ferret aptandam, illuſtris Matrona Cuperſani Comes penès ſe ut eſſet, cupidè expetiit.

Simile beneficio, illuſtrius verò vaticinio hoc aliud eſt. Educata in Gynecæo, quod *Sancta Maria Viſita Pauperes* Neapoli dicitur, Anna de Belluccia, eâque de causâ Franciſco illùc ad Conciones frequenter itanti apprimè nota, anno hujus ſeculi x. Franciſco Antonio Reſta legitimis ſe nuptiis adjunxerat. In perducendâ tamen ad maturitatem prole parùm felix conceptum bis fœtum, bis præcoci nimiùm puerperio ejectaverat. Id ipſa cum fortè obvio aperuiſſet Franciſco, ejus calamitatis metu levata ab eo ſtatim eſt pii cataplaſmatis ſpe, quo corpori admoto nonniſi maturos in poſterum pareret fœtus. Deditque profectò non multò poſt, hiſce inter tradendum eam verbis affatus; *Bono animo ſis: malagmate hoc apud te habito Marem edes. Ignatius ei erit nomen: nec filii morum te pœnitebit.* E' vaticino hominis ſpiritu hæc promanaſſe liquidò comprobavit eventus. Feſtâ Sancti Ignatii luce, maſculam hæc ſobo-

Digitized by Google

ſobolem enixa eſt, quam ſacro è Fonte ſuſcepturus *Jungani* Dux Marcus Antonius è Patriciâ Conſentiæ in Brutiis Garofalorum Familiâ, de Neophyti Infantis nomine Patrem conſuluit. Cumque hic penès Suſceptorem hujus rei arbitrium eſſe repoſuiſſet; inſcius omninò Franciſci dictorum Garofalus, ſuâ ſponte, *Benè habet*, inquit, *ſuſcipiendo à me infanti Ignatii vocabulum indo*. Jam verò ad hujuſce præſensionis coronidem frugi cum puerum eſſe, atque in optimam ſpem adoleſcere teſtatur Pater. Qui de tradito à Franciſco cataplaſmate inſuper addit, non ſuæ duntaxat Uxori, ſed pluribus etiam prægnantibus ad declinanda abortionum pericula ſaluberrimum illud fuiſſe.

Ejuſdem generis cataplaſma cuidam in Stabienſium Carmelitarum Aſceterio Antiſtitæ vices gerenti ad acres ſtomachi, quibus conflictabatur, morſus ſaluberrimi malagmatis loco fuit. Hanc porrò optimè deinceps valetudine uſuram prædixit Franciſcus: quin mendacii oraculum ægritudo unquàm ulla coarguerit. Sancti verò Cyri Iconem, ac pulverem ad Teresiam Vappianam ad domeſtica ejuſdem Stabienſis Aſceterii munia accenſam vix miſit; cum diuturnâ, quâ conflictata fuerat, capitis vertigine liberam eam abiiſſe eſt nunciatum.

His porrò de cauſis factum, ut habendi, quos ipſe Sancti Cyri nomine diſtribueret, confecti è Floribus pulveris, necnon Imaginum, aliarumve ejuſmodi rerum impenſum in pluribus vigeret ſtudium. Hiſce nimirùm adminiculis, ubi id allevandorum mortalium neceſſitas poſceret, abſentis Franciſci vices quadamtenùs ſuppleri exiſtimabant. Gratam verò Deo hanc ipſorum cupiditatem fuiſſe hic etiam, ni falſus animi ſum, declaraſſe videtur eventus. Memorato nuper Sancti Cyri pulvere noſtrorum Juniorum quoſdam rogatus impertierat Franciſcus; cum his vix ab ipſo digreſſis, qui ejuſdem pii pulveris ſibi copiam flagitarent, Noſtrates ſtatim alii ſupervenère. Felicius prioribus eam petitionem ceſſiſſe repoſuit Franciſcus; nunc nihil ejus pulviſculi ad manum ſuppetere, quo eorum cupiditati fieret ſatis. Ne verò & hos ſpe fruſtratos amittere humaniſſimus cæteroqui homo videretur, erecto priùs in Cœlum pauliſper animo, inanes in loculos manum inſeruit, indeque præter ſpem papyraceis involutum ſchedulis pulverem copioſè adeò eduxit, ut ex eo, nedum præſentibus, ve-

Digitized by Google

verùm & succedentibus quibusdam aliis suum cuique pugillum sufficere abundè valuerit. Mirabile porrò hoc optati pulveris incrementum in eam petentes sententiam facilè attraxit, non minùs Francisco sanctimoniæ apud homines existimationem, quam huic ipsi hominum existimationi auctoritatem, ac laudem conciliare eo prodigio Deum voluisse.

Pii præterea, efficacisque amuleti vice Monopoli in Apuliâ ea restis fuit, quam ibi Sacræ Expeditionis tempore collo circumdederat Franciscus. Ea quippè nobili fœminæ Æmiliæ Romanellæ difficilem, Antoniæ verò Aghiæ longè difficiliorem partum expedit. Eandemque sibi restim vix Maria Miccolis Petri Moretti olim uxor adhibuit; cum, quod antea nequibat, secundas à partu egerere statim valuit.

Æquè admirabile in hac re id etiam est, quod Divini Amoris Asceterium Neapoli memorat. Relapsa ibi in morbum Asceteia quædam est, an. Rep. Sal. MDCCLX. quam è simili morbo revaliturum, uti re ipsâ accidit, ante annum prædixerat Franciscus. Quocirca, seu Mariæ Capyciæ Antistitæ hortatu, seu renovatâ ex prioris beneficii memoriâ in Franciscum fiduciâ, exaratam ab eo schedam glutiit. Ac supremis licèt jam esset Sacris procurata, eo tamen Alexipharmaco recreata adeò est, ut remittente morbi vi, non ità post multò ex integro convaluerit.

Hanc verò non de nihilo apud plurimos persuasionem invaluisse, ne minoris momenti rebus firmare prolixiùs videar, omnium instar in hac re illud arbitror, quod in Nobilis Puellæ commodum non per se, sed per sua insciius exhibuit Franciscus. Ingenui hanc Adolescentis specie captâ, deperire illum miserè adeò cœpit, ut disparis prosapiæ conditione nequicquam suæ cupidini obluctante, cœco quodam amoris impetu ejus unicè nuptias appeteret. Præcipitis insaniæ, ac periculi plenum id consilium fore conspicatus Adolescens, illud ut citò abrumperet, congenerem nactus puellam, eâ ductâ maturatò sibi consuluit. Se verò suâ spe jam penitùs fraudatam iniquiùs ferens Nobilis Adolescentula, ut sui antèa generis, ità suæ jam immemor vitæ, constitit sibi mortem veneno constituit. Eo igitur clàm, & dissimulanter epoto, quid in se sceleris molita vesanè jam esset, nonnisi imminentis jam lethi metu, ac doloribus perculsa serâ nimiùm pœnitentiâ aperuit. Conquisi-

ta

ta ad abigendam eam peſtem remedia omnia ; incaſſum tamen adhibita : viſcera enim, ac venas introrsùs actum jam virus pervaſerat. Ergò cùm vulgatâ adoleſcentulæ calamitate tota reſonaret vicinia, eam fortè prætergredi Tonſor quidam debuit, qui abraſum Franciſci capillum ſacræ rei loco habendum ſervaverat. Atque infelicis puellæ diſcrimine inter confuſas ejulantium voces audito, in ipſum jacentis cubiculum audacter ingreſſus, ubi nullis eam medentium alexipharmacis reſtitui jam poſſe perſpexit, injectos in aquam capillos, extremæ opis loco, ægræ ſorbendos obtulit. Ac mirum dictu! iis ebibendis vix tantùm non exanimis fœmina os applicuit ; cum obluctatum aliis jam antidotis toxicum nullo penè niſu extemplò evomuit ; ejuſque pii malagmatis potu, & noxium corpori virus, & debacchatam animo pernicioſiorem veſani amoris peſtem ejecit.

Nullâ quidem Franciſci re uſus ; ejus tamen abſentis opem expertum ſe eſſe teſtatus eſt Antonius de Roberto. Inferni ſiquidem veteratoris inſidiis vehementiùs quondam die exagitatus, his ne ſuccumberet, Franciſci tacitus ſecum imploravit opem. Cum has ejus voces animo ſuo ingeriſenſit ; *Macte animo, Antoni, animum ne deſpondeas*. Statimque turbinem eum diſcuti, ac priſtinæ ſe malaciæ, ac tranquillitati opinione celeriùs reſtitutum non ſine admiratione percepit.

CAPUT XI.

In res rationis, aut etiam ſenſus expertes mirum Franciſci imperium.

NEc, quod ad augendam ſanctimoniæ exiſtimationem plurimùm facit, deeſſe Franciſco viſum eſt inanimarum, aut mentis expertium rerum obſequium. Reveritos ejus præſentiam mediâ ſubſtitiſſe viâ Equos in ſuperioribus dixiſſe me memini. Idem & à Bobus anno hujuſce ſeculi v. ſimili occaſione factum ſuis ſe vidiſſe oculis teſtatus eſt Petrus Paladinus nobili loco Lupiis natus. Anguſtâ quâdam in ſemitâ ejus viciniæ pueris, ac fœminis ſeptus Concioni vacabat Franciſcus ; cum Carrum per circumfuſam turbam agentem conſpicatus Bubulcum ; *Reſiſte parum*.

Digitized by Google

paramper, inquit; *citò me expediam*. Id verò à se flagitari indignè accipiens homo ex merâ rusticitate compactus; *Bellè*, inurbanus reposuit, *bellè tibi procedunt res, Pater, cui instrata domi mensa jam est. Mihi verò nonnisi diurnus hic labor victum suppeditat*. Incredibilem hanc morum asperitatem ne leniendo irritaret magis Franciscus, agresti petulantiæ morem gerendum duxit. Concioneque intermissâ confertam multitudinem in partes discedere jussit, ne adornatus illàc ingentis molis transitus cuiquam periculo foret. Hac ipsâ verò discessione haud expectatâ, temerè, quos urgebat Boves, antrorsùm impulit Bubulcus. Sed tamen rectore suo minùs hebetes belluæ, ubi ad Franciscum, erectamque ab eo Crucem devenere, eam veluti veneratæ, in poplites prociduæ subsistitere. Fortuitò prolapsas ratus, erigere eas verberibus contendit efferatior Rusticus: eæ tamen in exhibito obsequio tandiù immobiles perstitere, donec ad benè iis precantis Franciscì veluti imperium consurrexere. Petitum hoc stolidis è Brutis exemplum ad refractariorum, ac Divina imperia detrectantium hominum pertinaciam increpandam tempori adeò detorsit Franciscus, ut, admiratione in gemitum versâ, ad detestandam animi sui duritiem non paucos eo die adduxerit.

Nec in Bubulis, seù in Ægyptiis Bobus (ut loqui nonnullis placet) quod ferocius cæteroquì animal est, minor ergà ipsum reverentia. Extrà Neapolitana Suburbia plurimus protenditur ager, quem ab ingenti aquarum copiâ *Paludes* incolæ appellant, undè quotidianus totius penè Urbis victus existit. Hic, cum in horto quodam agrestium aliquot alloqueretur Franciscus, in furorem actas tres id genus pecudes rectà eò versùs contendere observarunt Coloni. Declinandum fugâ irrumpentium belluarum impetum esse una omnium vox erat. Timidos verò immotus interpellans Franciscus; *Nulla metus causa est*, ajebat, *Hùc Bubuli minimè accedent*. Et verò usque adeò illùc irruere ii minimè ausi, ut potiùs majori quâdam vi repulsi represso confestim impetu aliorsùm excurrerint. Quod unius Franciscì seù imperio, seù precibus obtigisse earum animantium furorem aliàs experti eorum locorum incolæ prædicarunt.

Eosdem hortos excolendorum ad pietatem agrestium causâ cum frequens inviseret Franciscus, non uno eos nobili-

Digitized by Google

lavit prodigio. Præter enim eos, quos ex Agricolarum corporibus per contemptum veluti, & jocum repentè diſpulit morbos, ut à Teresiâ Vitali acres dolores, ac febrim, Sancti Cyri aquâ vix ei porrectâ; & à Franciſco hujus Teresiæ filio Pœdarthrocacen, ſeù *ventoſam*, ut dicunt, *ſpinam*, pollici adnatam; quæ hîc attexere præter ordinem libuit, ne eòdem redire memorandarum rerum me ratio cogat. Præter hæc, inquam, in ipſos ab horum hominum familiâ oleribus, ac plantis conſitos hortos beneficus, ab his ſemel brevi precatione præmiſſâ, mox Crucis ſigno manu expreſso; iterùm Sancti Cyri oleo in tres agelli partes ab eâdem Teresiâ Vitali diſpergi juſſo; demùm colonis ipſis ad deponendum metum duntaxàt adductis ter noxias herbis ità indè exturbavit Erucas, ut revireſcentia exindè olera, ac plantæ nunquàm lætiùs germinarint.

Sed nihil in hoc genere meo judicio mirabilius, quàm quod triennio ante Franciſci deceſſum accidiſſe ibidem memorant. Flores ipſe, ſeù quos prælatæ per Urbem Cruci ad ornatum affigeret, ſeù quos in pulviſculum Sancto Cyro ſacrum redactos ægris ſubindè ſufficeret, hortorum eorundem colonis ſerendos, atque excolendos demandare jamdiù conſueverat. Jam cum floriferæ hujuſmodi annonæ copiam, vel inopiam exploraturus eò loci quodam die divertiſſet; Franciſcum Vitalem in horti veſtibulo obvium habuit, à quo exaruiſſe jam Malvæ Roſeæ ſemina audiit; neque enim hactenùs floſculos ex iis proveniſſe, nec naſcendi ſpem ullam facere. Inexpectatam hanc florum ſterilitatem mirantis primùm, mox etiam ſubirati ſpecie excipere viſus Franciſcus. Ac, *Ita-ne verò?* inquit, *nec dum eruperunt Roſæ?* Erectis deindè in Cœlum oculis, eò, ubi ſemina ſparſerat Vitalis, obverſus: *Heus vos*, ſubjunxit, *flores Dei nomine pubeſcite*. Nec pluribus opus fuit, ut in optatos Malvæ Roſeæ flores ſolito fœcundiùs ſeſe ager ille paucis poſt diebus indueret. Eos verò lætiſſimè præter ſpem pullulaſſe ubi Franciſco illàc non multò poſt tranſeunti nunciatum ivit Vitalis; *Papæ*, reſpondit, *pertinaces fuere flores! Conceptis quippè verbis imperari fœcunditas iis debuit*. Ità lepore, ac jocis defixos in ſuarum rerum admiratione animos aliò deflectere conſueverat.

Nec floribus, herbiſve obſequentes minùs expertus non ſemel Arbores eſt. Etenim valetudinis causâ dum in Maſſæ Lubren-

brensis Collegio ageret Franciscus, ad avitum Parascandulorum prædium in *Tizzani*, ut ajunt, Vico positum officii causâ invitatus quodam die accedere habuit. Effœtæ hîc arbori (Pyrum roscam incolæ appellant) nec nisi uno duntaxat ramusculo virescenti, interitum per id temporis metuebat Colonus. Mœrorem hic verò suum vix inambulanti significavit Francisco; cum succedens ipse, atque ad vetustam immensæ arboris molem obversus; *Nolo*, inquit, *senium te interimat, Arbos. Revirescе Dei nomine, taisque in posterum Dominis uberes præbeto fructus*. Hæc benè arbori precatus Franciscus. Haud porrò successu vacuum hominis imperium fuisse secutis exindè annis repullulans ostendit arbos, novarum frondium amœnitate, pomorumque, quæ reddidit, præstantiâ novellis, quæ inibi sunt, arbusculis nullâ ex parte dissimilis.

Priori non absimile est, quod de ipso Neapolitanum Sancti Antonii Patavini Asceterium memorat. In ægræ cujusdam gratiam eum illùc ingredi res tulerat; cumque ejus alloquendi cupidæ in eodem Conclavi adstantes Virgines eum aliquot detinerent; ut aliud ex alio præbere mutuò colloquentibus sermonis materiam solet, scitari ab iis Franciscum accidit; *In communi-ne mensâ apponi singulis poma, arborumve fructus apud eas mos esset?* Nihil harum rerum in commune distribui responsum, præter paucas ficus, quas posita in Ascelerii Viridario arbor avarè suppeditaret. Eam verò arborem, hæc ubi audiit, è cellæ fenestrâ conspicatus ipse; *Eja*, inquit, *arbor, devotis hisce Jesu Christo Virginibus plurimos jam fructus sufficito*. Imperium hominis sentire veluti, atque accipere visa arbor est. Etenim quæ priùs vix tot protulerat ficus, quot semel quotannis delibari à singulis possent, uberes adeò eâ æstate fructus reddidit, ut quater in triclinium præter morem illatos non sine ingenti admiratione Ascetriæ eos viderint. Tanti ad augendam arboris fœcunditatem hominis vox, atque imperium fuit.

Hæc obiter ipse, ad honestam sacri ejus cœtus voluptatem. Illud verò aliud ad avertendum Virginum aliarum non leve incommodum evidentiùs, ac celeriùs anno hujus seculi XIV. ab eo patratum. Putruisse jam ex integro domesticis in horreis frumenti annonam dolebat maximè Ascetriarum *Sanctæ Mariæ à Puritate*, seù, ut vulgatius loci nomen est, Sanctæ Mariæ Ægyptiacæ ad Æglam Antistita Maria Christina à San-

Digitized by Google

cto Joanne Baptiſta. Jam quippè, ſeù in areâ non ſatis toſtum, ſeù ventis in granario non ſatis pervium concaluerat triticum; multoque curculione, ac vermiculis obſeſſum in eo jam erat, ut ſi qua ejus pars adhùc ſupereſſet, eam, ne in totum periret, in farinam citiſſimè redigendam Piſtrinarii denunciarent: de comportando interim novo illùc frumento cogitarent Aſcetriæ. Novos verò hoſce ſumptus novi Templi ædificio ſubtrahendos neceſſariò eſſe cùm ægrè eæ Virgines ferrent, tradentem ibidem per eos dies Spiritualia Sancti Ignatii Exercitia de calamitate hac ſuâ edocendum per Antiſtitam curarunt Franciſcum: qui dilectarum Deo Virginum miſeratus vicem, extremo Exercitiorum die ſe tùm aliis rebus, tùm Aſceterii etiam frumento benè precaturum recepit. Conſtitutâ igitur die, fidem ut liberaret ſuam, plurimis aliis precationibus hanc addidit: *Aſceterii frumento faxſtum prætered precor, quò, priſtino vigore recepto, ſuſtentandis Dei Virginibus idoneum ſit*. Nonniſi pium hominis votum exprimi his verbis viſum; eorum tamen efficacitas poſtero mane luculentiſſimè apparuit. Etenim frumentariæ rei peritiſſimi homines eò adducti, cum cumeris undequàque inſpectis nihil ſe in tritico vitii deprehendere conſtanter aſſererent; cumque mutatum in melius, imò in optimum, illud jam eſſe inſpectâ re inficiari nec poſſent Aſcetriæ; heſternis duntaxat Franciſci vocibus adſcribendum inſigne hoc prodigium eſſe plenis lætitiæ vocibus exclamarunt. Ejuſque exindè miraculi eò altiùs earum animis inſedit opinio, quòd ex eo tritico in farinam molito, manibuſque de more ſubacto uberiùs, ac perfectiùs ſolito toto anno prodierint panes.

Haud nova porrò hæc ſervati ejus precibus frumenti laus. Hoc idem æquè admirabiliter Juliani in Oppido propè Averſam in noſtri Collegii Romani prædio paucis antè annis præſtiterat. Exiguarum ibi muſcarum confertiſſimis turmis, quæ tritici ſuccum exederent, obſideri undequaque horreum, annique laborem omnem peſſum ire anxiè dolebat ejus prædii Curator Petrus Patritius Stacca Adjutor Laicus; cum Septembri menſe digreſſus illùc fortè Franciſcus imminens annonæ periculum citò diſſlavit. De ingenti ſiquidem jacturâ à Petro Patritio ſuper menſam certior factus; macte animo eum eſſe juſſit; ſe à meridiatione unà cum ipſo horrea inſpecturum. In ea verò condictâ vix horâ penetravit Franciſcus; cum infinitum illud agmen

men tritico supervolitans conspicatus, Dominicâ priùs precatione, atque Angelico Ave Petro Patritio imperatis, eidem mox obversus: *Quò*, inquit, *immensum examen hoc tutè detrusum cupis?* Cumque in vicinum Marani montem abigi tutò posse ille reposuisset; *Haud ità*, resumpsit Franciscus, *Hinc modò exulent minutæ id genus muscæ, nonnè hoc satis?* Cruce igitur confestim arreptâ, exilii veluti legem ferre in infestas horreo animantes visus, è loco discessit. Quàm verò repositis ibi frugibus commoda Franciscì hæc inspectio accìderit posterum mane non sine omnium admiratione patefecit. Etenim quid tritico fieret exploraturus Petrus Patritius, aperto vix horreo, non vacuos modò eâ peste tritici cumulos ad unum omnes reperit, verùm, quod admirabilius longè est, non in proximum agrum, sed in extimos horrei ipsius parietes recessisse examen illud animadvertit. Perindè quasi quominùs in fruges irruerent, aut aliò convolarent, Franciscì duntaxat imperio se prohiberi timido illo recessu satis proderent. Id datis Juliano ad P. Nicolaum Canatum literis ab eodem Petro Patritio decessore suo se audisse testatus est, qui eidem prædio nunc præest Petrus Paulus Chiocciolenus Prid. Non. Sextiles, anno hujus seculi XXIX.

Nihilò verò minoris in hoc eodem genere momenti ea sunt, quæ Stabiis in Asceterio, cui à *Pace* nomen, efficere idem valuit. Perennem salubris aquæ venam è vicino monte ad Virginum commodum subjectam in Hydrothecam exuberare diù solitam per summos ejus æstatis calores exaruisse, nec ullis eòdem sumptibus derivari potuisse ab earum quibusdam vix ipse audiit; cum eas extrà Asceterium aquari coactas miseratus, ad benè monti precandum se statim obvertit. Diductisque repentè rimis postridiè optatam iis Virginibus aquam mons reddidit. Cum verò prætereà invidere his liberam aquæ usuram humani generis hostis videretur; ac propterea displosis non absimiles sclopis in imo puteo cieret strepitus, necnon ingenti fragore motas inter se collideret situlas: hoc ipse metu trepidas ut liberaret, ad puteum rectà perrexit; ac post exoratum ibi precibus Divinum Numen, sacris munitam reliquiis parvulam Crucem in aquas projecit. Quo sacro amuleto spectris, ac terriculis infestas adeò expiavit aquas, ut nullis postmodùm tartarei hostis fraudibus obnoxiæ unquàm fuerint.

Sed

Digitized by Google

Sed longè præclarius, ac manifeſtius, quod in ipſas maris aquas publicum veluti exercuit imperium. Eâ olim ex parte tranſire Franciſcum fors tulit, quæ à Templi, atque Orphanotrophii Lauretanæ Virgini conſtructo ibi ædificio Lauretani Suburbii nomen accepit; cum contiguum litus prætergredienti turmatim obvii ſeſe affudere cum conjugibus, ac liberis ejus viciniæ piſcatores; atque, *Actum de nobis*, exclamarunt, *jam eſt, Franciſce, ni tuis opem precibus è Cœlo impetres. Piſcatu vivendum nobis eſſe jam vides. Interim nullos hamis, retibus nullos hoc mare jamdiù ſufficit piſces*. Ad objurgandas eorum hominum noxias idoneam hinc ſibi ſuffici materiem ratus, ab offenſo eorum flagitiis Numine has ipſis ærumnas ingruere repoſuit Franciſcus. Impia ipſorum in Deum, ac Superos potiſſimùm maledicta juſtiſſimè hiſce ſupplicijs plecti. Nec ipſis exorabilem Deum fore, ni nefariâ illâ verborum licentiâ abſtinere linguam in poſterum ex animo ſtatuant. Ejus porrò ſceleris gravitate diù, multùmque inculcatâ, ubi morum correctionem polliceri eos animadvertit, manu ſuper mare ſalutare ſignum Crucis ducens abſceſſit. Quàm verò utiliter eorum ipſe rem eo facto, ac verbis geſſerit, tùm manè poſterum, tum ſecuti poſtmodùm dies patefecere. Ex eo quippè tempore eâ copiâ jactis ſe retibus piſces inſeruere, ut nimio ponderi imparia ea eſſe penè conquererentur. Suæ verò inopiæ à Franciſco depulſæ gratulati piſcatores admirabile hoc maris ergà hominem obſequium publico teſtimonio Tabellionis manu obſignato celebrandum duxere.

Imperium-ne in Ignem etiam exercuiſſet in vitâ Franciſcus, equidem nec aliundè acceperam, nec lectis ejus rerum monumentis colligere id mihi integrum erat. Sed tamen ex dictis haud ità pridem ab Aloyſio Guardato noſtræ Societatis Sacerdote neque hanc ei defuiſſe laudem liquidò comperi. Teſtatus ſiquidem coràm Noſtratium non paucis in familiari alloquio hic eſt, *Socivi* in Averſanæ Ditionis Pago, anno lapſi proximè ſeculi XCIV. Miſſionis comitem additum Franciſco ſe fuiſſe. Ibique extremo die, dimiſſis fauſtâ precatione jam popularibus, de excitato non longè incendio à trepidis quibuſdam admonitum fuiſſe Franciſcum. Accurriſſe eum porrò, compertoque in ingenti Boum ſtabulo, ſtraminibus ad ruſtici tugurii formam conſtructo, ignem jam debacchari, Sancti Cyri oleo vix in

ali-

Digitized by Google

aliquot ſtabuli partes cum precibus affuſo, erumpentis flammæ impetum, populariumque ex eâ re metum nullo negotio prohibuiſſe: eventu ſanè eò magis prodigii manifeſto, quò ignis pabulo ignem extingui naturæ vim, atque ordinem excedit magis.

CAPUT XII.

Diſſitis in locis eodem tempore præſens agere non ſemel eſt viſus Franciſcus.

UT corporis finibus circumſcribi Franciſci animus minimè potuit, quò minùs inexpletam illam, quæ in eo viguit, benè de omnibus merendi cupiditatem, quoad ejus fieri poſſet, quaquaversùm protenderet; ità nec definitis corporeæ molis limitibus coerceri incenſum hoc ejus ſtudium voluit Deus, ut iis duntaxat præſtò eſſe poſſet, apud quos eum verſari exploratum jam omnibus eſſet; reliquis ab abſente homine ſubſidium nequicquam opperientibus. Fuit enimverò, nec ſemel fuit, ut certiſſimæ ejus abſentiæ tùm res ab ipſo actæ, tùm collatæ opis præſentiâ multis haud facerent fidem; qui tamen Cœleſtis prodigii vi & ſibi, & aliis eodem momento ipſum adfuiſſe ſupputatis temporum rationibus edocti, erroris ſui, cognitâ re, ſe eò damnarunt lubentiùs, quò novum, atque inſigne egregiæ ſanctitudinis documentum clariùs in Franciſco demirari ipſorum mentibus obtigit.

Et ſanè mirum hoc, quo identidem ipſe floruit, Divinæ Munificentiæ Donum ter in ſuum commodum opportuniſſimè ceſſiſſe teſtata eſt, quæ ipſum vitæ ſuæ, ac morum Magiſtrum Neapoli delegerat quædam Aſcetria. Primò enim, dum offuſis animo religionibus in utramque partem hæc anxia fluctuaret, nec eâ ſeſe moleſtiâ expedire ſatis valeret; Franciſci loco, Abellinum in Hirpinis ad Sacras Miſſiones profecti, ex ipſius præſcripto Tutelarem ſuum Angelum ſibi conſilio adeſſe, fuſis ad eum precibus, cupiit. Cum præſentem ſibi repentè Confeſſiones audientis ritu Franciſcum ipſum conſpexit, cujus brevi alloquio relevari ſtatim, imò incredibili voluptate perfundi animum ſenſit. Nec diſſimili ejuſdem abſentis acceſſu ingraveſcere ite-

Digitized by Google

iterùm cœptas animi turbas feliciter compoſuit. Tertiò demùm, dum Apoſtolicis Expeditionibus Apuliam luſtraret Franciſcus; diſcedentibus, ut non rarò fit, in partes Aſcetriis, quid conſilii in dubiâ, atque ancipiti re caperet ignara, adeſſe ſibi, ut optarat, non abſimili prodigio Franciſcum vidit; à quo quid factu optimum eſſet præmonita, initum ejus ſuaſu conſilium quàm liberè, tàm pacatè exequi poſtmodùm ſtuduit.

Memoratæ etiam alibi à me eximiæ Virginis Tereſiæ à Jeſu Neritinæ non abſimili beneficio mœrorem abſterſit. Huic S. Tereſiæ Abulenſis Inſtituti ſectatricem fore jam olim præſens ipſe multò antè prædixerat. At verò labefactare hujus in ſuſcepto novi Aſceterii opere conſtantiam permoleſtis curarum aculeis cum malus quodam die ſatageret Dœmon, hæc in ejus aures fraudulenter obgannire videbatur; *Prob ſpes fallaces, temerèque ſuſceptas cogitationes tuas! Quid? Virginum cœtui domicilium paras? Pecudum gregi ſtabulum te potiùs ſtruxiſſe perſpicies. I nunc, atque inanis conſilii pudore ſuffuſa deridentium Civium ſcommatis, ac dicteriis frontem obfirma. Hiccine ut tu ſedem figas? Redire te ad tuos tuus brevi jubebit Antiſtes.* Quibus ipſa tetricis cogitationibus in lacrimas ſoluta cum penè labaſceret; offuſam hanc mœſtitiæ nubem oblata repentè animo Franciſci ſpecies diſſlavit; qui inanes ejus lacrimas, ac metum objurgans; *Quæ iſthæc*, inquit, *inconſulta animi abjectio eſt, at mali dæmonis fraudibus te circumveniri nec videas? Perge jam Tereſia, ac ſacris, quæ hùc accedent, Virginibus Clauſtrum intrepidè moliri ne dubita.* Porrò in hoc etiam viſo cum inferni veteratoris præſtigias vereretur Tereſia; conſulendum eâ ſuper re Franciſcum per literas cenſuit. Qui repentini ejus viſi & conſcium, & auctorem ſe Dei juſſu reverà fuiſſe reſcripſit. In ſuſcepto interim opere ſecura perſiſteret, geſtæque rei rationem ſe vivo haud unquam in vulgus efferret. Jam ipſo è vivis ſublato Tereſiam Virginibus ſociis hæc retuliſſe teſtatus coràm Neritino Epiſcopo Antonio Sanfelicio eſt, qui Virginis hujus mores omnium diutiſſimè inſpexit Emmanuel Baſta ex illuſtri Prædicatorum Familiâ, à quo hæc omnia ſe didiciſſe laudatus à me alibi Nicolaus Thomas Farina ejuſdem Ordinis Scriptor ſuo teſtimonio aſſeruit.

Huic piæ, ac prudentis Virginis teſtimonio alia in eodem genere congruunt gravium Virorum fide, atque auctoritate firmatâ.

Digitized by Google

matâ. Domesticum Aulicum, qui Franciscum ad se arcesseret, miserat olim Dominicus Florillus Regii Consiliarii, aliisque Togæ honoribus in Neapolitanâ Curiâ satis notus. Cum verò longè eum abesse Nostratium nomine fideliter Aulicus retulisset; interpellatus à cujusdam Paræciæ Curione primùm his verbis est: *At ego, quem absentem refers, in Sancti Antonii Magni Suburbio manè concionantem audii*. Mox nimiæ credulitatis notatus & ab alio est, qui in vicino Vomeris Pago visum, auditumque à se manè eodem Franciscum ad menstruam Synaxim accolas evocantem disertè affirmavit. Compertâ verò paulò post hominis absentiâ, hæc ipsa Aulici exprobratio in ingentis prodigii admirationem vertit.

Nec minor ex eo admiratio, quòd extrà Neapolim eum egisse, eodemque tempore Neapoli ejus opis indigo cumulatè subveniisse patuerit. Orbatus Petronillâ filiâ est VI. Nonas Octobres anno circumacti proximè seculi XCVIII. Carminus Diamante, tenuis, imò afflictæ fortunæ homo Franciscí Sodalitio adscriptus. Hanc filiæ jactum tùm aliis nominibus, tùm etiam eâ causâ dolebat Pater, quòd necessariis ad funus efferendum sumptibus ex domesticæ rei penuriâ impar penitùs esset. Ad expertam igitur Franciscí benignitatem, ad sacram veluti anchoram, confugere statuit. Verùm se spe, atque opinione deceptum non sine novi mœroris adjectione infelix agnovit. Ignatio enim filio ad postulandam ab eo opem sub Auroram misso, abesse Neapoli Franciscum, hesternâque Missione distineri intellexit. Consilii itaque non minùs, quàm pecuniæ inops dolori, ac luctui dum anxius indulget suo, fatalemque sibi eam absentiam esse multo gemitu conqueritur, Franciscum præter expectationem pro foribus adesse à suis admonetur. Quî nuperis filii dictis id congruat, anceps, atque attonitus dum secum exquirit, suorumque oculorum fidem timet; verè Franciscum ad extinctæ filiæ cadaver ingredi, breviquè precatione peractâ ad abstergendum sibi mœrorem egredi videt: imò etiam multa de demortuæ virtutibus eum addere, optimèque de æternâ ejus felicitate sperare admiratur. Mox secum seorsim vocato ità ipsum loqui Garminus audit; *Agedum, ad manus-ne sunt curando funeri necessaria?* Cui ille; *Atqui hæc illa est*, inquit, *quæ me hactenùs ex inopiâ penè ad insaniam adegit calamitas. Equidem huic ut mederer vulneri, Ignatium filium ad te miseram: quâ*

Digitized by Google

tamen abeſſe te Neapoli mendax, aut negligens renunciavit. Ad quæ Franciſcus: *Fide*, ait, *opus eſt, Fide*. Prehensâque dolentis manu, papyraceo involucro incluſos viginti Neapolitanæ monetæ aureos clanculùm tradens, confeſtim abit. Revixit auctus tàm opportuno Franciſci beneficio Carminus; juſtiſque Filiæ ritè perſolutis ad optimè de ſe meriti hominis manus exoſculandas vix ſe quamprimùm contulit; cum non Neapoli, ſed peregrè eum agere, perindè ac filius dixerat, à Noſtris accepit. Ubi verò rediiſſe jam ex eo labore Franciſcum certior viginti poſt diebus eſt factus, ad immortalis beneficii gratias agendas regreſſus & ipſe eſt. Jamque de admirandâ ejus præſentiâ, atque abſentiâ nonnihil muſſitare aggrediebatur; cum impreſſo ori digito ne mutire eum quidem permiſit Franciſcus: imperio inſuper adjecto, ne ejus rei indicium ulli hominum faceret unquàm. Ac paruit quidem ipſe: nec niſi poſt ejus obitum hujuſce rei ſeriem, non improviſo tantùm adventu, ſed procul ſitæ etiam rei cognitione mirabilem juratus prodidit. Neque enim humanâ ullâ ratione pronunciare de extinctæ Petronillæ exitu in ipſo domus veſtibulo liberè adeò poterat, qui de ejus ægritudine ne verbum quidem longè gentium agens audire valuiſſet.

Impensâ hac pietate nihilò inferius, imò miraculi plenius fortaſsè ergà germanum fratrem Cataldum in extremo ejus morbo officium fuit. Acri hic febri conſumptus haud longe à fine ſe abeſſe ex nimiùm oppreſſis morbo viribus jam optimè pervidebat. Ac Divino licèt nutui vitæ, mortiſque ſuæ arbitrium ex animo commiſiſſet; Franciſco tamen abſente, nec ſupremùm ſalutato, decedendum ſibi è vitâ eſſe, hac enimverò re maximoperè angebatur. Extremo ſiquidem morbo tentari jam cœptus Franciſcus, curandæ valetudinis ergò *Recalmi*, in Campanæ ditionis Pagum Caſertæ conterminum, ſexdecim paſſuum millibus procul Neapoli poſitum, Moderatorum juſſu diſceſſerat. Biduo verò à diſceſſu inſolitis Cataldi gemitibus è vicino cubiculo excita ejus contubernalis Maria Caſſier incomitatum præter morem, nec apertis foribus domum ingreſſum indulgenti lacrimis fratri opportunè adeſſe Franciſcum attonita obſervat. Abſterſus eo adventu languentis mœror, animuſque ad piè, pacatèque ſubeundam mortem injectâ Divinæ voluntatis, Cœleſtiumque gaudiorum recordatione ſuaviter erectus; *I pre*

bonis

Digitized by Google

bonis Cœlitibus, ac vocante Deo Frater. Equidem non ità post multò præeuntem sequar. Ità suum non minùs, quàm Fratris obitum præcinere eodem tempore auditus Franciscus. Mox pinsiti pulli succo eidem suis manibus porrecto, evocatæ seorsim Cassieriæ Cataldum magnis itineribus ad patriam contendere nunciat: sedulâ proindè curâ, atque operâ advigilandum ei esse; *Sextâ enim Feriâ*, inquit, *quartâ noctis horâ è vivis excedet Frater. Nunc socio molestus ne sim, abeam opus est. Cæterùm videbit me ante obitum, ut spero, Cataldus.* Hæc ipse: Nec deduci se ad fores passus, discessit. Ex quo iis obseratis ingressum, atque egressum eum fuisse interpretata deindè ipsa est tantæ rei admiratione perculsa. Porrò vaticinis ejus dictis congruisse ad unguem omnia hæc eadem addidit. Etenim sextâ Feriâ, quæ in VI. Idus Aprilis diem incidit, paulò antè quartam noctis horam, animam licèt ageret, inexpectatâ exilire lætitiâ, in amplexus etiam, atque oscula ruere est visus Cataldus, tremulisque, ut poterat, vocibus satis prodere in præsentis iterum Franciſci complexu sese hilarè, ac piè vitam deserere. Hæc post Franciſci obitum Cassieria, quæ non sine repetitæ præsentiæ prodigio accidisse ex eo deprehendi postmodùm licuit, quòd nunquàm eo tempore è *Recalæ* prædio Franciscum pedem movisse, imò nec movere ob afflictas vires potuisse, interpositâ jurisjurandi fide tùm Joannes de Giore Franciſci Socius, tùm Adjutor alter ejus Prædii Curator Philippus Impastatius testati conjunctis sententiis fuere.

Digitized by Google

VENERABILIS FRANCISCI DE HIERONYMO VITÆ

LIBER V.

CAPUT I.

Vitæ sibi finem imminere non semel prædicit Franciscus.

HÆc contento studio, perpetuique laboris cursu non intermisso ad Dei Gloriam miro progressu amplificandam, suæ, alienæque saluti cupidè inhians agebat Franciscus. Cum ad metam eum propinquare non devexa modò in senium ætas, verùm consueto major quædam in rebus veluti ad finem extremo tempore urgendis celeritas non obscuris indiciis significarunt. Vitæ quidem suæ jam inde à principio parùm ipse memor adeò nulli unquàm labori pepercerat, ut ipsa rerum continenti serie ab ipso gestarum assiduitas admirationem (quæ nonnisi ex raro, atque insolito est) Neapoli apud Cives jam amisisset: cum tamen una ejus Concionum frequentia tanti olim apud exterum hominem fuerit, ut inter

Nea-

Digitized by Google

Neapolitanæ Urbis mirabilia a se visa illud in suis Adversariis adnotandum censuerit; *Nunquam, ac nusquam sibi aliquò divertere obtigisse, quin in dicentem ad Populum Franciscum incurrerit*. Annis igitur gravis, ac jam septuagenarius, aucto vitæ contemptu, imminutas sensim corporis vires pluris, quàm detritam usu penulam, facere cum nesciret, id unum vereri sub ætatis exitum videbatur, ne otiosum, aut susceptis Dei causâ laboribus oscitantiùs incumbentem mors interciperet. Hinc major illa eo potissimùm tempore absolvendorum operum in ipso cupiditas, ac festinatio, quam extremos hominis conatus, ac veluti vicinæ mortis prodromos esse jam multò antè interpretabantur non pauci.

Quanquam nec interpretatione, nec conjecturâ opus in se, quam ipse sibi nec semel præcinuisse agnitus est. Profectò ab anno usque labentis hujus seculi XII., Barcinone ex Hispaniâ reducem Regii Fisci Ratiocinatorem Hieronymum Savinum ut vidit, post mutuæ salutationis officia, è Pœnitentiæ, in quo erat, Subsellio, his ipse verbis interpellavit: *Quamdiù inter nos haud vidimus, Hieronyme?* Cumque evolutum jam triennium esse ille reposuisset: *Benè igitur habet*, adjecit Franciscus; *ut inter nos iterùm hoc in Templo videamus, triennium alterum jam superest*. Obscurè quidem, at non incassum hoc triennii spatium ab ipso designari suspicatus eò magis est Savinus, quòd ejus temporis haud immemorem duobus post annis III. Non. Decembr. anno à Virginis Partu MDCCXIV. hæc sibi rursùm dicere Franciscum audiit: *Biennium circumactum jam vides*. Secutoque mox anno, XVIII. Kalend. Septembr., die Assumptæ in Cœlum Deiparæ Sacro, in ejusdem temporis recordationem his verbis tertiò ipsum relabi animadvertit: *Ità est, Savine: à fine haud longè abfumus*. Igitur cum sibi potiùs, quàm Francisco à decretoriis illis verbis metueret Savinus, non ad suum, sed ad Vatis ipsius funus Oraculum illud spectasse ex imminente ipsi circà triennii finem decessu indubiè agnovit. Quo tempore pro veteri ergà hominem obsequio, ac benevolentiâ ad osculandas extremùm morientis manus progressus, cum tacitis secum votis quàm vehementer optaret, tàm apertè petere vereretur, ut nimirùm Sanctæ Trinitatis nomine benè sibi precaretur Franciscus; eccè sponte erecto in cubitum brachio, benè sibi ut esset, conceptis hisce

verbis

Digitized by Google

verbis precari ipſum, quanquàm non requiſitum obſtupuit; *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Par in eo verborum obſcuritas, ubi à vitæ ſe metâ haud longè abeſſe Fr. Angelico à Neapoli Capuccino, Tropeanoque dein Epiſcopo indicavit. Maſculæ, quam ſuſceperat, ſobolis, ne par eam, ac editos antèà liberos, lethum opprimeret, vitalis veluti partus fidejuſſores, Myſtagogum in Baptiſmate Franciſcum, Anadochum verò, ſeù Suſceptorem Angelicum agere voluit illuſtris Matrona Hippolyta Cantelma Amphiſſiæ, ſeù *Rupellæ* in ulteriori Calabriâ Princeps. Cumque bonâ Moderatorum veniâ demandato uterque muneri ſedulò adfuiſſet; peractâ re, hæc inter abeundum Angelico Franciſcus: *Hujuſmodi me rerum Collegam hodiè ſupremùm habes, Angelice.* Aliò hujus item dicti ſententiam retulerat audiens: renunciato tamen, qui paulò poſt obtigit, Franciſci obitu; officioſo illo verborum flexu, vicinum lethum præſagire eum ſibi voluiſſe, verbis accuratiùs expenſis, percepit.

Verùm obſcuriora hæc mortis veluti eminùs, ac per nebulam viſæ quis dixerit indicia. Cominùs eam ſpectare viſus, ubi ſe non diù inter mortales futurum diſertiſſimis verbis illuſtri Matronæ aperuit. Tereſia Pinto Capycia Bozzuta, Atinæ in Lucaniâ Princeps, ac Brienſæ Marchio hæc fuit, quam in ſuæ Ditionis Oppida profecturam extremùm valere his verbis juſſit Franciſcus: *En ſupremùm te nunc in vitâ alloquor; neque enim poſthàc, me ut reviſas, erit.* Suæ verò vitæ ab hiſce verbis metuenti, atque, *Utriuſnam lethum loqueretur?* timidè interroganti Matronæ; *Ne dubita*, adjunxit ipſe; *meum ego funus, non tuum loquor. Meum proinde cum non longè abſit, ſuperſtitem te mihi fore jam intelligis.* Sub idem fermè tempus, cum auditâ Cataldi ejus Fratris morte plurimos ei annos officii gratiâ precaretur Marcus Antonius Staſi Neapolitanus Typographus; actis ipſe benevolo ergà ſe homini de more gratiis, ità enucleatiùs in eandem ſententiam diſſeruit; *Poſt annum Fratrem reviſam.* Nec, quòd abeſſe triſti ei nuncio fidem optaret audiens, quicquam ipſe dimotus; *Ità fiet*, apertè addidit, *Fratrem ut reviſam, annus duntaxat ſuperéſt.*

Jam ubi profectis jampridèm à ſano, ac valente dictis facere fidem Febris, nec unquàm ex toto remittens ægritudo cœpit; tùm enimverò ſuum ipſe exitum eò libentiùs vulgare, quò Cœleſtis

Digitized by Google

leſtis præſensionis ſuſpicionem omnem ætas, atque affectæ vires magis adimere videbantur. Nonnihil hac ſuper re in Collegio Nobilium innuere eſt viſus, ubi jamdiù contractus inter explicandas Sancti Ignatii Commentationes primùm ſe prodidit morbus. Nonnihil etiam Capreis, quò ad brevem expeditionem, ſatis recuperatis, ut putabatur, viribus profectus, abeundi veniam à Chartuſianis ejus Cœnobii Monachis petiturus, oppido longioris, quod ſibi inſtaret, itineris inter pia, quæ cum ipſis habuit, alloquia certior factus apparuit. Imò datis non ità poſt multò ad Stephanum Manfredum Capreenſis Chartuſiæ Monachum, Italicæque Poëſeos laude cum primis inſignem, hæc habuit; *In ſacro Chriſti latere, dilecte Pater, inter nos age videamur: tuas interim ad Deum preces expoſco, ut ad diſceſſum ritè me comparem.*

Nec alia de ſe opinantem is, quem Puteolis Socium habuit Adjutor Laicus audiit. E' ſulphureis enim, qui inibi plurimi ſunt, halitibus, contrà quàm ſperaverant Medici, jam nihil relevatus, regrediendum Neapolim jam eſſe his Socio verbis hilarè inſinuavit; *Age, ad oppetendam domi mortem adornandus jam reditus eſt.* Cumque recuperatas anno ſuperiore vires non levem ſaneſcendi ſpem facere contrà ille objectaret; *Minimè gentium*, ſtatim repoſuit: *Haud ità nunc erit: Æternæ Vitæ fores modò jam pulſo.* In Neapolitanæ verò Profeſſorum Domus valetudinarium deductus, nec vicini obitus, nec conſueti leporis immemor adventanti ad ſe Medico Nazario de Caro explorandum arteriæ pulſum cum de more offerret, facetè quid de ſe ipſemet præſagiret, his verbis aperuit; *Ageſis, ne dubita: decernere tutò jam potes, ut moriatur Franciſcus.*

Et quoniam tot præſagiis reſponſurum brevi eventum ingraveſcens in dies morbus admonebat; rogandum eum è Noſtris plures duxere, ut humanâ jam deſtitutus ope ad Divinam confugeret, diùque tot aliis conciliatam Sancti Cyri tutelam ipſe ſibi votis, ac precibus imploratum iret. Quorum ipſe benevolentiæ gratiis perhumaniter actis, conveniſſe jam inter Deum, ac Cyrum, intrepidè reſpondit: audax proindè, plenumque dementiæ conſilium fore, ſi ſtatutis in Cœlo legibus obniti vel ex parte quis cuperet. Quâ etiam occaſione in memorabile illud, ac dignum Ignatii Filio effatum erupit; *Si optanda homini vita eſt, protrahendi pro Deo duntaxat laboris cauſa.*

Digitized by Google

causâ optanda eſt. Quibus ſanè vocibus ſibi jam viribus defecto tabeſcentem turpi otio vitam minùs gratam poſtmodùm fore ſignificavit. Cæterùm & de conſtitutâ ſibi jam morte, & de maximis, quibus antè mortem premendus eſſet, angoribus jampridèm admonitum cœlitùs eum fuiſſe ſub idem penè tempus apparuit. Cum enim anxiè eum decumbere, nec ſine dolore ſpiritum ab eo reciprocari Patricius quidam Vir præſentibus in cubiculo Noſtris ſubmiſſim innueret; eorum miſerationi hæc præter expectationem voce haud intermortuâ reſpondit: *Equidem*, inquit, *angor, neque id inficias iverim: at jam inde à proximis bacchanalibus id mihi denunciavit*... Quis porrò? Deus-ne, an Cyrus? Denunciantis nomen cum reticuerit, incertum reliquit: ſubeundos verò ſibi antè extremum diem angores divinitùs eum didiciſſe, indubiè ex hiſce verbis eſt agnitum. Quid multa? Nihil penè extremo eo vitæ tempore aut agere, aut loqui eſt viſus, quò ſuæ ad Superos profectionis non ſe & gnarum prodiderit, & Vatem. Argenteum, quod magnis ipſe ſumptibus faciendum curarat, Sancti Cyri ſimulacrum nondum ab Aurifice adductum in Profeſſorum Domum eſſe eo potiſſimùm nomine multis dolebat, quòd ejus moræ causâ jamjam deceſſurus ſpectandi operis ſui ſolatio fraudandus jam eſſet Franciſcus. Ponere verò hunc metum eos ipſe juſſit: neque enim ſe deceſſurum adjecit, quin ejus ſimulacri ſpectaculo vivus oculos paſceret. Imò ſacris ejuſdem Sancti Cyri reliquiis cum eos ipſe ſigillatim remunerari deſtinaſſet, qui ære liberaliter collato excogitatum à ſe opus juviſſent, argenteis eas ipſanothecis includi à quodam è Noſtris voluit. Cumque homini ſupremis Myſteriis procurato celeriter morem geri oportere tacitè hic ſecum reputaret; metui, ac feſtinationi ſuæ his occurri verbis à Franciſco audiit: *Maturato nimiùm eâ in re opus haud eſſe; neque enim tàm citò extinctum ſe iri, ut injunctum opus tempori abſolvi minimè poſſet*. Quæ ſanè omnia, cum ità, ut ab ipſo prædicerentur, examuſſim fieri hic idem conſpiceret; quouſque ſuperſtes ei vita foret, callidè exploraturus, his eum blandè adortus eſt verbis; *Ex protractâ*, inquit, *hactenùs tibi vitâ, Aliud conjicimus, Franciſce, eò uſque ſupremum tibi prorogandum diem, quoad imminens hoc Majo menſe S. Cyri celebritas recurrat*. Cui coràm aliis ſtatim ipſe; *Haud ità*, libere reſpoſuit; *equidem Terræ incola eo die non ero; è Cælo*

Digitized by Google

ut quæ hìc fient conſpiciam, faciet, ut ſperò; Deus.

At verò nullo verborum artificio ad id expiſcandum opus eſſe compertum cuique jam erat; quandoquidem exitus ſui diem, imò & horam divinitùs ei patuiſſe dignoſci abundè jam poterat. Victurum ſe biduum, ad ſummum triduum duntaxat eſſe, non ipſe à Medicis, Medici potiùs ab ipſo didicere. Atque inter hos Nazario de Caro gratiis pro eâ, quâ ægrum ſe proſecutus eſſet benevolentiâ humaniter ſub Dominici diei veſperum actis, haud futurum poſthàc, ut ſe reviſeret, apertè prædixit; *Lunæ quippè dies*, addidit, *ſuprema meæ vitæ lux erit*. Quo item die cum præſtò ſibi eſſe in levis momenti re deſtinatum ſibi Adjutorem ſocium optare viſus fuiſſet; mutato repentè conſilio, *Haud facto opus eſt*, inquit, *tribus poſt horis extincto mihi Valetudinarius Curator hoc faciet*. Adeò in eo vitæ, mortiſque confinio, ejus, quod ſibi ſupereſſet, ſpatii intervalla penè ſingula luce clariùs pernoſcere videbatur.

CAPUT II.

Extrema Franciſci Ægritudo, & Mors.

QUam igitur, prætendente veluti Cœlo facem, inter futuri temporis caliginem jem indè à triennio conſtitutam ſibi mortem didicerat, eandem à duobus ejus apparitoribus, Pleuritide, ac Febri ſibi luce palàm indici agnovit Franciſcus. Tradendis Sancti Ignatii Commentationibus in Nobilium Seminario conſueto dicendi ardore, devexæ nil ætatis memor, Martio menſe, anno hujus ſeculi xv. ſub magni Jejunii initium jam tertiò ipſe vacabat; cum occupari morbo cœptus inchoatum à ſe laborem alteri abſolvendum permittere, ſeſeque in Profeſſorum Domum graviter æger recipere neceſſe habuit. Sed tamen metus, quàm periculi plenior prima hæc ægritudinis aggreſſio eſt viſa. In hominem enim integris adhùc viribus, ipsâque vivendi aſperitate ad incommoda, ac moleſtias duratum invaleſcere adeò nequiit, ut artis præſidiis retundi ejus ſævities, ac pertinacia minimè poſſet. Relevatum proindè morbi intemperiis ut primùm ſe agnovit, ad priſtinos, quibus aſſueverat, labores redire confeſtim ſtuduit: oblataſque ſibi de novo cu-

Digitized by Google

ras non corporis, ſed animi viribus emenſus, priſtinâ ſedulitate, ac vigore repetere; ac, niſi prudentium Moderatorum aliter ſubindè tuliſſent imperia, nulli ſuam operam, non ſecùs atque anteà, denegare. Ad brevem, ut ajebant, Excurſionem ſe Capreas per id tempus contulit: verùm ibi Cives, Clerum, ac Sacras demùm Virgines Aſceticis S. Ignatii Meditationibus eâ contentione imbuendas ſuſcepit, ut ſi minùs omninò fractis, certè debilitatis maximâ ex parte viribus Decembri menſe Neapolim redire inde debuerit. Recrudeſcente igitur pectoris affecti morbo, nullum exindè redordiri penè laborem valuit, quem recurrens per vices ægritudo non interciperet. Ad eam diſcutiendam cum fruſtrà jam eſſe cætera artis præſidia animadverterent Medici, ſulphureâ Puteolani Cœli aurâ protrahi aliquatenùs ei vitam poſſe judicarunt. Verùm inſalubre hoc item Cœlum contrà gliſcentem in dies febrim expertus, revocandus indè Neapolim ſub Martii exitum fuit; ubi vivendi ſpe penitùs depoſitâ, ſupremis tantùm curis animum adjicere reliquo, quo ſuperfuit, tempore conſtantiſſimè ſtuduit. Externorum interim, qui frequentes aderant, officia, & colloquia pro virili vitare, nec ulli toto eo temporis ſpatio permittere aditum velle, niſi id neceſſitas, aut debiti ergà Primores quoſdam obſequii ratio quandoque expoſceret; ut Deum nempè, ac Divina ſemotus ab aliis liberiùs cogitaret.

Jam quibus extremo hoc tempore diù, noctùque in reciprocando ſpiritu conflictaretur angoribus comprehendi cogitatione vix poteſt. Perpetua ei inſomnia, niſi quatenùs intermittente identidem nimio pectoris anhelitu, ſemiſomnis potiùs, quàm ſoporatus aliquantiſper agere videbatur. Nec minor ei à ciborum omnium faſtidio cruciatus; nihil ut ſupereſſe vehementiùs quotidiè febrienti videretur, niſi ut inediâ, ac vigiliâ magis, magiſque debilitatus vincenti jam vires Pleuritidi, quæ in Peripneumoniam abierat, tandem ſuccumberet. Verùm etſi tot ejus ærumnæ ſpectantibus miſerationem ingererent; ſpectata tamen inter tot corporis incommoda ejus animi virtus, atque in adverſis conſtantia eorum, qui aderant, omnium admirationem abſorbebat. Tot quippè doloribus ne minimum quidem permotus, non vultu, non geſtu, non voce de ſæviſſimo morbi genere conqueri viſus, vel auditus eſt unquàm. Pacatè potiùs, tranquillèque omnia & pati, & agere; ut ipſe nimio

Digitized by Google

mio anhelitu interruptæ voces altam illam, quæ animo insederat, malaciam proderent. Permissum se, ac sua Divino nutui penitùs velle: vitam, ac mortem susque deque habere: oblata sibi ab externis locupletibus pretiosiora remedia ex mortalis vitæ contemptu, atque ex abjectâ sui existimatione respuere: auditus proindè ex abrupto hæc quodam die proferre: *Vti, ubi, & quando Deus vult, mori equidem volo.*

Quàm verò leniter, atque æquabiliter inter corporis cruciatus, affectique potissimùm pectoris molestias versaretur, solanti eum cuidam è Nostris his verbis expressit; *Quos mihi Deus dat dolores, equidem lubens accipio: crescant in mille millia.* Quibus eos tanquàm Divini Amoris certissimum ergà se pignus augeri potiùs, quàm ullâ ex parte imminui cupere videbatur. Imò cum hic idem ex difficili illo anhelitu eorum dolorum sævitiem sese conjicere insinuaret; recepto veluti spiritu, clariori hæc voce Franciscus; *Ain' verò, Pater? Dolores, quâ modum excederent, unus subiit Christus. Profectò delicatæ, ac mollis, quam amamus, vitæ pudere nos voluit, cum suas ipse pœnas iis adumbravit verbis; Non est dolor, sicut dolor meus.* Et verò obversata per id tempus animo Divinorum hæc cruciatuum recordatio ad leniendos acerbissimi doloris sensus non levis ei solatii loco erat. Referatam siquidem maximis illis Divini Servatoris pœnis hominum generi Cœlestem Patriam recogitans, in ejus voluptatis contemplatione nimiam illam morbi acerbitatem, accelerandæ sibi felicitatis prænunciam, amare penè cogebatur. Hinc oblato sibi Cardinalis Bellarmini libello, qui de Æternâ Felicitate Sanctorum est, mirè delectari. Hinc etiam illas Psalmi 117. voces hilarè iterare; *Aperite mihi portas justitiæ: Hæc porta Domini, Justi intrabunt per eam*; quibus se ad tolerandas ægritudinis intemperias persæpè hortabatur.

Non equidem negaverim Divini Judicii terrore perculsum subindè supremo hoc vitæ tempore apparuisse Franciscum. Crevitque profectò in tantum hic in eo metus, ut Virginem Deiparam, cultosque à se olim peculiariter Cœlites salutis suæ Deprecatores apud Deum lacrimabundus adhibere audiretur: ad impetrandam etiam suorum ingentium, ut ajebat, criminum veniam familiarium se precibus summâ animi demissione commendatum vellet. Ut suis verò rebus sedulò, quoad posset, prospiceret; universæ vitæ noxas jam inde à Pueritiâ repetitas

Digitized by Google

ſemel Puteolis apud P. Nicolaum Canatum, qui ejus inviſendi ſtudio ſe illùc contulerat; iterùm in Profeſſorum Domo apud P. Simonem Bagnatum, quo ipſe Homologetâ utebatur, brevi quidem, atque ad prodendam vitæ innocentiam aptiſſimâ, ſed trepidâ Confeſſione depoſuit. Erigere quidem ejus animum, atque exantlati pro Deo laboris memoriâ in vicinæ mercedis ſpem traducere contendit Canatus. Verùm ab homine, qui ſe, ac ſua in omni vitâ nihili duxerat, his ſe refelli verbis continuò audiit: *Rerum*, inquit, *quas memoras incongrua ſemper collatio eſt, Canate: Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram Gloriam, quæ revelabitur in nobis*. Sed tamen ex hoc metu nunquam ità animum ipſe deſpondit, ut conſequendæ Cœleſtis Clementiæ ope ſupernæ Felicitatis ſpem abjiceret. Atque ubi de illâ ſermonem inſtitui res ferret, quanquàm ſibi nihil ipſe tribueret, de eâ tamen ex Chriſti Soteris meritò impetrandâ, eâ ſecuritate, ac fiduciâ loquebatur quandòque, ut unâ hac expectatione ſuſtentari ſe, ac refici affatim proderet. Quare nonniſi Cœleſtis Sapientiæ plenus, Sanctorumque Virorum proprius hic in eo metus fuit; quique proindè conceptam in Deum ſpem non extingueret, ſed Divinæ benignitatis conſideratione vehementiùs inflammaret.

Jam cum ab exeunte Martio ad ineuntem uſque Majum inter morbi angores piè adeò animum exercuiſſet Franciſcus; advectum in ejus cubiculum eſt argenteum illud Sancti Cyri Simulacrum, quod ſe vivo abſolvendum, atque à ſe ante vitæ exitum ſpectandum fore ipſe prædixerat. Perfectique jam operis voluptate delibutus, è lectulo exiliens Deo, ac Cyro gratulatus his verbis eſt; *Non mihi, Domine, non mihi, ſed nomini tuo da gloriam*. Optatum hunc porrò Cœleſtis Medici adventum ægro, qui tot eum ſibi obſequiis devinxerat, ſalutarem fore cum ominarentur non pauci, contrarius omninò eorum opinionibus reſpondit eventus. Perindè enim, ac ſi partibus jam omnibus expletis, nil in vitâ ulteriùs agendum ei ſupereſſet, morbi vis nedùm quicquam remittere, verùm ingraveſcere ex eo die vehementiùs cœpit. Extremum ergo diem haud longè abeſſe conſpicatus æger, bonâ Moderatorum veniâ, argenteas, quas in hunc uſum paraverat, Sancti Cyri lipſanothecas grati animi ergo, majores, aut minores, iis primùm pro exhibitæ liberalitatis proportione diſtribuit, quos in magni-

Digitized by Google

gnifici Simulacri ſumptus pecuniam contuliſſe meminiſſet. Pia mox ex ære Numiſmata, extrema amoris ſui pignora, in ſuos viritim Sodales diſpertienda à quodam è Noſtris curavit: ſimiliquæ benevolentiæ genere, officii ad extremum uſque ſpiritum memor, Adjutorem Socium, ac reliquos Valetudinarii Curatores eſt proſecutus. Exindè langueſcere magis magiſque ſe penè in horas expertus, Sacro muniri Viatico v. Non. Majas cupidè poſtulavit. Quâ in re dum annui ejus cupiditati poſſe, auctoritati verò debere cenſerent jam Medici, adeò in ſe omnium oculos, atque admirationem Franciſci virtus attraxit, ut egregiæ ejus vitæ nullam honeſtiorem imponi clauſulam poſſe prædicarent.

Etenim ut à Domeſticis in pium agmen de more diſpoſitis adductam ad ſe Sacram Euchariſtiam conſpexit; collectis, quæ ſupererant, extemplò viribus, majorique, quàm pectoris morbus ſineret, vocis tenore, criminum quidem reum ſe apud Æternum Judicem eſſe confeſſus eſt; in Immensâ tamen, nec ullis unquàm criminibus exhauriendâ ejuſdem Bonitate ſalutis ſuæ ſpem ſeſe reponere. Ad circumfuſos deindè cubiculo Noſtrates obverſus, Societati univerſæ, quæ ſe nullâ generis, nullâ doctrinæ, nullâ pietatis laude conſpicuum tandiù toleraſſet, ex animo gratias egit. Cæterùm uſque adeò indignum eo, in quo vixerat, Convictu ſe fuiſſe adjecit, ut ne commune quidem Noſtrorum Sepulcrum mortuo ſibi convenire exiſtimaret: ſuum proindè cadaver inter Domus quiſquilias multò aptiùs projici. Denique ut parem acceptis à Societate beneficiis gratiam rependeret, illud ſe à Deo precari adjecit, ut incolumi Religioſæ Diſciplinæ conſtantiâ, ardentiſſimum alienæ ſalutis ſtudium ſervatum in ejus Filiis perpetuò vellet, quo nempè inflammati ignea virtutis jacula è Suggeſtibus, atque è Pœnitentiæ Tribunalibus in proximos jacerent. Plura in eandem rem ad mœſtos, perfuſoſque lacrimis Socios dicere parantem affecto ejus pectori metuens inhibuit fletu nec ipſe abſtinens Domus Præpoſitus. Cui auſcultans ſtatim Franciſcus, quos ergà Euchariſticum Numen foveret affectus, quoniam voce non poterat, vultu, atque indicibus animi oculis prodidit. Imò reluctantibus nequicquam animi obſequio corporis viribus, Cœleſtem Dapem non jacens, ſed poſitis humi genibus tùm eo die, tùm iterùm, ac tertiò; Nonis nimirùm Maji, dein Menſis

ejuſ-

Digitized by Google

ejuſdem VII. Idus ſumere voluit : quanquàm ob debilitatas plùs nimio vires Sacro morientium Oleo inungendus ſub ejus diei veſperum fuerit.

Sacris igitur Myſteriis jam ritè procuratus, animi ut fuit ad extremam uſque horam optimè compos, in id curas intendit omnes, ut quoniam excedendum ſibi propediem è mortali vitâ jam eſſet, quicquid ſibi ſupereſſet ſpatii in Cœleſtium rerum cogitationes ſibi, ac Deo vacans liberè impenderet. Hinc intercluſo Domeſticis omnibus aditu, nec eum ſibi adeſſe voluit, quo animi Rectore, atque Arbitro uti conſueverat, in aliud tempus, ſicubi opus foret, opportuniùs differendam ejus operam eſſe arbitratus. Inſomnem porrò ex morbi violentiâ cum & hanc, & alteram noctem traducere cogeretur, fervidæ ad Deum voces jucundæ quietis ei loco fuere : niſi quod faucibus ob nimia id genus colloquia exareſcentibus, ad eas refrigerandas madefactis aquâ linteolis accurrere Valetudinarius Curator neceſſe habuerit. Parceret proindè ut verbis, humaniter hic eum admonuit ; tacitis tantùm animi cogitationibus Deum minori incommodo alloqui pergeret ; *At verò parciùs tu iſthæc, Frater*, monenti repoſuit Franciſcus ; *Deum enim, pro virili conemur licet, nunquam pro merito, ac dignitate cogitamus, aut loquimur*.

Sæviùs inter hæc, contumaciùſque ferociente jam morbo, vehementi adeò membrorum omnium dolore ſe concuti expertus eſt, ut magnanimus cæteroqui, ac per ſe moleſtiæ, incommodique ſatis patiens Franciſcus, ad eum æquè ferendum augeri ſibi à Deo vires, ac tolerantiam poſtularet. Ignatii igitur, ac Xaverii Tutelarium ſuorum præſentem implorare opem; Virginis etiam Deiparæ, quam Dominam, ac Reginam ſuam vocitabat, preces interponere: donec deferbuiſſe tandem nimiùm illum angorem gratulatus ; *Benè habet*, inquit ; *benè, bellèque, quæ Deo ſint grates, procedunt omnia*. Iterùmque in Divinas laudes effuſus ad alternandum ſecum Deiparæ Canticum *Magnificat*, atque Eccleſiaſticum Hymnum *Te Deum* Valetudinarium Curatorem Petrum Miglietta probatæ virtutis hominem invitavit.

Nihil verò extremo eo tempore accidere homini tetriùs potuit, quàm quod cum infernis hoſtibus decretorium juxtà, atque anceps certamen iniit. Semel, atque iterùm poſtremâ vitæ nocte, dum ſolus in Conclavi ageret, exclamare auditus

Fran-

Digitized by Google

Franciſcus ; *Abite jam hinc : obe quid obtunditis ? abite* . Quæ quidem dimotæ de ſtatu mentis verba eſſe cum idem Valetudinarii Curator ſuſpicaretur ; vix tamen ad ægrum ingreſſus, cum animi ſui hoſtibus anxiè cum confligere agnovit. Ubi enim ſe, ut petierat, luſtrali aſpergere aquâ valuit, ad priſtinam animi, ac mentis tranquillitatem redire confeſtim eſt viſus. Conflictum verò ſuum nec ipſe diffiteri eſt auſus : è recenti ſiquidem pugnâ adhùc æſtuans primo mane à quodam è Noſtris repertus, ac quid ità perturbatus præter morem ageret, interrogatus ; *Pugno, Fili*, repoſuit, *Deo ità placet, pugno*. Ex quo non mentis delirium, ſed animi de extremâ victoriâ ſoliciti indicem inſolitum illum morientis angorem, ac metum fuiſſe eſt intellectum; quò nempè, egregiorum Dei Militum more, exercitam debellandis humani generis hoſtibus vitam triumphali fine concluderet. Profectò de ſupremâ hac ejus luctâ non aliter ſentire viſus eſt egregius ille, quem alibi memoravi, Aſceticæ vitæ Magiſter P. Marcus Martorelli. Suis enim rebus metuenti cuidam, & quid morituro ſibi futurum eſſet ſcitanti, quando nec citrà metum pugnaſſe conſtaret Franciſcum ; *Ne trepida*, reſpondit ; *Spectatiſſimæ fidei, ac virtutis Viros, ſplendidiùs ut coronet, acriter adeò oppugnari permittit Deus. Levis armaturæ milites, multòque magis calones, ac lixas, cujuſmodi in Dei acie nos ſumus, levior longè manet, opinor, pugna*.

Verùm inibi ſe jam exceſſurum animadvertens Franciſcus reficientem ſibi aquâ fauces Valetudinarium Curatorem conſpicatus, defixis in eum oculis, ſupremum veluti ei Vale dicturus, nunquam anteà uſurpato officii genere, Crucis ſigno manu expreſſo precatus ei benè eſt. Obverſo deindè in Cœlum obtutu, vultuque, ut nonnemo advertit, lactis candorem imitante, placidos inter anhelitus coràm evocatis campani æris pulſu Domeſticis, paulò antè meridiem, egregiis onuſtam meritis Cœlo maturam efflavit animam, v. Idus Majas, anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo quarto, ab initâ Societate quadrageſimo ſexto, denique à Virginis Partu MDCCXVI. Vir ſanè, cùm cæteris virtutibus, tùm ſuſceptis potiſſimùm perpetuis Dei, ac proximorum causâ laboribus planè admirabilis : in quem proindè egregium illud è Sacris Literis Elogium aptiſſimè cadat ; *Honeſtavit illum in laboribus, & complevit labores illius* ; Sap. 10. 10. Profectò ardentiſſimum hoc, quod in ipſo floruit, pro Deo continen-

Digitized by Google

nenter laborandi ſtudium optimè plurimorum judicio expreſſiſſe viſus eſt quidam, quàm humanæ prudentiæ præſidiis in ſpeciem deſtitutus, tàm in Divinarum rerum ſcientiâ apprimè verſatus. Interrogatus quippè, quonam ex morbo potiſſimùm obiiſſet Franciſcus? Ex Hydrope eum interiiſſe conſtanter reponere conſueverat. Sicubi verò ſe, quod Peripneumoniam cum Hydrope confunderet, inſcitiæ argui audiret; *Opinentur, ut lubet, Medici*, nec illepidè, nec ab re ajebat, *equidem Hydrope ipſum laboraſſe ſentio: quemadmodùm enim intercutis aquæ vitium in corporibus hoc fert, ut eorum ſitim epotæ aquæ copia incendat potiùs, quàm extinguat; ità Apoſtolicorum operum ſiti inflammatus ità vixit Franciſcus, ut iis immerſus licèt, ad majores tamen, graviores que exantlandos quotidiè labores inexplebilè ſemper cupiditate inhiaret.*

Cæterùm non tàm comploratione, ac luctu, quàm gratâ ejus virtutum commemoratione, quæ animos ad imitationem viciſſim incenderet, excepta à Noſtris hæc ejus mors fuit. Deperiiſſe quidem in eo miſeris perfugium, ægris ſolatium, pauperibus levamen, Urbi univerſæ, ac Regno præſidium ingens, ac decus, Domeſticorum denique oculis eximiæ Sanctitudinis exemplum ſubductum jam eſſe ſecum quiſque non ſine dolore reputabat. Hujus tamen jacturæ mœrorem mutuæ de Æternâ, quâ frui ſtatim ipſe cœpiſſet, Felicitate gratulationes magnâ ex parte levabant. Receptum quippè Cœlo Franciſci animum, non adeò ſuorum, quos ſecundùm Deum unicè in vitâ dilexiſſet, Civium adeò immemorem fore præſumebant, ut non multò uberiùs, faciliùſque eorundem commodis ex Immortalium ſede proſpecturum deinceps fore ſperarent.

Cui ſanè ſpei, ſi minùs ulla alia res, objecta certè Tereſiæ à Jeſu Neritinæ Virginis animo ejus felicitatis ſpecies ingens pondus addere eſt viſa. Correpta hæc morbo paulò antè mortem fuit, quo proximum ſibi lethum prænunciari nec ipſa abnuebat. Eoque reapsè ingraveſcente defecta animo, ſopitaque, ceſſante etiam venarum pulſu ità diem integrum jacuit, ut quoniam vixiſſe jam eam reliquæ flerent Aſcetriæ, alligatis aſperè extremis corporis partibus vitæ ejus periculum, præſentibus Homologetis nequicquam reclamantibus, facere pergerent Medici. Reddita tamen ſibi diſcuſſo ſenſuum ſtupore Tereſia, ſe eo tempore Tutelaris Angeli ſubſidio in ſublime ela-

Digitized by Google

elatam pulcherrimæ Urbis ſpectaculo animum oblectaſſe poſtmodùm ſcripſit; atque à reviſis ibi ſuorum Homologetarum aliquot eâ jam Civitate donatis, Ludovico nempè Calchi, ac Joanne Petro de Alexandro Dominicanis, à Petro Antonio de Alexandro, Argentani, ſeù Sancti Marci in Calabriâ Epiſcopo, atque à ſuo, ut ipſa dixit, Franciſco à Cryptaleis Jeſuitâ, hæc ſe audiiſſe addidit; *Opinione major te quoque hìc manet felicitas, Filia; mortalis tamen vitæ dolores adhùc pauxillum feras neceſſe eſt.* Hæc ex Emmanuelis Baſta monumentis excerpta Neapolim tranſmiſit, qui Tereſiæ vitam Italicè ſcripſit, memoratus alibi Nicolaus Thomas Farina Dominicanus.

CAPUT III.

Franciſci Funus.

Plè, ac feliciter deceſſiſſe Franciſcum, quanquàm ſingulis Noſtræ Familiæ, quotquot Neapoli ſunt, Collegiis, ac Domibus ſtatim per literas de more nunciari viſum Moderatoribus fuerit; clàm tamen externis id eſſe, nec ullo Campani æris pulſu ſignificari iiſdem providè placuit: ne irruentium ſcilicèt hominum concurſu tùm domeſtica, tùm ſacra fortè turbari officia contingeret. Curatum igitur, ſacriſque indutum veſtibus cadaver, dilato ad lucis exitum funere, eodem in cubiculo ſervari juſſere. Attamen haud ità cautè peragi hæc potuere, ut Franciſci exitum ſatis tegerent: quem ipſa nempè Noſtrorum taciturnitas ſuſpicantibus Externis ſatis prodebat. Evolaſſe ergo ad Superos Franciſcum ſpe, & opinione celeriùs in Urbe percrebuit. Vix verò ad Virum Patricium, eundemque Franciſci amantiſſimum hic pervènit rumor; cum quò minùs in extincti Cubiculum unà cum Pictore ſe penetraret, ejuſque in telâ Imaginem effingi curaret, ejus auctoritati, atque in hominem benevolentiæ obſiſti omninò non potuit. Hoc verò tempore, intentis in picturæ lineamenta præſentium animis, ut è tanti Viri reliquiis aliquid ſibi Valetudinarius Curator inobſervatus ſeponeret, in adhærentem plantæ callum manum intendit, illumque forſiculâ reciſum clàm ſibi ſublegere molitus eſt. At pii eum furti erumpens ex inciſione ſanguis ſtatim coarguit,

Digitized by Google

qui undecim fermè horis inde guttatim defluens lineis primùm panniculis, mox etiam vitreâ ampullâ ad tres circiter uncias exceptus, poſtquàm toto trimeſtri ſpatio liquens, ac vividus perſtitit, colore non immutato concretus in eodem vitro à Noſtris cautè ſervatur. Eodem porrò ſanguine ſua intingere linteola pluribus etiam aliis eo die licuit, quæ poſtmodùm minutatim conciſa præſentiſſimo ægris præſidio in Italiâ, ac Germaniâ fuiſſe ex gravium Virorum teſtimoniis patebit in loco.

Interea quoniam ſupremis Exequiarum officiis vacandum jam eſſe pronus in exitum admonebat dies; ad extincti corpus in Sacrarium tutò aſportandum petitis à Neapolitano Prorege Helvetiis, quos vocant, Apparitoribus opus fuit. Tantâ ſiquidem hominum frequentiâ Templum juxtà, atque exterius Sacrarii atrium ex improviſo obſeptum circà eam horam apparuit, ut ab importunâ eorum, ſi fortè in cadaver irruerent, pietate metuendum Noſtris non ex vano videretur. Eorum igitur ſatellitum operâ, externorum nonniſi paucis admodùm, ac ſpectatis in Sacrarium aditus patuit; eò libentiùs admiſſis, quòd manuum, ac pedum oſculis, aut excepto ſtrophiolis manante adhùc è plantâ cruore contenti, veſtibus, ac reliquo corpori modeſtè parcerent.

Nec diſpari cautione, ubi ducendi in Templum funeris hora appetiit, ad circumfuſam plus nimio multitudinem arcendam ſtipatum eorundem armatorum hominum cuſtodiâ procedere pheretrum debuit, quò conſueto funebris Pſalmodiæ ritu ſupremos Franciſco honores perſolvere integrum eſſet. Quid verò? Tertio vix Pſalmo inter confuſas populi voces alternis, ut fit, decantato; illuſtribus Matronis quibuſdam agmen ducentibus, ad viſendum cadaver ea ſeſe confertim urgentium adjuncta eſt hominum turba, ut ſedilium, ac Pſalmodiæ ordine expoſcentium opem clamoribus diſturbato ſacras parentaliorum ceremonias omitti, atque ad pheretrum accurri neceſſe fuerit. Capitur proindè à Noſtrorum Primoribus in arenâ conſilium, ac Regiis Apparitoribus obſeſſo cadaveri ſuppetias extemplò miſſis, illud intactum adhùc, nec inconſultâ populi pietate deformatum medio è Templo in Sanctæ Trinitatis Sacellum, quod ad Aræ Maximæ lævam eſt, concurſantibus hinc inde Civibus acceſſu prohibitis, tandem avehunt, quò ferreis inibi incluſum clathris ſpectari quidem ab omnibus commodè poſſet,

non

Digitized by Google

non verò à cupidis reliquiarum manibus temerè contrectari. Nil porrò in tàm subito populi tumultu, præter quadratum pileum jacenti Francisco detractum; quem temporis progressu salutarem & sibi, & aliis fuisse idem, qui rapinæ auctor fuit, Sacerdos quidam asseruit.

Verùm enim verò ex quo ejus Sacelli clathris protectum exanime illud corpus jacuit, piæ celebritatis potiùs, quàm tristium exequiarum speciem nostra Ædes præstulit. Neque enim quid funeri simile spectare in eâ fuit, præter atrum Aræ, ac Sandapilæ colorem. Cæterùm qui se turmatim ad pium illud spectaculum inferebant, alii eximiam ejus sanctitatem laudibus extollere, alii Apostolici Viri jacturam lamentari; alii denique, prout aliis succederent, aut Cœlo recepti opem implorare, aut impetratam plenis lætitiæ vocibus gratulari. Fuere prætereà populariun non pauci, qui in clausum cancellis corpus nil suæ pietati licere conspicati, ut aliquod tanti Viri pignus domum auferrent, in Confessionale ejus Subsellium facto impetu irruere non dubitarunt. Nec illud, ut cœperant, penitùs in frusta concidere peperciissent, ni importunæ scissionis fragore admonitus Templi Præfectus illud eorum manibus vi extractum asportari aliò providè jussisset. Quanquàm primariis quibusdam Matronis, ac piis aliquot intrà sacelli sepia ad extrahendum manantem adhùc è pede sanguinem, aut ad contemplandam exanimi corporis flexibilitatem jam necessariò admissis, denegari deinde citrà invidiam plurium aliorum precibus ad osculandum hoc aliud Francisci monumentum aditus minimè potuit.

Ità concursantium pietati spatio ad multam usque noctem dato, claudendarum Templi valvarum tempus advenit. Quocircà dimissâ multitudine, laxatâque jam Æde, Pictorum nonnullis extincti vultum gypso, aut cerâ effingere integrum fuit, quem aptis deindè coloribus in tabulâ exprimerent. At verò vix postridiè diluxit; cum longè majori irrumpentis multitudinis æstu, ac reciprocantium hominum undis totum, quàm latè patet, fluitare Templum occepit. Inter hos ad inhumatum adhùc cadaver variis morborum generibus correpti cupidissimè contendere; suæ quisque ægritudini medelam eo ejulatu exposcere, qui operantibus manè ad Aras non leviter incommodaret: salutaremque nonnullis plenum hunc fiduciæ clamorem fuisse reddita extemplò, ut mox dicam, sanitas patefecit. Nec aliâ

Digitized by Google

ratione, ut undequàque confluentium aut viſendi cupiditati; aut recuperandæ valetudinis ſpei ſatisfieret extrahi ſolidus is dies potuit. Sub ejus verò exitum, cum nonniſi tertio ab obitu die Franciſci corpus in Advenarum, Paganorumque gratiam ſepulcro condendum fore apud multitudinem invaluiſſet, præſertim quòd nullum ex eo tetrum exhalare odorem conſtaret, imò ſuavem potiùs, ac jucundum indidem efflari expertus fuiſſet nonnemo; ejus reviſendi ſpe dimitti faciliùs primis jam tenebris maxima pars potuere. Semotis proindè externis, clauſâque jam Ædè, Domûs Præpoſito, aliiſque domeſticis duntaxat præſentibus, plumbeâ in arcâ, ligneo loculo extrinſecùs munitâ repoſitum Franciſci corpus in commune ſepulcrum, quod dextero Majoris Aræ reſpondet lateri, ex præſcripto ab Eccleſiâ ritu illatum eſt; Epigraphe hac Arcæ adjectâ, quæ ejus, quod ſervaret pignoris, teſtimonium poſteris ferret.

Pater Franciſcus de Hieronymo feliciter obiit in Domo Profeſſorum die 11. *Maji* 1716. *annos agens* 74. *Natus die* 17. *Decembris* 1642.

Singularem porrò hunc, nec niſi perpaucis apud nos, iiſque ſanctimoniæ laude præcipuè florentibus tribui ſolitum peculiaris Urnæ honorem Franciſco abnuendum cenſuit nemo. Quis enim adeò deſiperet, ut conſueto Noſtrorum more communi terrâ tegendum ejus corpus duceret, quem ob eximiè obitos pro Deo labores jam Cœlo donatum opinari fas eſſet, quemque novis in dies prodigiis inclareſcentem Aris etiam olim donandum non inani ſpe quiſque præſumeret? Integrum ne adhùc, an in cineres redactum corpus illud Tumulus fervet, exploravit hactenùs nemo. Intereà ne ex variis, ferèque nunquam conſentientibus inter ſe Pictorum ingeniis de ejus vultu, cæterique corporis formâ temporis progreſſu poſteritas judicet; ejus hìc Imaginem, qualis ex ipſo non ſemel viſo menti adhùc vividè obverſatur meæ, aliorum oculis pro modulo examuſſim ſubjiciendam exiſtimo.

Corpore Franciſcus fuit benè compacto, verùm exſucco, atque arido: viribus per ſe quidem validis, ſed laborum, & voluntariæ afflictationis aſſiduitati, ac magnitudini non ſatis æquis. Statura, quæ juſtam haud multum exceſſit, in anterio-

rem

Digitized by Google

rem partem ex modeſtiâ leniter inflexa. Caput haud ſanè magnum; acutum potiùs, quàm rotundum, atque è ſenio modicè calvum. Frons ampla, atque exporrecta, quæ in cavum utrumque tempus ſe arctaret. Barba, & capillus naturâ niger, ſed devexâ ætate canis aſperſus. Supercilia grandia, nigri oculi, atque introrsùs acti: cæterùm ad effœtam uſque ætatem vividi, animique Cœleſti ardore afflati certiſſimi indices. Genæ vacuæ potiùs, quàm pingues. Naſus incurvus, atque ut à ſummo eminentior, ità ab imo diductior. Color aquilus, ac nimio veluti Sole obfuſcatus: Collum gracile, ac macilentum. Vox in Concionibus ſonora admodùm, ſed rauca; cæterùm in familiaribus colloquiis tenuis, ac modeſta. Latum os, ſed quod edentulo Seni venuſtatem non demeret. Brachia extrà Domum ſub pallio modeſtè compoſita: Domi circà pectus plerumque decuſſata. Nudo ut plurimùm capite cum incederet, quadratum pileum tegendis potiùs manibus adhibebat. Sermo ei jucundus, lepidus, ac ſalibus ſæpenumero aſperſus, ac, niſi aliud res poſceret, ab omni auſteritate alienus.

Jam ut, undè digreſſus ſum, eò redeam; quot, quantiſque ejus funus prodigiis commendatum voluerit Deus, quâve ratione tetrica per ſe, ac triſtis exequiarum pompa in ejus ſanctimoniæ triumphum, ſignificato ejus obitu, ſtatim abierit, exequendum proximo capite jam erit.

CAPUT IV.

Multiplici prodigio Franciſci Funus clareſcere ſtatim incipit.

QUatuor potiſſimùm rebus inhumatum adhùc Franciſci cadaver eo biduo decorari eſt obſervatum, quæ ad ejus ſanctimoniæ commendationem plurimùm facere non iniquis rerum æſtimatoribus ſunt viſæ. Ac prima fuit ipſa hæc, quam memini, infinita accurrentium ad ejus funus frequentia, quam maxima noſtræ Ædis amplitudo vix caperet. Certè homines à nullo excitos, imò extincti Franciſci notitiâ, quoad ejus fieri potuit, prohibitos tàm ſubitò tanquàm communis omnium

omnium Parentis viſendi ſtudio coiiſſe, nec ſe unquam videndo explere potuiſſe, novum ſupremi honoris genus homini mortalium laudum in omni vitâ contemptori à Deo decretum apparuit. Altera, gravis, & decòra quædam venerandi oris majeſtas, ſopori, quàm morti ſimilior, quæ non horroris, ſed pietatis ſenſum ſpectantibus ingereret. Tertia membrorum omnium perpetua flexibilitas, ad quam explorandam gratus, qui è corpore ſpirabat, odor adſtantes pheretro lubentiùs alliceret. Poſtremò manans è pedis vulnere tot horas rubicundus, ac vividus cruor: quem tamen ejus cupidis non æquâ ſorte dari obſervatum eſt; aliorum ſudariolis largiùs, aliorum parciùs eo aſperſis, nonnullorum etiam ne leviter quidem eo tinctis. Quod quidem non de nihilo fieri rem maturè inſpicientibus eſt viſum.

Præter hæc verò, majora longè, atque illuſtriora ea fuere, quæ funeris hujus celebritatem apud præſentes juxtà, atque abſentes commendarunt. Id quod piæ cuidam Fœminæ peregrè agenti, ut reſcitum poſteà fuit, ipſe ſtatim ab obitu præſignificaſſe videtur Franciſcus. Quo enim deceſſit momento, *multo ſe lumine circumfuſum* viſendum in aere huic obiter præbens, jucundâ, ſed plenâ majeſtatis voce, *Miracula*, inquit, *Miracula*. Eoque *vix* dicto, è Fœminæ oculis ſtatim evanuit. Et ſanè prænunciis hiſce Miraculorum verbis fidem Neapoli eodem die non unus facere cœpit eventus.

Ac primæ omnium experiri hæc Franciſci prodigia Gratiæ Nigræ licuit Dominici de Philippis Uxori. Sexennem hæc filiam, Tereſiam nomine, ex enato utrinque gibbo pedibus ità debilitatam dolebat, ut moliri ſe quòquam jam indè à biennio minimè poſſet. Deſperatis igitur penitùs humanæ artis præſidiis, ſimul evolaſſe ad Superos Franciſcum audiit, languentem Filiam ulnis complexa in noſtram ſe Ædem fiduciæ plena ſtatim proripuit. Tentatoque non ſemel ad jacentis cadaver acceſſu, ubi conſtipatâ multitudine ſe prohiberi, ſimulque ad ejus Confeſſionale Tribunal non difficilem adeò aditum fore animadvertit; per mediam, quæ illud obſederat, turbam eò ſupplex convolat; Filiâque in ejus Subſelli medio locatâ, immota hactenùs crura ab eâ ſponte moveri ſtatim obſervat. Quod impetratæ ſanitatis indicium rata, voti ſe compotem, quâ poteſt voce, protinùs exclamat: ereptamque inde Filiam attonitæ mul-

Digitized by Google

multitudini ſuis ſe ſuſtinentem poplitibus viſendam offert. Eam porrò ſuis liberè jam incedentem pedibus manu arreptam toto ſecum Templo circumduxit inſignis Minimorum Familiæ Theologus, & Concionator Bernardinus Colucci, primi hujuſce prodigii ad Dei, & Franciſci gloriam Teſtis, ac Præco.

Non diſſimile ex eodem Subſellio beneficium eo die retulit Antonius Nicolai de Arminio, & Annæ Mignonæ ſexennis filius. Sævum huic Rheuma ante triennium crura diſtorſerat, ac debilitaverat. Ut verò inibi ſedit, rectus, ac vegetus repentè incedens ſalutarem non minùs tùm corporibus, quàm anteà animis fuerat, uſurpatam illam à Franciſco ſedem eſſe probavit.

Quinquagenario etiam, nec infimæ ſortis homini, Angelo de Felice Arthritide, atque Ophtalmiâ laboranti, ſalubre idem Subſellium experiri obtigit. Sedere quippè in eo ſimul ac potuit, atque ut ſibi adeſſet è Cælo Franciſcus elatâ voce expetiit, levatum ſe utroque morbo protinùs exclamavit. Mox in genua provolutus, ab oculis, ac fronte ejus ſedis attactu fovendis, ſuccedentibus aliis locum ut daret, avelli tandem vix potuit. Ingens hinc gratias Deo agentium obortus clamor, quo excitus Ædis Præfectus, cum ad rem diligentiùs explorandam Canonicarum precum Breviarium legendum eidem obtuliſſet, clariorem eo experimento recuperati viſus fidem omnibus fecit.

Ad idem Subſellium adducere vitiatum pedibus toto ſexennio octennem puerum Joſephum Antonium Mariam Scibonem aggreſſa nequicquam eſt Anna Magneſe Cremonenſis ejus Mater ab affuſâ ei Subſellio multitudine prohibita. Ad expoſitum igitur in S. Trinitatis Sacello Franciſci Corpus avehere eum ſecum tentavit: verùm à confertiore inibi turbâ longè difficiliorem ad ea ſepta acceſſum experta, quod unicè ſupererat, ad implorandam Franciſci opem è remoto Templi angulo ſe contulit. Nec eam fefellit fiducia: fuſis enim precibus felix adeò reſpondit eventus, ut Puerum vix adrepere totius corporis niſu paulò antè valentem ſuis jam liberè incedentem pedibus domum retulerit.

Toleratam prætereà tredecim jam annos abnormem Herniam unius Franciſci ope depulſum iri arbitratus Raymundus Quintana, in Templum & ipſe ſe contulit. Cumque aditu ad ca-

daver

daver innumerabilis eum populi frequentia arceret; precibus, ac fiduciâ agendum ratus, ejus ſe fidei, ac tutelæ permittit. Nec fruſtrà eum feciſſe ſecuta è diuturno morbo ſanitas oſtendit.

Nedùm ad Sacelli Franciſcum claudentis clathros, ſed ne in Templum quidem pedem inferre Alexandræ Curtæ concurſantium undique hominum mutuò ſeſe premens multitudo permiſit. Pro foribus proindè hæc ſibi ſubſiſtendum rata, indè ei, quem ſecum attulerat, educato à ſe quadrimo infanti Joanni Expoſito Dominici Expoſiti filio carnosâ Herniâ jam indè ab ortu miſerabiliter deformato aut morbi, aut vitæ finem cum lacrimis petiit. Precum dein ſuarum eventum hæc eadem exploratura, ubi domum ſe retulit, ad reſolvendas affectæ partis faſcias pueri matrem cupidè incitavit. Ac morbum evanuiſſe adeò jam omnem conſpexit; ut non ſolùm Herniæ veſtigium in eo nullum extare, verùm etiam, quas ſauciis faſciarum attritu humeris inſanabiles per id tempus puer tulerat cicatrices, obductas ex improviſo jam eſſe obſtupuerit. Mœrore igitur repentè in gaudium verſo, ad evulgandum recens prodigium, raptatâ per Templum linguâ in grati animi ſignificationem ambæ poſtridiè redire.

E' tot porrò in noſtrâ paſſim Æde exauditis *Miraculum* exclamantium vocibus, oborta Franciſco de Stephano Neapolitano Sacerdoti fiducia eſt, Apoplexiâ jampridèm afflictæ ſorori ſuæ Gratiæ de Stephano imploratum præſtò quoque fore Franciſcum. Ex ejus igitur exequiis eo die domum ſub veſperum redux ægræ, ac ne in cubiculi quidem planitie crus agere valenti his verbis animos facit: *En aſperſum Franciſci ſanguine linteolum: age, ejus ope mira exindè ſperare aggrediamur. Læſo proindè cruri quin illud tutè admoves, Soror?* Paruit monenti Gratia; atque efficax adeò exhibitum à Fratre linteolum experta eâ nocte eſt, ut primo ſtatim mane Fratrem adiens ægrum crus morbi, ac doloris expers jam eſſe renunciarit; ſed tamen novo quodam doloris ſenſu alterum crus affici paulò antè cæptum impetratæ opis lætitiam recenti eâ moleſtiâ quadamtenùs interturbare; *Huic verò calamitati*, repoſuit Frater, *tùm idem hoc linteolum, tùm hoc, quod penès me eſt, uſurpatum olim à Franciſco flagrum occurret*. Jam neque huic dicto ſua defuit fides: alterâ quippè nocte adhibitum affecto nuper cruri amu-

Digitized by Google

amuletum voti compotem ægram ex toto reddidit; quæ utroque crure jam postridiè restituto sursùm, ac deorsùm liberè incedens impetratæ per Franciscum opis re potiùs, quàm verbis fidem fecit.

Seriùs quidem aliis Agnellum Simione, at non incassum ad postulandam sibi à Francisco opem patratarum mirabilium rerum ditus passim rumor excivit. Tertio hic die ad Nostram Ædem accessit, tùm distortæ utriusque tibiæ debilitate, tùm insanabilibus aliis morbis jam inde à sexennio pressus. Verùm illato jam in sepulcrum corpore, vacuum S. Trinitatis Sacellum nactus, non tamen ob hæc animum despondit, sed prolixiùs in preces effusus deprecatorem salutis, atque incolumitatis suæ ipsum, ad quem venerat, Franciscum apud Deum adhibuit. Nec missa in irritum vota: insolitâ quippè vi & consolidari crura, & pectoris angorem supprimi, & decrescere ventris tumorem animadvertit. Projecto igitur, quo subnixus venerat, subalari fulcro, cum ingenti viciniæ gratulatione, non rectis quidem omninò tibiis, at suis liberè incedens pedibus ad repetendam Sarcinatoris, cui se addixerat, artem domum se retulit.

CAPUT V.

Nobilis Puellæ ad Francisci Pheretrum adductæ mirabilis, ac repentina curatio.

QUod verò per id tempus Nostrorum non minùs, quàm Externorum præsentium præ cæteris admirationem absorbuit, id Teresiæ Ulloæ, illustrium Conjugum Adriani Ulloæ Ulcorum in Lucaniâ (1) Ducis, in Neapolitano Regno de Proregis, ut ajunt, Latere Regentis, atque Helenæ Guevaræ Filiæ restituta publicè sanitas fuit. Rubentes hæc Pustulas jam olim passa, primum hunc adeò non excussit morbum, ut novum potiùs, ac difficiliorem exindè contraxerit. Spontè enim erumpens ex oculis fletus statis eam horis

Xx quo-

(1) Lauria *Moletio*, & *aliis*; Ulcianam verò Coloniam vocat *Frontinus*.

Digitized by Google

quotidiè exagitabat. Nec animi dolore lacrimis ſatis expleto, ad tetricum adeò, ac mœſtum vitæ genus adacta jam erat, ut ex atræ bilis copiâ melancholico, ut vocant, delirio obnoxiam eam eſſe cenſerent Medici. Comitialis item temporis progreſſu eidem ſuperingruit morbus: hinc ſpumas ex ore ſubindè ejicere, artus diſtorquere, aliiſque id genus motibus convelli, qui indubiam Epilepſiæ facerent fidem. Linguæ etiam uſum amiſiſſe ex toto videri poterat, niſi ſumptum parciſſimè cibum uno, aut altero verbo condiri ab ea ſolere exploratum domi jam eſſet. Vincendæ huic morborum Iliadi impar fortaſsè Medicorum ars erat: nec, par licèt foret, eam ægra admittebat, ab omni eorum ope, ac remediis plurium menſium ſpatio jam penitùs abhorrens. Inſanabilem hanc, ac ſenſim contabeſcentem Filiam viventi adhùc Franciſco non ſemel commendàverat Mater: utque ejus erat ſanctimoniâ, ac benignitate freta, auctius fore beneficium addiderat, ſi præter Filiæ incolumitatem, maſculam item mœſtæ Familiæ ſoboleм à Deo precibus impetraret. Cum verò benè eam ſperare his ſemper verbis juſſiſſet Franciſcus; *Utriuſque te voti compotem ſenties, at non modò*; pluribus jam annis votorum ſuorum expers, at ex ingenti ejus dictorum fiduciâ non exſpes parùm hactenùs felix Matrona jam egerat. Deceſſu interim hominis ei nunciato, poſtridiè ejus diei, dimiſsâ jam ſub veſperum populi turbâ, ad jacentis pheretrum intra Sacelli ſepta admitti cum ægrâ filiâ voluit: ac poſitis illic genibus jamdiù dilatam promiſſi repopoſcit fidem. Nec ejus implendæ adeſſe jam tempus diffiſa, confectam macie, morboque Puellam ſuper extincti Sandapilam locari juſſit, ejus nempè contactu utique convaliturum. Præſentibus intereà partim rei expectatione ſuſpenſis, partim ægræ miſericordiâ ad comprecandum accenſis, eccè apprehenſâ Franciſci ipſius manu ad languentis puellæ frontem Cruce ſignandam accedit, qui tùm Profeſſorum Domui præerat, P. Antonius de Angelis. Mirumque dictu, viſuque! Depoſitis veluti eo in pheretro, quibus afflictabatur, morborum intemperiis, eripi ſe indè, atque in ſolo locari extemplò loquax jubet Puella; ac pedibus abſque ullo adminiculo inſiſtens ad oſculandam orantis adhùc Genitricis manum ſe liberè proripit. Imò, *Satin' bellè valeret?* non ſemel requiſita; *Benè, bellèque*, exporrectâ ad hilaritatem fronte repoſuit. Nec cibum ut priùs exoſa, oblatas ſibi cupedias

puel-

Digitized by Google

puellari libertate exesse non dubitavit. Suis ipsa oculis, atque auribus tandiù exoptatæ sanitatis novitate attonita vix credidit Mater. Quare recuperatarum à Filiâ virium diligentiùs periculum facturæ è Sacello ad Templi fores suis eam pedibus incedere protinùs voluit. Cumque nullo adjutore eam & ingredi, & currum conscendere observasset; valuisse tandem suas pro Filiâ preces delibutis gaudio lacrimis exclamavit. Deoque, ac Francisco revivisscentis Puellæ prodigium gratulata, suis non minùs domesticis, quàm præsentibus aliis ingenti spectaculo attonitis indubitatum hominis sanctimoniæ argumentum abscedens reliquit.

Nihilo verò minori recuperatam Filiam lætitiâ excipiens Adrianus Pater, eam plures secum dies curru circumvectam Urbi spectandam exhibuit, conciliatæ sibi per Franciscum Cœlestis Beneficentiæ monumentum Civium omnium oculis futuram. Ad perennem insuper accepti eo die beneficii gratiam; quandoquidem argenteum Simulacrum ad persanatæ Filiæ pondus in Dei Liberatoris obsequium donaturam se Uxor spoponderat; gratius se Francisco, sublevandæ hominum inopiæ in vitâ amantissimo, facturum ipse putavit, si nuncupati ab eâ Voti æquivalenti pecuniâ religionem exolveret. Eodem proindè anno XI. Kal. Jun., signatâ suo Chirographo syngraphâ depositos apud SS. Jacobi, & Victoriæ Mensarios argenteæ monetæ Neapolitanos centusses octingentos, & quatuor, cum assibus undeviginti, atque obolis quinque (huic nimirùm pecuniæ æquales argenti libras totidem Puella pependerat) Professorum Domus Præposito numerari hac lege jussit. I. Ut eam donationem Uxoris nomine exhibitam Francisci causâ fieri in accepti, atque expensi rationes publicæ pecuniæ Custodes referrent; cujus nempè ope ad extinctæ manus attactum, atque osculum è diutinâ, ac periculosâ ægritudine repentè Filiam revaluisse palàm jam esset. II. Ut eâ pecuniæ summâ in sortem redactâ ex Urbis vectigalibus, aut etiam aliundè, annui emerentur census in duarum Virginum honestarum, inopum, ac saltem Genitore orbatarum dotem æquâ portione quotannis deputandi. III. Ut non quæcunque pro libito id beneficii acciperent, sed septem hujusmodi Virginum nominibus in urnam conjectis sortes ducerentur; ac binis, quibus felicior nota contingeret, ubi honestè, ac legitimè nuberent, ea dos attribueretur. IV. Ut vespe-

Digitized by Google

re feſtam Sancti Cyri lucem quotannis antegreſſuro, quem nimirùm eximiè ſemper coluerat Franciſcus, coràm Domûs Præpoſito, eoque Societatis Sacerdote, qui in Miſſionum munere Franciſco ſuccederet, ea nominum ſortitio fieret. V. Ut in tradendæ dotis Apochâ Franciſci nomen, ac memoratum ſuperiùs prodigium diſertis exprimeretur verbis.

Hæc, ut in reddendâ Franciſco gratiâ ejus in egenis Virginibus ſublevandis ſtudium æmularetur, pius juxtà, ac munificus decrevit Pater. Parentum tamen liberalitati majus aliquid de ſuo deindè addidit Filia, quæ acceptam divinitùs valetudinem Deo Soſpitali unicè devovendam rata, in Sanctæ Mariæ Ægyptiacæ Majoris illuſtri Cœnobio Cœleſtem Sacrarum Virginum vitam paternæ domus blanditiis, ac mortalium rerum commodis omnibus præoptavit. Ac Tereſiæ Mariæ nomine retento, jam indè ab undeviceſimo ætatis anno ſolenni Religioſæ Virginitatis Sacramento auctorata perenni Franciſci beneficio optimas, quibus etiamnum utitur, vires adſcribit.

Reſtabat, ut ad integram veteris Oraculi fidem virilem è conjugio ſobolem ejuſdem Franciſci precibus Familia ſuſciperet. De ſuſceptâ verò, eâque multiplici gaviſa uſque adeò poſt prius prodigium fuit, ut ne inſignis doni Auctor lateret, editum primo loco marem Franciſci Hieronymi nomine, alterum verò Cyri, tertium denique Hieronymi item vocabulo in grati animi ſignificationem inſignitum voluerint Parentes.

CAPUT VI.

Alia Franciſci quà promiſſa, quà vaticinia poſt ejus obitum ad unguem impleta.

AT non Ulloæ ſolùm Gentis memor, aliis etiam prænunciatam olim, aut promiſſam opem benevolè non minùs, quàm fideliter poſt obitum impertiit. Etenim non abſimili ratione Puteolanæ fœminæ (1) Antoniæ de Sanctis ægritudinem, ac mœrorem poſt plures à deceſſu dies ex toto levavit. Quotidianâ hæc ci-

(1) *Ità in Actis M. S. reperi. Annam de Amato Edita Italicè Vita hanc nominat.*

Digitized by Google

cibi rejectione,& sanguinis vomitu octo annos vexata,ad ipsum valetudinis causâ ad vicinæ Sulphurariæ, ut vocant, campos à Medicis missum adierat, præsentis aliquid opis contrà diuturnum,contumacemque morbum imploratura:bonoque animo esse jussa desituram brevi eam ægritudinem lubens audierat. Simul verò, se adhùc ægrâ, incolumitatis suæ vadem Franciscum ad Superos emigrasse audiit, ad ejus tumulum Neapolim extemplò se contulit: ibique recuperandæ valetudinis quòd nondum fides constaret pio gemitu expostulavit. Addidit & preces,quæ, quod pollicitus sibi non multò antè fuisset, velutí in memoriam reducerent. Eas porrò haud irritas cecidisse testata deìn ipsa est: ex eo enim tempore fractâ utriusque morbi pertinaciâ nec cibi, nec sanguinis ejectione vexari se unquàm experta deinceps fuit.

Par & in animi, quibus conflictabatur, angoribus ex hujusmodi apud Franciscum querelis subsidium sensit Victoria Ludovici Cryptaleis in Divi Hieronymi Cœnobio Ascetria. Hujus ipse animum ex vanis religionibus, ac scrupulis sempiternos jam sibi præsagientem ignes, dum Sacræ Missioni,ac Spiritualibus ad sacras Virgines Exercitiis anno hujus seculi IX. navaret operam, his verbis sedaverat; *Ageris, Victoria: criminum veniâ te à Deo donatam, Cœlestique insuper Gloriâ post mortem donandam hilarè spera*. His quippè vix auditis, obortâ veluti menti clarissimâ luce, tenebras omnes discutí, inanesque illos metus in certam salutis spem abiisse animadvertit. Ac diù quidem recuperata hæc per Franciscum tranquillitas tenuit; cum post ejus obitum fluctuare iterùm tristibus curis cœpit, ut nullam Æternæ Felicitatis spem sibi supereſſe mentis inops jam crederet. Sævum hunc itaque, quo exagitabatur, metum à se amoliri cum satis non posset, fortè in Franciſci Imaginem incidit, allatamque olim sibi ejus alloquio præsentem opem memoriâ repetens, recrudescentibus animi intemperiis novum sibi subsidium prostrata cum lacrimis exposcit. Huccine malaciam illam, ac mentis tranquillitatem? Huccine certam salutis spem sibi per eum factam repentè recidisse? Adductam se eò jam esse, ut caligante jam ad Cœlestia animo, ni nova per eum lux jacentem erigat, acerbiorem omni morte jam reputet vitam. In gemitus ità resolutam refusâ extemplò luce solatus iterùm adeò est Franciscus, ut abactâ caligine, dum ejus originem, & causas intro-

Digitized by Google

introſpicere ſedatiùs tentaret Victoria, quænam eæ potiſſimùm fuiſſent, non ſatis diſcerneret. Eximiâ porrò hæc Franciſci beneficia anno labentis ſeculi XIX. ſui Aſceterii Virginibus patefecit: quo anno extremo conflictata morbo veterum hominis dictorum memor bonæ ſpei plena pacatiſſimè mortem oppetiit.

Parem in promiſſis conſtantiam expertus in eo poſt obitum eſt memoratus jam anteà Carolus ex illuſtri Familiâ Blanch *Pizzonii* Marchio. Ad eum extremo jam morbo laborantem denegari huic ob veterem familiaritatem aditus minimè debuit. Eum igitur Marchio de vicino interitu, perindè ac de voluptario itinere, tranquillè pacatèque loquentem nactus, ſub familariſſimi colloquii finem rogandum cenſuit, ut quicùnque ejus morbo decretus à Deo exitus foret, pro veteri neceſſitudine ſui in Cœlo memor eſſe ne gravaretur. Facturumque ſe id benignè, ac præſtò ei in ærumnis omnibus ſemper ſe fore ſupremùm hominem ſalutans recepit Franciſcus. Non longum porrò ab ejus deceſſu temporis ſpatium interceſſerat; cum Marchioni poſt cibum meridianti repentinus lateris dolor ſenſim augeſcens incommodare adeò exorſus eſt, ut ejus violentiam & manans toto corpore ſudor, & moderati ab ingenio hominis inſuetus clamor affatim proderet. Ad improviſas dolentis voces, ut fit, cum ſuo quiſque remedio accurrère domeſtici. Verùm nihili hæc fore ratus, nec immeritò, æger, in longè præſentiorem Franciſci opem animum unicè intendit: ac doloris acerbitati jam impar arreptum è cervicali Franciſci Chirographum lateri admovens promiſſi ſibi non ità multò antè patrocinii fidem plenis fiduciæ vocibus implorat. Nec ſanè pluribus opus habuit, ut ſtare promiſſis Franciſcum agnoſceret: dolore ſiquidem confeſtim fugato, ſomno tàm arctè complexus eſt, ut dulciorem ſibi ſoporem nunquam aliàs obtigiſſe teſtatus poſteà fuerit. Quo verò conſtantis Franciſci tutelæ novum acciperet documentum, ſubitam, ſed non fidam ejus diei malaciam fuiſſe doluit. Etenim poſtridiè, contrà quàm crediderat, eâdem prorsùs horâ tentari iterùm latus dolore animadvertit. Nihil proindè cunctandum ratus, ne in heſternas recideret intemperias, Chirographum rursùs renovatâ fiduciâ arripit, & carere ſe doloris ſenſu omninò velle, atque in ſomnum relabi Franciſco ſupplex exponit. Faviſſeque ſuæ petitioni tàm citò eum ſenſit, ut ſe-

cun-

Digitized by Google

cundum has preces represso dolore somnum pro libito capere persanatus statim valuerit.

CAPUT VII.

Complurium calamitatibus præstò post mortem esse suarum Reliquiarum adminiculo pergit Franciscus.

NOn exaruisse Francisci morte uberem illam, quâ vivens redundaverat, Beneficentiæ venam ex enarratis hactenùs conjicere per se quisque non difficile potest. Verùm & auctiùs, & mirabiliùs profluere ex eo tempore illam cœpisse usque adeò multiplex patefecit eventus, ut ingenti rerum mirabilium copiâ non tàm expleri, quàm obrui legentium intentio videatur. Id ego ut caveam, salubrem hunc, plenoque abundè manantem alveo Cœlestium donorum Fontem pro variâ collatæ opis ratione in varios dispertitum rivulos exhibeo. Ità enim æquabiliùs, ac jucundiùs in animos influent, quæ nullo enarrata ordine tædium potiùs, ac fastidium legentibus ingerant.

Atque ut à rebus ab ipso in vitâ usurpatis, aliisque id genus ejus Reliquiis exordiar; Dianæ Victorellæ Neapolitanæ, Ignatii Victorelli Societatis Sacerdotis sorori, dexterum oculum sæva adeò infecerat Epiphora, ut in tuberculum tenax humor densatus dolorem, inflammationemque in inferiori palpebrâ efficeret, nec ardentis lucernæ liberum ei obtutum noctu permitteret. Annum ferè ità egerat, cum collyriis frustrà adhibitis, tuberculi incisurâ ei opitulari jam Chirurgus decreverat. Sævi verò remedii metu, atque horrore perculsam, ut in Francisci tutelam concederet, hortatus est, qui ei à Confessionibus erat nostri Ordinis Sacerdos Simon Bagnati, ejusque vestium præsegmen eidem præbuit. Quod ubi illa affecto admovit oculo, moveri statim tuberculum, ac minutatim in genas decidere experta, morbi totius molestiam, non sine docti Medici Josephi Sibiliæ admiratione discussit: neque enim Naturæ viribus properè adeò id fieri potuisse testatus est. 1716

Idem penè morbus in Sanctæ Mariæ Ægyptiacæ Majoris Asceterio Theodoram Fortunatam Laicam adjutricem invaserat.

Digitized by Google

rat. Sed imbutâ Franciſci ſanguine telâ oculis toto jam anno inflammatis applicitâ, liberâ lucis uſurâ eodem momento frui ſeſe cœpiſſe teſtata eſt.

Per idem tempus ſanguinis fluxu ità toto triduo laboraverat Chriſtina Stante, ut anceps de ejus vitâ judicium fieret. De Franciſci indusio fila aliquot cum Sancti Cyri pulvere hauſit: nec aliâ re opus fuit, ut inhibito ſanguine revaleſceret.

Conſentiæ præterea in Citeriori Calabriâ vigeſimo ætatis menſe Januarius, Pauli Bova Fabri murarii filius, XI I. Kal. Sextiles ejuſdem anni acutâ febri, vomitu, ac diſenteriæ morbo correptus, duas ad ſummum horas ſuperſtes fore Medicorum judicio credebatur. Præpropero Pueri letho, ac Matris luctui, ut quæ poſſent ope occurrerent quædam è Schettinâ familiâ Fœminæ, Franciſci, quæ nuper acceperant lipſana ſalutaria ægro Infanti fore arbitratæ, ea ſtatim mœſtæ Matri ſubmittere properarunt. Nec caruit ſucceſſu fiducia: eas quippè reliquias, perindè quaſi certiſſimum vitæ ſuæ Alexipharmacum in iis latere intelligeret, arctè adeò manibus arripuit Puer, ut vi eas deindè extrahere neceſſe fuerit. Cæterùm paulò antè pro depoſito habitus, fugatâ cum cæteris peſtibus febri, ſanus, ac vegetus in Foro poſtridie apparuit.

Eodem anno XIV. Kal. Jun. Melfictì in Apuliâ Joannam Caputo Cajetani Meſſina Uxorem, incertum quâ causâ, ſexdecim vulneribus in capite, humeris, pectore, ac ventre ſaucìam, ac ſuo, quadrimique pariter filii Joſephi innatantem ſanguine nactus Marcus Antonius Romanus Chirurgus, vicini ſtatim lethi damnavit: præſertim cum ad priorem calamitatem certiſſimum proximi interitûs indicium acceſſiſſet jam febris. Fœminam igitur humanâ jam arte inſanabilem miſeratus ibi quidam noſtri Collegii adjutor Laicus, defuncti nuper vitâ Franciſci linteolum ei ſubmittendum curavit: quod cum ſerico incluſum ſtrophiolo brachio Mulier circumdediſſet, tanti Viri tutelæ, ac fidei ſeſe, ac lethaliter ſaucium Puerum ex integro permiſit. Rediit porrò ad ægram Chirurgus: quamquæ inibi expiraturam crediderat, febris, ac doloris immunem agere attonitus vidit. Ac meliùs reapsè in dies ea habens, & ad priſtina vitæ munia redire non ità poſt multò incolumis valuit, & perſanatam eodem pio amuleto ſobolem ſibi obtigiſſe gratulata eſt.

Iſidori Antonii Perſici è Neapolitano Metropolitanæ Ecclę-

Digitized by Google

cleſiæ Canonicorum Collegio ad Æſerniæ in Samnio Inſulas evecti Antonia Soror vehementi cruris dolore duodecim annis conflictata, apertum ibi ulcus, nec ulli ex nimiâ verecundiâ proditum in plures cæcos hiatus introrsùs abſceſſiſſe non ſine dolore, ac vitæ periculo angebatur. Sectionem proindè, ac ferrum quamvis experiri pluries debuiſſet; ad extremam tamen vitæ aleam contumax eam morbus adduxerat. Dum domi igitur de inſtruendo ei funere agitur, animum ob hæc haud deſpondens Sacerdos Frater, telæ fruſtum Franciſci ſanguine perfuſum miſerrimæ Sororis ulceri admovendum cum fiduciâ præbet. Eo verò contactu uſque eò meliùs ſenſim habere ægra cœpit, ut cubili relicto, & domi ambulare, & ad proximum Templum Divinæ Rei causâ abſque metu pergere non ſine omnium admiratione valuerit.

Thomas Zarro Beneventi Canonicus ut primùm dolore laterum tentari ſe in vita ſenſit, ſaluberrimis, quas paulò antè febrienti Nepoti adhibuerat, Franciſci reliquiis, quàm ullo artis remedio uti maluit: eventu adeò non pœnitendo, ut doloris moleſtiam omnem eodem temporis puncto diſcuſſam fuiſſe datis deindè Neapolim literis nunciarit.

In Ditione Sancti Severini Joſeph Fianus ineunte Octobri, ubi è lineis Franciſci pannis præſegmen, quod tùm expediendis prægnantium partubus, tùm ægris pluribus præſenti præſidio fuiſſe inaudierat, brachio cum fiduciâ alligavit, periculoſam febrim ſtatim mitеſcere, ſeque quatridui ſpatio ex toto revaluiſſe expertus eſt. Eâdemque ratione ibidem ſecutis poſt annis Joſeph Pacileus laterum dolori mederi valuit. Epotis verò aquâ Franciſci reliquiis Donatus Campanile febrim, ac lethargum; Benedictus Rago febrim, ac delirium proſpero ſucceſſu à ſe depulere. Accurſius demùm Petrone Franciſci Vitæ volumine cervicali appoſito, ſtomachi dolorem, aliaque in pejus tendentis morbi non levis indicia abegit.

Gratia Piſchera Neapoli ingentem, qui mammas trimeſtri ſpatio obſederat, morbum Franciſci veſtium ſegmento poſt horam prorsùs diſcuſſit. Eodemque pignore uſi Jacobus Pacificus, ac Beatrix Buontempo conjuges, prior dolore Iſchiadis prodromo, poſterior præacutâ laterum moleſtiâ ſe liberatam ſenſit. 1717

Salerni Hippolytæ de Simone Dominici Antonii Roſa olim Uxori à peſſimæ febris æſtu lethum Auguſto menſe anno

Digitized by Google

Rep. Sal. MDCCXVII. imminebat. Hiemalem huic, quæ uſus Franciſco fuerat, penulam noſtri Collegii Sacerdos quidam laboranti obtulit: quam fervidis oſculata precibus mulier, cum proximâ nocte ſe interituram crederet; & præſentis periculi ſe immunem agere poſtero mane à Medicis audiit, & morbi totius calamitatem ſeſe evaſiſſe non ità poſt multò experta eſt.

Simili veſtis attactu eodem anno Januarius Landi ſaneſcere præter omnium expectationem eſt viſus; quippè quem acutâ febri oppreſſum jam Medici depoſuerant. Depoſitum ſe eodem fermè tempore putavit Joſeph Ciarelli Adrienſis Sacerdos à morbo quotidiè pejus habitus. Nec aliter eventurum fuiſſe aſſeruit, niſi Galeri à Franciſco uſurpati particulâ corpori adhibitâ fugatum extemplò morbum ſoſpes ſenſiſſet.

Contumacem nec ullis victum remediis penè Scirrho ſimilem dexteri cruris tumorem ubi Franciſci veſtium præſegmine attigit Leo Antonii Petronii Juriſconſulti Filius, uni huic amuleto morbum ſtatim deceſſiſſe, miratus eſt Dominicus de Divitiis Medicæ artis Profeſſor; oculatus mirabilis rei teſtis fuit.

Cremonâ præterea hæc de Franciſci reliquiis anno eodem ſcripſit Franciſcus Brumanus Societatis Sacerdos. Nobilis ibi Matrona occultâ morbi vi in Phrenitidem lapſa, tantùm quod Franciſci veſtium centunculo tangi valuit, diſcuſſo repentè morbo ad priſtinam mentem non ſine admiratione rediit. Cumque ſimilis mentis impotentia Brumani ipſius Glorem toto jam anno exagitaſſet; idem attactus non ſtatim quidem, ſed ſanitati tamen paulatim perfectè reſtituit. Demùm ſe quoque Franciſci beneficiorum participem fuiſſe teſtatur idem Brumanus. Eum quippè ſævâ, ac remediis omnibus obluctatâ Epiphorâ, quam dexterâ in tibiâ pati cogebatur, unus earundem reliquiarum contactus immunem reddidit.

Ad impetrandam ſexenni Filiæ Luciæ Calò ab ipſo exortu mutæ liberam fandi copiam plurium jam Cœlitum imploraverant opem Dominicus Calò, & Clara Roſa Scardina conjuges Cryptaleis nati; nullum tamen operæ pretium adhùc ſe feciſſe dolebant. Cum Franciſci veſtium centunculo à Sorore fortè donata Puellæ Mater, tenuem ejus lanæ particulam in aquam immittit, dilutumque illud cum ingenti fiduciâ puellæ hauriendum bis præbet. Huic porrò ſalubris adeò altera ea potio fuit, ut vocalis jam reddita Patrem, Matremque puerili more appellarit:

Digitized by Google

larit : reservatumque Francisci precibus à Deo beneficium illud fuisse expeditus ei linguæ usus luculenter ostendit.

Par in illustri Fœminâ Magdalenâ Moccià Caroli Capycii Latro Viri Patricii Uxore ad trimestrem Infantem acerrimis, queis conflictabatur, doloribus liberandum eluxit fiducia. Nec lacte, nec sopore pressum angoribus Filium reficere huic integrum erat. Imò auctus adeò aliquandiù eum torsit dolor, ut puerilibus fasciis vi obnixus ex insolenti conatu, novum morbi genus, Herniam contraxerit. Orbam se jam Filio fore cum lugeret Mater, despectis cæteris artis præsidiis, Francisci vestium segmento exarmari contumacem eum morbum posse speravit. Nec sua frustrata eam spes est : eo quippè amuleto tumentibus partibus applicito, ad somnum, & lac doloris expers avidè rediit Infans ; quem vegetum, atque incolumem dein adolescere perrexisse coràm Antonio Lavagio Rossi Sacerdote, interpositâ jurisjurandi fide, asseruit Mater.

E' Massæ Lubrensis Collegio, ubi inter Tertiæ Probatio- 1718
nis Patres versari nostro more cœperat, redire Neapolim debuit Ignatius Maria Paradiso, quo enatum in sinistimo colli nervo tumorem, Avellanæ nuci mole, ac duritiâ similem, mitioribus diù remediis obluctatum ferro, vel igni tandem discuteret. Neutrum tamen experiri opus habuit, ubi ad petendam à Francisco opem Nostratium cujusdam suasu animum intendit. Ejus quippè reliquiis sævo tumori applicitis, dolorem illicò, tumorem verò paucis diebus ex toto evanuisse VII. Idus Aprilis anno Rep. Sal. MDCCXVIII. exaratis à se literis asseruit.

Francisci effigiem in telâ ut ad vivum exprimeret Nicolaus Moreno Imaginum Pictor, de ejus capillis, quos domi imitaretur, afferre secum aliquid voluit. Eos porrò in pios deinde usus cum diligenter servasset, tùm alii, atque alii morborum generi, tùm lethali potissimùm febri à Fratris, Fratriæque suæ corporibus fugandæ apprimè salubres fuisse testatus est. Matalunensi etiam fœminæ Rosæ Pergamenæ Salvatoris Grossi Sutoris Uxori pignore eodem celerrimè subvenire se valuisse idem addidit. Cum enim infelicis puerperii doloribus anno hujus sæculi XVIII. Neapolim non sine suo, ac sobolis periculo jam triduum ea vexaretur ; Francisci, quos secum habebat, capillos, prætergressus fortè eam domum, Uxoris vicem anxio vix ipse tradidit Viro ; cum eos laboranti applicitos partum eodem mo-

Digitized by Google

mento expediiſſe cum ingenti adſtantium admiratione ſuſpexit.

1719 Antonium de Aricià Tarentinum Cathedralis Monopolitanæ Ædis ſummum è Canonicorum Collegio Homologetam Auguſto menſe, anno Chriſtianæ Æræ MDCCXIX. lethalis morbus oppreſſerat. Quem nullis artis ſuppetiis cum frangi perſpiceret, eas ad fugandam mortem à Franciſco fuſis ad eum precibus cœlitùs mittendas fore ſperavit. Ejus igitur effigie coràm locari juſſa, intinctum ejus cruore telæ præſegmen corpori admovit; quo pii malagmatis genere fugatum citiſſimè morbum, ac mortem (inopinatum eventum demirantibus Medicis) Deo, ac Franciſco datis publicè literis gratulatus eſt.

Melpiniani in Japygiæ Oppido, cum tertianâ febri, cibi faſtidio, & ſanguinis fluxu, eodem fluente anno, trimeſtri jam ſpatio exanimis penè decumberet Nicolaus Antonius Orontius Audilia loci Curio, demandatam nuper typis à Carolo Stradiotti Franciſci vitam à familiarium ſuorum quodam, ad cujus manus jam venerat, cupidè accepit. Eam curſim, quatenùs per ægritudinem licuit, cum prælegiſſet, eximiam hominis virtutem, ac ſanctimoniam veneratus, libro pectori appreſſo, flagitare ab eo lacrimabundus cœpit, ut effuſam in tot alios paſſim beneficentiam in ſe quoque multiplici preſſum morbo derivare ne gravaretur. Gratum Franciſco id genus obſequii acciſſe viſum. Etenim ſecundùm has preces longa ægri inſomnia in placidam quietem repentè ceſſit; è qua ipſe evigilans diſcuſſos cum ſomno omnes morbos reperit. Beneficium porrò, ejuſque Auctorem, condito à ſe nocta inter morbi angores Rhytmo hic celebravit. Imò tanti poſtmodùm fecit, ut ejus Imaginem ſacri amuleti loco aſſiduè pectori affixam voluerit; ac ſicubi recurrentem deinde metueret febrim, ejus Reliquiarum attactu morbum æquè, ac morbi metum ſecurus depelleret.

Eodem anno Neapoli Bernardinus Siciliànus Sutor lævi lateris dolori jamdiù obnoxius, dexterum quoque acerbiſſimè confodi exeunte Januario dolens, adhibitis Franciſci capillis, meliùs ſtatim habuit. Recrudeſcente verò ſæviùs paulò poſt punctione, ad morbum omninò exarmandum nonniſi lipſanis iiſdem, atque iteratis ferventiùs precibus opus habuit.

Joſephus Nicolaus de Vitâ ob vehementem morbum pro exanimi à ſuis comploratus detractam è Confeſſionali Franciſci

Sub-

Digitized by Google

Subsellio scobem à Petro Antonio Pandullo Sacerdote traditam piè ebibit; eoque haustu & meliùs statim habuit, & paucis diebus revaluit. Testatus id publicè est Agnellus Coppola Sacerdos ægri Avunculus.

Extremis Bacchanalium feriis, cum Quadragesimalium Concionum causâ Sacerdotes simul iter agerent duo; in lubrico, & periculoso viæ tractu eversum fortè fortuna Cisium eos ità prostravit, ut Cisii affere unius brachio, alterius verò cervicibus imminente, miserrimum lethi genus, motis duntaxat equis, nullâ ratione declinassent. Tantum verò periculum ab utriusque capite vocatus avertit Franciscus. Immotos siquidem perstitisse equos Franciscí, cujus vestium præsegmen eorum alter gestabat, patrocinio adscribendum unicè esse prædicarunt.

Capreis Nicolaum Paganum Cathedralis Ædis Archidiaconum eâ contumaciâ febris invaserat, ut præsentibus antidotis eam exarmare aggressi Medicæ artis Periti operam se lusisse jam cernerent. Ab eâ proinde Febri Filio metuens Gratia Etera Mater, nec nisi Francisci precibus frangi eam posse arbitrata, illud in eam novi remedii genus excogitavit. Veteris ejus apud se hospitii memor strata ei olim lintea, ac lodicem, Sacri Pignoris loco domi jampridem cautè custodita, Filio supposuit, profusis interim haud segniter precibus, quibus depelli quantocyus ægritudinem postulavit. Dum verò pari fiduciâ in iis cubare non renuit Filius, copioso sudore perfundi totum corpus sensit. Exsudatum porrò morbum etiam eâ ratione fuisse evanescens aliquot post horas febris ostendit: cujus se immunem ut vidit æger, stratum postridiè pertæsus admirandum receptæ valetudinis genus obstupefactis prodigio Medicis exhibuit.

Lineo, quem servaverat, Franciscí pileolo præsentem ægris duobus opem mirè attulit Joseph Casella è Sancti Basilii 1721
Magni Familiâ Monachus. Primò enim anno hujus seculi XXI. Augusto mense Dominico à Sancto Martino Pictori, quem ob insanabilem Phtisim indubiè moriturum prædixerant Medici, vix illud capitis tegillum admovit, cum purulentâ excreatione statim intermissâ, redditas ægro eodem die vires demirati artis Professores, altioris Medicinæ præsidio adscribendum ingens illud opus esse censuere. Medicinæ prætereà Professori Dominico Cappellano, quem secuto proximè anno Februario mense Nuceriæ Paganorum in imo ventre adjunctum acutæ febri Erysipe-

ſipelas exercitum habuit, amuletum idem rogatus ut primùm adhibuit idem Caſella, copioſo ſudore ex ægri corpore ſtatim elicito, Eryſipelas ſimul, ac Febris in totum evanuit.

Diro viſcerum dolore exagitato Cryptaleis Joanni Leonardo Trani extractam è Confeſſionali Franciſci Subſellio aſſulam Neapoli allatam tradidit Franciſcus Panzera. Hac ut ſe æger cum precibus tetigit, lenito repentè dolore, ad artis ſuæ opificium incolumis rediit.

Ibidem Catharinæ Giuri præcluſæ ex ingenti Rheumate fauces non cibo ſolùm, verùm & aquâ guttatim infuſâ interdixerant. E Franciſci verò pallio filum bibere aggreſſa veſci manè liberè potuit, nec ità poſt multò è gravi illâ Epiphorâ revaluit.

1722 Tropea in Ulteriori Calabriâ Urbs eſt Epiſcopali Sede inſignis. Ibi in noſtro Collegio Alexandrum Gallappum Societatis Sacerdotem jam inde à xv. Kalend. Decembr. anni Rep. Sal. MDCCXXII. uſque ad xv. Kal. Jun. ſecuti proximè anni immobilem jacere coegerat invaleſcens in dies ex Epilepſiâ membrorum omnium debilitas, cui frequens convulſio adjuncta, aurium tinnitus, & capitis tremor ad morbi auctarium acceſſerat. Lentæ igitur, pertinacique ægritudini expugnandæ impares cum cerneret Medicos, parem ſaltem fore quodam die ſperavit Franciſcum. Lineum proinde ejus pileolum, quem quidam è Noſtris ſacri pignoris loco ſecum habebat, afferri ſibi, ſuoque capiti aptari cupidè voluit. Pii deinde remedii efficaciam exploraturus miſſas ad ſe literas manu reſignare principio conatus eſt: quod dum facilè à ſe fieri experitur, ſeſſitare in lectulo eâdem facilitate aggreſſus eſt. Pedum etiam periculum Rectoris hortatu facere voluit: atque ubi ſe in Collegii ambulacro ſpatiari ſine moleſtiâ potuiſſe animadvertit, tùm enimverò ſuæ gratulatus fiduciæ Franciſci beneficio perfectè ſe jam valuiſſe coràm Antonio Fazali Tropeano Sacerdote, & Nicolao Miano *Barbalaconis* Pagi Curione prodigio præſentibus exclamavit. Ne unquàm igitur animo Liberatoris ſui memoria excideret, ejus ſibi effigiem in telâ depingendam curavit. Fugatæ porrò ex toto ægritudinis argumentum inter alia illud exhibuit, quòd biméſtri ſpatio à receptis viribus nondum tranſacto Panegyricam de Sancta Dominica Tropeæ Patronâ orationem ſatis firmâ voce, ac lateribus recitarit.

Fœ-

Digitized by Google

Fœminam etiam septuagesimum agentem annum Neapoli Spiritui Sancto dicati Gynecæi famulitio addictam linteum è Francisci indusio resegmen vix attigit; cum sanguinem, quem ingenti copiâ quatriduum ex ore ejectaverat, è vestigio inhibitum nullam sibi postmodùm molestiam creasse gavisa est.

Neapoli Andream Conforto vehemens laterum adortus dolor ad miseros ejulatus dirè cruciatum adegerat. Eum ut leniret, satis celebre Neapoli oleum, cui à Cruce nomen, ei obtulit Uxor: quo tamen inungi doloris juxtà, ac remedii impatiens æger constantissimè renuit. Ab oblatis tamen Francisci lipsanis minùs abhorrens, ea ægro lateri apprimi spem inter, ac metum cupiit. Atque imperari solitis à Francisco precibus vix recitatis, evanuisse illicò dolorem omnem expertus est: pauciscque post horis calculos tres absque ullo doloris sensu se ejeciisse demiratus, acceptum à Francisco beneficium datis publicè literis testatus est. 1723

Alio in Oppido, cui *Fractæ Minoris* inditum nomen, similis telæ attactu Apoplecticam siderationem, lethalisque morbi vestigium omne Mulier quædam abactum repentè sensit. Eodemque ibi amuleto usa Anna Crispina sævum viscerum dolorem, cui obluctata remediis biennium nequicquam fuerat, demitigatum è vestigio sensit. Hujus verò Vir Dominicus Paroliſe anno Repar. Sal. MDCCXXIII. Junio mense rabidi canis morsu in crure sauciatus, nec ullis artis præsidiis curatus, in usurpato Francisci vestimento commodum obducendo vulneri splenium est nactus.

De Nepote suo Olivetanæ Familiæ Monachio Bononiâ hæc VII. Idus Octobris anno à Virg. Part. MDCCXXIII. ad Aloysium de Anna Societatis Sacerdotem scripsit Petrus Philippus Mazzarosa egregius in Italia nostri Ordinis Concionator. Insanabili Hydrope eum laborare censuerant jam Medici. De Francisci indusio præsegmen, quod penes me erat, ad eum transmisi, simulque tùm ad tanti Viri vitam legendam, tùm ad opem implorandam eum, ut par erat, excitavi. Recentes, quas accepi, literæ Hydropem penitùs evanuisse, ægrumquæ pristinæ sanitati redditum nunciant. Ad Dei, & Francisci Gloriam divulgari hæc Neapoli maximè cupio.

Michaelem Angelum Castellanum Neapolitanum Jurisconsultum anno à Virginis Partu MDCCXXIV. VI. Kal. Februar. 1724

Coli-

Digitized by Google

Colicus dolor, Nephritis, totiuſque corporis tremor quinque dierum ſpatio inedia, atque inſomnia penè confecerant. Admoto verò Franciſci pileolo morborum omnium expers poſt horæ dimidium egit. Salutaris hinc ſibi remedii virtutem edoctus, vix veterum morborum aliquo tentari ſe ſuſpicatus deinde eſt; cum earundem reliquiarum vi eos evaneſcere non uno condidicit experimento.

Antonii Silvati Forenſis Tabellionis Uxor enatum ad mammas tumorem applicitis Franciſci veſtibus fugavit: iterùmque erumpere conantem nonniſi iterato attactu penitùs diſcuſſum ſenſit. Nec aliter Eliſabeth Rocca in ipſo adoleſcentiæ flore utroque brachio debilitata eâ ſeſe calamitate quàm citiſſimè expediit.

Antonii Arivello dexteram aurem ingens adeò vexabat dolor, ut nec ſomno noctu, nec ſuis interdiù rebus vacare jam poſſet. De laneis Franciſci veſtibus præſegmen goſſipii loco affectæ auri adhibuit: ruptoque ibi Apoſtemate, cum non exiguâ puris copiâ dolorem, totiuſque morbi materiem abegit.

Criſpani (haud multis paſſuum millibus Neapoli hoc Oppidum abeſt) telâ Franciſci ſanguine perlitâ Dominicus de Blanco ejus loci Lanius è brachio extemplò Eryſipelas, ac febrim: Joannes verò Baptiſta Servillus ſævum, nec ullis victum remediis, laterum dolorem ſtatim diſcuſſit.

1726 Neapoli XIII. Kalendas Majas labentis ſeculi anno XXVI. Sancto Paraſceves die, Dominica Ruſſo è geminis, quos edidit, fœtibus alterum, ſimulque depulſum à ſe infelicis puerperii periculum acceptum Franciſco retulit. Etenim poſt fœminam priori niſu ſatis feliciter editam, tranſverſus in utero fœtus alter exitum ità ſibi ipſe præcluſerat, ut poſt horæ dimidium ejus extrahendi depoſitâ ſpe Obſtetrix imminentis exitii ſobolem cum Matre damnarit. Quid in deploratâ re ad atrox adeò periculum avertendum extremùm tentaret, non diù hæſit Puerpera. Tabellam evocandæ quot menſibus ad Sacram Synaxim vicinæ maturioris ævi Fœminis dari à Franciſco ſolitam penès ſe eſſe meminit. Eam proinde arreptam cum precibus utero admovit: eodemque temporis puncto & verti in directum prolem ſenſit, & periculi expers marem enixam ſe jam eſſe gratulata eſt. Franciſci porrò beneficio adſcribendum id eſſe ex eo etiam poſtmodùm conjecit, quòd editam nullo labore puellam paucis poſt menſi-

Digitized by Google

mensibus amiserit; contrà verò ereptum infaustæ partionis periculo marem, cui Michael nomen, superstitem cum viderit, vivacem ejusdem ope fore confidit.

Ferrariensis Collegii Procuratori Joanni Jacobo Bererio Societatis Sacerdoti Franciſci Reliquiis potiri contigerat. In fui verò Collegii Prædiis anno hujus seculi XXVIII. fortè dum ageret, inditam eis virtutem in Antonio Forlano supremis procurato jam Sacris expertus mirificè est. Submissas enim eas collo ut primùm alligavit æger, & reddita membris quies, & qui caput potissimùm insederat, morbus desedit. Ne verò de receptæ valetudinis auctore ambigere in posterum cuiquam liceret; depositæ huic cum indusio Reliquiæ cum morbum instaurassent, eædem resumptæ & optatum statim levamen, & paucis diebus incolumitatem ex toto reddidere. Id porrò Forlano in villâ Rhaudum, vulgò *Rhò* dictâ eveniſſe Elisabethæ Panigalliæ Stephani Nalliati Uxori ad villam aliam, cui *Fossa Arboris* nomen, lætus vix attulit rumor; cum ex lethali decumbens Pleuritide, eorundem pignorum desiderio, qui eas à Bererio quàm citissimè peteret, certum hominem misit. Impetratas verò ut ad se afferri ab ejus villæ Rectore Michaele Marcello conspicata est, adventasse ad se certissimum vitæ suæ Alexipharmacum fiduciæ non minùs, quàm lacrimarum plena exclamavit. Nec sua eam spes fefellit: iis quippè Reliquiis sub sexti accessus finem contacta duabus post horis febrim cum vehementi sudore ità penè omnem discussit, ut septimo morbi die melius adeò illi esse, *Naturæ portentum* sibi videri ad eam insequenti luce regressi, admotarumque ægræ Reliquiarum inscii candidè pronunciarint tùm Carolus Antonius Bologneſe Chirurgus, tùm eximius Ferrariæ Medicus Hyacinthus Agnella. Restabat, ut exsudatâ febri relictus adhùc lateris dolor, spirandique difficultas ægram desereret. Sed admotis denuò iisdem Reliquiis, hujus quoque beneficii compotem eam statim fuisse ad prodigii coronidem agnitum est. 1728

Congeminato tertianæ febris labore Amantiæ in Citeriori Calabriâ anno seculi labentis XXX. urgeri iàm coeperat Societatis Sacerdos Casimirus Caballus, ut alterius earum nunquam intermisso æstu ad delirium, imò ad mentis stuporem adactus adstantes toto biduo intueri, aut audire nequiret. Anceps proinde de ejus vitâ judicium cum fieret, ad opitulandum ei 1730

eum Franciſci Reliquiis quidam è Noſtris veſpere acceſſit. Nec fruſtrà; iis quippè attactus è gravi lethargo veluti excuſſus ad ſe ſtatim redit Æger, oculorum, aurium, ac mentis uſu confeſtim recuperato. Ejus deinde noctis ſpatio placidè extracto, quos inſequenti duntaxat biduo ſubiit, febrium acceſſus demitigatos, ac breves adeò ſenſit, ut extrema proſtrati morbi molimina potiùs, quàm reſtauratos impetus fuiſſe reputarit.

1731 Ejuſdem ſeculi anno XXXI. Julio menſe ob fortuitam prolapſionem cum neglecta ſanguinis miſſio ſexagenariæ propè fœminæ Urſulæ Califanæ Aloyſii à Sancto Paulo olim Uxori & acerrimum dexteri lateris dolorem creaſſet, & Iſchiadici prærereà morbi periculum Medici judicio intenderet; quæritandis, ut fit, Medicæ Artis ſubſidiis inſudatum nequicquam jam fuerat. Non intermiſſo quippè doloris ſenſu, nec moliri ſeſe, nec ſibi aliquid in lectulo ſumere niſi ſupina jam poterat. Ad implorandam propterea è Cœlo opem converſa, tùm filii, tùm Cœlibis cujuſdam, quicum vivebat, fœminæ ſuaſu XV. Kal. Sept. ad Franciſcum potiſſimùm confugit: ejuſque confeſſionalis Subſellii particulâ affecto lateri cum plenis fiduciæ preciſius admotâ mitеſcere primùm, atque interrumpi doloris ſenſum experta adeò eſt, ut perendie, poſt noctem nullo ſomni remedio pacatè tradu&tam, morbi totius, ac doloris jam expers, Franciſci patrocinio perfectè ſeſe revaluiſſe venienti manè Medico ſignificarit. Nullaſque à depulſâ ægritudine moleſtias menſem, eòque ampliùs perpeſſa, eodem anno Kal. Octobr. profectum in ſe à Franciſci reliquiis beneficium teſtata de ſcripto eſt.

CAPUT VIII.

Quadratus Franciſci Pileus multiplici prodigio inclareſcit: idemque in uſurpatis ab eo Conſpiciliis apparet.

NUlla Franciſci re corradendarum ejus Reliquiarum avidiras vivo ipſo potiri ſupiùs, aut faciliùs potuit, quàm Sacer dotali ejus Pileo, cujus nempè ſurtum conſimilis alius diſſimu-

Digitized by Google

mulatâ fraude ſuffectus nullo penè negotio tegere ſagacibus etiam ejus oculis valuit. Hinc ut multis feliciter pius ceſſit dolus, ità & à multis feliciter dubiis in rebus adhibitus prodigiorum adeò ferax apparuit, ut neminem deinde ità clepſiſſe pudicum, aut pertæſum ſit unquàm. Ex hujuſmodi Pileis unum multo Franciſci ſudore perfuſum triennio antè ejus mortem ſibi obveniſſe teſtatus publicè eſt Dominicus Antonius Tagliacotius, quem Phrygio opere elaboratâ ſervatum thecâ, exhalato non minùs odore, quàm præſtitâ ſibi, & aliis ope mirabilem expertus ipſe cum aliis non ſemel fuerit. Et odorem quidem inſitum, non adſcititium eſſe conſtare ex eo retulit, quòd aliundè eum attrahi nec deſtinatus thecæ inolens locus, nec ſolito longè ſuavior odoris ipſius ratio ſuaderet. Opem verò tùm aliàs non obſcuram, tùm evidentem potiſſimùm in ſummo Nepotis ſui periculo patuiſſe juratus aſſeruit.

Anno igitur Chriſtianæ Æræ MDCCXVIII. XII. Kal. Decembres caſu neſcio quo, è feneſtrâ quadraginta duos circiter palmos editâ præceps in Domus Cavædium ruit ſeſquiennis Infans Januarius nomine, Joannis Baptiſtæ Sartoris, & Carminæ Tagliacotiæ Conjugum Filius. Expiranti ſimilem excepere confeſtim domeſtici: cumque ingentem ſanguinis copiam ex ore ejectantem perſpicerent, vix paucis horæ momentis ſuperfore eum poſſe pronunciarunt: nec aliud ſtatim acciti ſenſere Medici. Deplorato igitur Pronepoti ſuo opem ut ferret aliquam Dominicus Antonius maternus Proavus, invocati priùs Franciſci Pileum Infantis extremos jam ducentis anhelitus capiti admovit. Mirumque dictu! Inhiberi ſtatim fluens cruor, ſedire animus, perfectèque adeò revaleſcere Infans cœpit, ut paulò poſt meridiem collapſus, ad conſuetos ætatulæ luſus jam ſoſpes eâdem luce rediret. Incredibilis proinde rei admiratione peculſi Nicolaus Barile Medicus, & Dominicus Cavaſinus Chirurgus, explorato diligentiùs Infantis corpuſculo, nihil in eo fractum, aut luxatum, contuſum cum obſervarent nihil, Pilei ſui amuleto ſervatum à Franciſco Infantem fuiſſe teſtati ſunt.

Simili infortunio ſimili prorsùs remedio Melfícti in Apuliâ obviam itum. E' paternæ domus Mœniano à terrâ palmos quinque, & viginti edito Sextili menſe, anno à Virg. Part. MDCCXXI. incautè dum luderet quadrimus Puer Joannes Uva, lapſu

Digitized by Google

lapſu adeò præcipiti corruit, ut facie in ſubjectam ſilicem impactâ, conclamatum ejus vitæ jam crederet Paſcha Roſa Carabelleſia ejus Mater. Incredibilem verò Genitricis dolorem, ac gemitus miſerata Nobilis Fœmina Chriſtina Chyurlia Joſephi Gadaleta Uxor decuſſatum Franciſci Pileum extemplò ad eam miſit; contuſo Pueri capiti ſubſidio utique futurum. Ejus verò attactu, è ſolo confeſtim illæſus adeò ſurrexit Puer, ut verſo in gaudium metu ridentem ad ſe Filium impigrè reverti, lapſuſque omninò immemorem Franciſci beneficio ſtatim agere non Matri ſolùm, ſed toti etiam viciniæ ingentis prodigii loco fuerit.

Baruli item vicinâ in Urbe Anno Repar. Sal. MDCCXVI. Lucæ de Levano Sacerdotis tibias acer adeò ſpontè apertorum ulcerum urgebat dolor, ut totius penè anni ſpatio, fomentis nequicquam adhibitis, inſomnis diu, noctuque agere præ nimio ardore cogeretur. Deceſſiſſe igitur Neapoli eo anno Franciſcum, magniſque ejus nomen prodigiis longè, latèque inclareſcere ſimul inaudiit; ſe quoque tot aliis ejus ope perſanatis accenſeri poſſe ſperavit. Traditum proinde ſibi à Natali Candido Sacerdote quadratum ejus Pileum ulceribus piè applicuit. Quo facto in negatum jamdiù oculis ſoporem repentè lapſus, poſt duodecim continenter horas dulciſſimæ quieti datas expergefactus nullo tentari dolore tibias expertus eſt. Faſcias porrò, ac ſplenia ubi paulò poſt de more ſolutum acceſſit Medicus; *Quid hoc?* attonitus exclamavit: *Divinæ, non humanæ opis ſanitatem hodiè intueor*. Ità, Antiſtite Tranenſi Eccleſiæ nondum ſuffecto, apud Tiberium Carcani Archidiaconum, & Canonicorum Collegii Vicarium publicè teſtatus præter Levanum fuit Thomas Azzariti Medicæ Artis Profeſſor.

Eâdem in Urbe biennem Franciſci Sconegna, & Angelæ Speræ Conjugum Filiam Roſam nomine aſperum adeò Ophthalmiæ genus invaſerat, ut interdiù, noctùque lacrimis Puella dolorem prodere cogeretur ſuum. Cumque diuturnam, ac dubiam ejus curationem fore candidè pronunciaſſet Joſeph Fatigatus Chirurgus; collyriorum omnium loco, decuſſato Franciſci pileo conſuli ei longè meliùs poſſe cenſuerunt Parentes. Ab eodem igitur Natali Candido commodatum Puellæ vix capiti aptarunt; cum dulci eam ſomno corripi, ſolidiſque horis viginti quatuor blandè quieſcere demirati, exploratis

po-

Digitized by Google

postero die evigilantis oculis, Ophthalmiam prorsùs omnem evanuisse, mirante potissimùm Chirurgo, deprehendere. Præproperâ quippè curatione lentum per se morbi genus penitùs discuti naturæ, atque artis viribus altius quid esse publico dein ipse testimonio asseruit. Ne verò ad idem curationis genus mutatis tantùm nominibus regredi in decursu cogar; Antoniæ Ascanii Ramosini, Lauræque Persicæ Conjugum Filiæ oculis, non quidem Francisci pileo, sed vestis centunculo idem factum. Hos enim cum affluens sanguinis copia quadrimestri spatio ità occupasset, ut lucis penè usuram omnem adimeret; cumque mutata per vices collyria obesse ei potiùs, quàm prodesse longo constaret experimento; ad ejus vestis contactum habere statim melius ità occœpit Puella, ut sanos, ac vegetos oculos non ità post multo felicissimè receperit.

Simili item Francisci pignore potitus fortè Ignatius Maria Misud Melitensis nostræ Societatis Sacerdos, Beneventi publicum Tabellionem Bartholomæum Leone lethali repentè febri levatum vidit. Ad hunc ipse tùm ob acutos corporis totius, tùm ob acerrimos potissimùm capitis dolores pro deposito à Medicis habitum accitus, bono eum animo esse jussit, modò Francisci patrocinio, ac fidei sese committeret. Quadrato dein hujus pileo decumbentis pectori piè adhibito, copiosum indè sudorem diffluere præter omnem expectationem aspexit. Majori hinc porrò fiduciâ inflammatus æger, affecto etiam capiti idem ut fieret enixè precatus, quò felicior is sibi attactus obtingeret, genua in lectulo supplex posuit. Par igitur ex tacto capite, quacunque pileus duceretur, secutus ubertim sudor illud effecit, ut è longâ insomniâ in blandum soporem resolutus æger, febri, cæterisque adjunctis morbo molestis immunem se evigilans expertus fuerit. Receptæ proinde valetudinis memor traditum sibi è Francisci caligis præsegmen apud se habere, & pro collatis in eum Cœlestibus donis Dominicâ prece, atque Angelicâ salutatione Augustam quotidie Triadem venerari constituit. Demùm ut accepti à se beneficii memoriam posteritati transmitteret, totius admirabilis facti seriem à se enarratam Joannis Palumbi Campobassani Libellionis Chirographo obsignatam authenticas in tabulas referri jussit.

Nec minus illustre, quod ibidem nostro in Collegio eodem Francisci pignore præstitum festâ Apostolorum Principis

luce

luce, in Ascetriacum Æde eidem Apostolo sacrâ suo primus ore vulgavit Beneventanus tunc Archiepiscopus Fr. Vincentius Cardinalis Ursinus, ad Romanam deinde Cathedram Benedicti XIII. nomine assumpto feliciter evectus. Isidorus de Amato domesticis Beneventani Collegii muniis *Oblati* nomine addictus, Enterocelæ morbo cæteroqui jamdiù obnoxius, intumuisse adeò scrotum rupto peritonèo quodam die sensit, ut partibus pertinaciter inflammatis, nec fomento ulli cedentibus proximè ab interitu Medicorum judicio abesset. Hinc vitæ noxis omnibus apud Dominicum Antonium Muscatum ejus Collegii Sacerdotem depositis, nil nisi supremam horam opperiebatur. Cum beneficum jam tot aliis Sacerdotalem Franciscì Pileum salutarem & huic fortassè fore secum reputans Homologeta, pleno fiduciæ spiritu eum ab ægro ipso affectæ parti adhibendum obtulit. In preces tùm, ac vota ex animo effusus Isidorus; *Adesdum*, inquit, *inclyte Societatis Parens, Ignati: ades & tu recepte Cœlo nuper, Franciscæ, ac dolori meo medicinam conjunctâ operâ facere ne gravemini. Equidem hoc mortis genus deprecor famulus Societatis, opinor, non malus. Oppressis terræmotus ruinâ Patribus præstò olim fui: reddite nunc quæso vicem, Ignati, tuque non degener ejus proles, Franciscæ.* Adhibito dein læsis partibus vix pileo: *Valuere preces*, exclamat; *suo jam reddita loco experior intestina: favit meis lacrimis Franciscus.* Nec falsum hominem receptæ sanitatis opinio habuit: è strato siquidem repentè prosilieps ad parandas sibi dapes perrexit: posteroque die incolumis ad agendas Numini grates non sine ingenti Medici, conscioruмque omnium admiratione progressus est. A Carolo Mauronio Cathedralis Ædis Canonico explorari diligentius rem totam eodem, quo accidit, die Archiepiscopus jussit: quam idoneis probatam testibus, atque in authenticas relatam tabulas ad perenne prodigii monumentum Beneventanum Tabularium servat.

Adolescentis professione Aurificis fauces arctè adeò Angina obstruxerat, ut nonnisi guttatim infuso, qui è Divi Nicolai Myrensis ossibus manat, liquori glutiendo par esset. Eundem verò vix Pileum ægro gutturi appressit, cum puris ingenti copiâ ex ore ejectâ morbum discussit. Sorori etiam fuæ omnium judicio Energumenæ pileum eundem ut Frater Sacerdos adhibuit, à malorum Dæmonum vexationibus liberam eam egisse gratulatus est.

Cry-

Digitized by Google

Cryptaleis Idibus Junii anno hujus ſeculi XXII. in Annam Luciam Falamingo quintum ætatis jam luſtrum egreſſam ferocire adeò Epilepticus manè occœpit ſtupor, ut conclamatum ejus vitæ jam inde ab initio nemo non ominaretur: præſertim cum decem horarum ſpatio bis, ac tricies renovati in ejus perniciem affultus certiſſima paterent indicia, cunctiſque artis præſidiis majorem ſeſe affatim proderet morbus. Futurum tamen eâ lue valentiorem non ſruſtrà ſperavit Franciſcum, qui ægræ tunc Nepti aderat Avunculus Joannes Baptiſta Sportellus Cryptaleenſis Sacerdos. In preces proinde ſimul cum præſentibus fervidè effuſus, ubi decuſſatum ejus Pileum ægræ cervicibus admovit, deſediſſe confeſtim morbi vim ipſe cum Hieronymo Baccàro, aliiſque, qui domi tunc aderant, deprehendit. Ab eoque attactu reſtitutam ſenſim è morbi reliquiis Neptem nullas ab Epilepſiâ moleſtias deín ſubiiſſe quinto poſt menſe teſtatus publicè eſt.

Simile capitis tegimen inter litandum olim Franciſco ſubjectum penès Dominicum Antonium Muſcatum Sulmonenſis noſtri Collegii Rectorem ſervari vix anno hujus ſeculi XXVI. ejus Urbis Civium quibuſdam innotuit; cum ſalubertimam ejus vim experiri duobus potiſſimùm ægris feliciter obtigit. Unigena Adoleſcens Franciſcus Maria Araneus horum alter fuit, cui à Medicis depoſito, atque animam agenti cum præſtò jam adeſſet Sacerdos ad ſupremum luctam eum ritè confirmaturus, quadratum illum Pileum extremi remedii loco, Patre nequicquàm refragante, admotum Filio voluit freta Franciſci patrocinio Mater Joanna Spada. Nec ſua eam decepit fiducia: ab illo enim attactu mortem, ac morbum paucis diebus fugatum ſenſit Adoleſcens, qui in noſtri Collegii Ædem incolumis dum parentibus ad agendas Deo gratias progreſſus, argenteum anathema attulit, recuperatæ à ſe Franciſci ope valetudinis argumentum perpetuò futurum. Exequias, ac funeris pompam ibidem alteri pueritiam haud egreſſo, cui Joſepho nomen, filii vitæ exſpes jam parabat Pater Joannes Baptiſta Comparetti domo Mediolanenſis. Deſperatis tamen in rebus idem pignus ſalubertimum Pueri vitæ nactus, exorato Franciſci meritis Deo grati animi ergo litari ad Aras pluries juſſit.

Uſurpatis item à Franciſco jam ſene Conſpiciliis miram ad depellendos morbos inditam vim eſſe non ſemel innotuit. An-

no

no labentis seculi XXI. Septembri mense, quà ob nuperam dilectæ Uxoris jacturam, quà ob mutati intempestivè Cœli intemperiem, lethalem contraxerat febrim Matthæus è Naccarellâ Mirabellæ Marchionum familiâ ortus, Patricius Salernitanus. Ejus proinde vitæ metuendum esse cum ingravescens in dies satis per se proderet morbus; vehementissimo febris accessu quodam die laboranti, alligatis fronti ocularibus, quæ fortè apud se habuit, Francisci specillis extinctæ Uxoris soror opportunè consuluit. Post ejus quippè opem cum fiduciâ imploratam delapsus in soporem æger, evoluto vix horæ spatio evigilans cum copioso corporis totius sudore morbi virus omne exsudatum à se jam esse paucis post diebus incolumis sensit. Jam efficacis hujusce remedii memoria Matthæi animo adeò insedit, ut octavo post anno in lentam febrim, lassitudini, cibi fastidio, insomniæ, capitisque labori adjunctam, relapsus; cum latere anguem in herbâ mussitarent Medici, atque ad artis præsidia maturatò confugiendum esse propterea decernerent; eorum ipse consiliis posthabitis, una Francisci conspicilia denuò sibi admoveri fervidè voluit. Statimque abeunte in sævam Epiphoram occultâ morbi vi, neglectæ Medicorum curæ triduo jam sospitem haud quaquam pœnituit.

Sub idem fermè tempus, Christiano nimirùm anno MDCCXXVIII. Februario mense Barbaram de Urso Antonii Gavoropoli Uxorem à partu recentem purgationum suppressio, & ex eâ ortus viscerum dolor, ac febris in evidens lethi periculum adduxerat. Francisci tamen hæc cum suis memor ex osseo ejusdem Conspicilii circulo deciduam scobem cum scatente è Sancti Nicolai Myrensis ossibus liquore, geminatâ in utrumque fiduciâ hausit: ingentique sudoris copiâ repentè diffluens, opportunisque profluviis, ut optarat, levata, morbi laborem ac periculum incolumis evasit.

CA-

Digitized by Google

CAPUT IX.

Videndum se ab obitu in plurimorum commodum præbet Franciscus.

NEc verò per sua duntaxat hominum ærumnis præclarè adeò subvènit Franciscus: per se etiam, quod longè admirabilius est, ad hæc in plurimorum solamen, & commodum interdum præstanda è Cœlo eum accessisse rerum ipsi eventus fidem nec semel fecere.

Ac cæteris in hac re minoris notæ, ac fidei prætermissis; omnium prima, quod sciam, quæ ipso, quo Franciscus obiit anno, salubri ejus præsentiâ è lethi penè faucibus se ereptam testata est, ea Angela Rispoli fuit. Hanc in Gynecæo Deiparæ ab Angelo salutatæ sacro, quod in Massæ Lubrensis Promontorio est, Prid. Non. Februar., Francisco adhuc vivente, Apoplectica sideratio de repentè corripuerat, altèque adeò sensus consopiverat omnes, ut jamjàm morituram supremo tantùm oleo inungere integrum foret. Quanquam verò recuperato linguæ, ac sensuum usu ad sese jam rediisset; lævam tamen corporis partem torpere miserè adeò doluit, ut nec se in latus vertere, nec moliri quicquam, nisi aliarum Virginum ope adjuta jam posset. Haud quicquam interim consuetis Medicinæ subsidiis actum: iis quippè adhibitis, nedum remittere, sed augescere potiùs morbus ægræ ipsi videbatur. Decessisse inter hæc Neapoli Franciscum sibi, ac Gynecæo toti apprimè notum, imploratamque ejus opem ægrorum plurimis saluberrimam accidisse inaudiit. Commodam eam proinde & sibi fore confisa, missas ad se Neapoli hominis reliquias, minusculum videlicet vestis segmentum, & flagri, quo se ceciderat, frustulum torpido lateri cum precibus admovere minimè distulit. Verùm, obluctante veluti ægræ votis Francisco, pejus adeò illi esse ex eo amuleto cœpit, ut præter noctem inter summos dolores extractam, improvisò dexteri etiam lateris dolore ad calamitatis auctarium brevi post tempore oppressam se senserit. Non valetudinis igitur, sed tolerantiæ deprecatorem posthac adhibendum sibi

Digitized by Google

Franciſcum eſſe interpretata, ſuppoſitas ad eam diem cervicali ejus reliquias Mariæ Felici Riſpoli ſorori ſuæ ſervandas tradiderat. Sed tamen Sancti Cyri aquâ Franciſci olim manu ſacratâ deſiſſe repentè dexteri lateris dolorem experta, ſiniſtimi quoque torporem ejuſdem virtute abigi poſſe ſperavit. Quocircà ejus reliquiis adduci ad ſe iterum juſſis, eatenùs ſaltem reddi ſibi vires poposcit, ut conſueta Gynecæi munia obire, atque ad Pœnitentiæ potiſſimùm, ſacræque Synaxeos Myſteria liberè accedere integrum eſſet. Ità porrò in preces effuſæ oculis cum ſomnus obreperet, VIII. Kal. Quintil. oblatus ei per quietem eſt ad ſiniſtram lectuli ſpondam orantis ſpecie Franciſcus: qui affectum latus ter manu attrectans ingenti ejus animum lætitiâ ſimul, ac religione perfudit, atque ex oculis abiit. Inani ſibi imagine illuſiſſe ſomnium evigilans hæc principiò credidit. Verùm cum excuſſum à ſe tum capitis languorem, tum artuum debilitatem animadverteret; cumque impelli ſe ad ſurgendum occultâ veluti voce aliunde ſentiret; exploratis trepidè viribus, firmos ad ambulationem poplites, vividas ad motum manus jam eſſe conſpicata, in Odæum è veſtigio pergere, ac cæteris Gynecæi Virginibus præſenti Franciſci ope ſeſe perſanatam oſtendere non dubitavit. Eam porrò paulò antè immobilem hæc ex inſperato agere quàm evidens, tàm incredibile ſpectantibus viſum. At versâ mox in lætitiam admiratione, miraculum feſtivo Campani æris ſonitu, Hymniſque Deo decantatis in Gynecæo celebratum Franciſci nomine, ac famâ Promontorium illud, ac finitimas oras complèvit.

Sed longè majori ſtrepitu per omnem Italiam, ac Germaniam perſonuit hoc aliud, quod eodem anno publicis in Tabulis ità ſcriptum reperio. Joannes Ambroſelli, profeſſione Medicus, Franciſci Sodalitio operam diù Neapoli locaverat ſuam. Cumque id muneris pertæſus eo ſe abdicandi veniam à Franciſco petiiſſet, non ſatis bellè id ſibi conſilii ſucceſſurum ab eo audiit, ut ſuo poſtmodùm malo animadvertit. Etenim in Patriam profectus (Caſtri Novi nomen huic eſt, & Carafææ Familiæ Dynaſtis Trajecti ad Lirim Ducibus paret) XIX. Kal. Septemb., cum ab inviſi ægri cujuſdam domo ſub Solis occaſum diſcederet, explosò in ſe ſclopo; majori plumbeâ glande dexterum brachium, duabus verò minoribus manum ferre ſauciam doluit. Brachii ſectione conclamatæ ejus vitæ conſuli dunta-

xat

xat poſſe, triduo vix elapſo, è febris acceſsu, atque à vulnerum livore imminentem Gangrænam veriti cenſuere communi judicio Medici. Hanc verò æger ſævitiem letho ipſo atrociorem ratus, Sacro munitus Viatico mortem opperiri, quàm intolerabile doloris genus experiri maluit. Ità animo comparatum x. Kal. ejuſdem menſis (ſeptimus à febris acceſsu dies hic fuit) Sole à meridie in veſperum flexo lenis oppreſſit ſopor: cum in eo ſomni, ac vigiliæ confinio videre ſibi, atque ità loquentem audire viſus eſt Franciſcum; *Bono animo ſis, Joannes: mortis equidem metu liberum te eſſe jubeo.* Dein veſtis laciniâ ſauciis brachii partibus admotâ, hæc inter abeundum diſertiùs eum loqui audiit; *En ego ad Turcas illuſtrandos pergo, & evellam lapides à fundamentis: At eâdem hac æſtate inde hùc regrediar. Tu Dominicam precem, Angelicum Ave, Sanctæque Trinitati Gloriam ſolennibus Eccleſiæ verbis quotidie recita. At videſis, ne in hac re deſes unquam, aut óblivioſus ſies.* Hæc ſanè dicta, quæ ægri ſomnia, meraſque nugas rerum eo tempore in Europâ geſtarum ignarus quis facile reputaverit, tanquàm inſignis Victoria prænuncia, quam de Turcis per eos dies Cæſareus Exercitus retulit, rerum in inferiori Pannoniâ geſtarum ſeriem penitiùs edocti celebrarunt Germani. Obſeſsum à noſtris Eugenio à Sabaudiâ Duce Taurunum tunc erat. Ac de difficillimæ expugnationis exitu, ut fit, aliter aliis ex ingenio judicantibus, Miſſilis Olla in Urbem diploſa in nitrati pulveris receptaculum fortè collapſa, altam quam vocant Urbem, dirutâ funditùs turri ità concuſſit, ut tùm eâ ruinâ, tùm fractis ab Eugenio, quas Byzantium ſubmiſerat, copiis exterriti propugnatores, præproperam deditionem certo exitio præferendam rati, memorati ſuperiùs Oraculi fidem impleverint (1). Cæterùm

(1) In Auſtriæ Provinciæ Annuis M. S. hæc habentur. *E Caſtris Cæſareis refertur, Tauruno ruente, Divinæ virtutis prodigium, quod contigit Prid. Id. Sextilis, altèrâ die mox ab acceptis, & hinc inde vulgatis literis illud Veneti P. Franciſci continentibus*; Nunc in Turciam deſcendam, ut lapides à fundamentis evellam: *quando nimirùm probus quidam Pyrobolarius Cæſareus Sodalium ſuorum ob pietatem ferè ludibrium, præmiſsâ, uti ſolebat, oratione Cacabum ignivomum, vulgò* Bombam *tàm proſpero ſucceſſu in aquaticam Tauruni Civitatem è vineis ſuis eis Savum evomuit, ut horreum plurimo pulvere, ac ſu-*

Digitized by Google

non vanam ſomni ſpeciem eam fuiſſe ſanus repentè, ac vegetus ſecundùm hæc viſa omnium oculis prodidit Ambroſellus. Etenim è lecto confeſtim exiliens ad agendas priùs Numini grates in Templum profectus collati in ſe beneficii ſeriem, atque ordinem ſuis Civibus vulgavit omnem. Inde Neapolim è veſtigio veniens vitæ, ac valetudinis ſuæ auctori Franciſco, quem viventem adhùc putabat, gratus exiſtere properavit. Verùm ubi eum è vivis ſublatum, ac prodigiorum famâ longè, latèque inclareſcere audiit; ſe quoque ejuſdem beneficio & vivere, & debilitatis expertem agere oſtentatis brachii cicatricibus coram idoneis teſtibus ad perennem, ac publicam inſignis prodigii memoriam juratus aſſeruit.

Eodem pariter anno Cataeii (Ulterioris Calabriæ præcipua Urbs hæc eſt, ac totius Provinciæ caput) Quintili menſe Maria è Nobili Amorrhæorum Familiâ in domeſticarum ſcalarum exſcenſione fallente veſtigio profapſa miſerè adeò erat, ut vivam inde in cubiculum adduci potuiſſe mirandum omninò Medicis accideret. Sed tamen, ne omnibus penè luxatæ jam membris capitis contuſio lethum intenderet, non ex vano veriti, Pœnitentiæ ſe Myſterio quamprimùm ut expiaret, ei libere edixere. Quod quidem piè à fœminâ præſtitum: acerbus licèt proximæ mortis nuncius tùm ſuâ, tùm ſeptem, quos genuerat, liberûm causâ non parùm eam percelleret. Donatam ſe intereà Franciſci capillis, atque induſii fruſtulo à Xaverio Piſone Societatis Sacerdote III. Non. Sextil. ſub noctem meminit. Quare eodem ad pii, quod habebat, amuleti uſum hortante, reliquiis manu arreptis, immaturum ſibi, ac familiæ tot filiis onuſtæ deprecari à ſe lethum occœpit. Precari porrò nec ſine ingentibus lacrimis ità dum pergit, nunquam anteà viſum Socie-

---

ſupellectili pyriâ refertum incenderit, tanto cum fragore, terræque motu, quo domus, turris, fana, ac tota illa Civitas inferior in lapideum acervum eſt collapſa: imò & in arce, quæ monti vicino inſidet, ſolida turris fano adſtructa cum aliis ædificiis quaſi vertigine correpta corruit. Multa hominum millia, unam minimam Myriadem, ea ruina ruderibus miſſa ſepelivit. Lapides ignis impetu procul dijecti, ac omnem in partem etiam trans Sarum ſparſi ſunt, ac proinde ſi præſagium illud ſibi conſtat, eventu ſtupendo Franciſcus noſter in Turciâ lapides à fundamentis evellit.

Digitized by Google

cietatis hominem ſuis objici oculis repentè videt: quem Sanctum Franciſcum Xaverium eſſe rata, de nomine eum venerabunda compellat. Cui ſtatim ille; *Franciſcus ego, non Xaverius, ſed de Hieronymo, à te nuper invocatus en adſum. Valuere apud Deum, quas meo patrocinio freta profudiſti hactenùs preces: vitam tibi per me donatam ſcito.* At verò benignè adeò loquentem fœmineâ ſimplicitate interpellans ægra; *Reſiſte pauliſper*, inquit, *dum tibi prolapſionis meæ calamitatem ex ordine enarro.* Cui, *Haud opus eſt*, reponit ille, *perſpectam rem omnem affatim habeo.* Mox in cubitum ſurgere molientem, cum ipſe manu humaniter juviſſet, poſt hæc verba; *Bono animo ſis: Vitam tibi donat Deus*; ægræ ſe oculis repentè ſubduxit. Refuſum exinde illicò membris vigorem, ac novas vires experta, filiis confeſtim accitis; *Convalui, convalui*, ægra Mater exclamat: *Hiſce egomet oculis Franciſcum vidi.* Hæc noctu ipſa: nec aliter manè mirantibus Medicis viſum, qui ſubjtam Fœminæ ſanitatem, non humanæ, ſed Cœleſtis virtutis opus eſſe pleno ore prædicarunt. Ignoti porrò ſibi Franciſci vultum, ac lineamenta tàm aptè deinde Franciſco filio, qui eum Neapoli viderat, ſuâ narratione deſcripſit, ut præter ſubitam valetudinem, novum, atque indubium veriſſimè viſi à ſe hominis documentum exhibuerit.

Non diſpari beneficiorum genere proximus, idemque ſeculi decimus ſeptimus inclaruit annus. Candidam Bracati Dominici Urſini Neapolitani Sacerdotis, ac Juriſperiti Matrem, cui ſæva gravedo fauces, ac pectoris fibras intercluſerat, extremis muniendam Sacris cum ederent Medici, ſeù nutu, ſeù quâ potuit voce, ſervatam domi Franciſci Iconem jacenti ſibi afferri à Filio voluit. Acceptam vix pectori appreſſit; cum hilarem vultu, ac veluti in genua provolutum adſtare ſibi Franciſcum conſpexit. Audità hinc ipſa ab hujuſce rei ignaris tremulæ vocis ſono in hæc verba erumperet; *Ange! quanta oris venuſtas!* Mox lectulo ex inſperato inſidens liberâ prorſùs voce hæc addit; *Ageſis, cedò juſculum: Ità fieri juſſit Franciſcus, hoc veſpere me prorſùs convaliturum pollicitus.* Profectò ab his verbis ſorberi aliquid ab hac potuiſſe, quæ nec guttatim infuſum liquorem paulò antè glutiſſet, prodigii exordium viſum. Interim, *Adeſſet ne adhùc domi Franciſcus?* à Filio requiſita; *Adeſt*, reſpoſuit. *At papæ, quæ pris gratia! quæ*

ma-

majeſtas! Nec promiſſæ valetudinis fidem fallente eventu, prodigium ſimul, & oraculum Franciſco incolumem debere Matrem pleno obſequii teſtimonio firmavit. Dominicus Urſinus Sacerdos ejus Filius, materni morbi non minùs, quàm ſanitatis oculatus teſtis.

Optimè de ſe quoque meritum duplici beneficio Franciſcum fuiſſe ſuis literis teſtatus eſt Antonius Vitellius Beneventanus profeſſione Medicus. Primò enim cum pecuniam ſibi à Romani Pontificis Ærario debitam non ità de facili ſolutum iri exiſtimaret; eam ſe Franciſci ope impetraturum ſperavit. Eo igitur precibus adito Aprili menſe nocte quâdam ab homine Societatis habitu induto audire per quietem ſibi viſus eſt, dilatæ ſolutionis compotem ſe brevi futurum. Nec vana ſomnii ſpecies fruſtrata optantem eſt: poſtero quippè manè à Beneventani tùm Scrinii Cuſtode, cui Pizzella cognomen, audiit, imperatum à Romano Quæſtore jam eſſe, ut pecuniæ creditori Vitellio ſatis quantocyùs fieret: occulto verò quodam admonitu eum ad ità imperandum adductum fuiſſe à Romanarum rerum apprimè conſciis ſibi nunciari. De ſuâ Uxore præterea idem addidit, eam ſanguinis fluxu octo annorum ſpatio conflictatam in vehemens animi deliquium quodam die lapſam admotoque quod ſervabat, è Franciſci femoralibus præſegmine, tùm deliquii, tum morbi totius ærumnam facillimè diſcuſſiſſe.

Nec ſimili Franciſci beneficio vacuus abiit fluentis ſeculi annus decimus octavus. Cryptaleis Joannes Antonius Giojoſi è Canonicorum Collegio quadrageſimum jam diem gravi adeò conflictabatur Iſchuriâ, ut pro urinâ ſanguinem jam triduo reddenti ſupremum imminere diem edicerent Medici. Cum ſub Auroram ex laſſitudine dormitanti viſendum ſe præbere viſus eſt in Cryptaleenſi Collegio, quod ibi *Communitatem*, ut diximus, vocant, ſecum olim educatus Franciſcus, ac ſe in eo cœtu agere ſomniantem his verbis affari; *Cur hactenùs ne mutire quidem es ausus? Tibi certè petenti cautum fuiſſet, nec idem tuus, ac Joſephi de Cryptâ, exitus foret*. Implexa porrò ſomnii verba evigilans dum ſecum verſat Sacerdos, donati ſibi jam olim pii à Franciſco Numiſmatis in mentem venit. Illud proinde fidenter arreptum capiti ſtatim apprimit. Nec vanâ ſomnii imagine ludificatum ſeſe fuiſſe tùm ſecuta poſt paulò ejus ſanitas, tùm, qui Sextili menſe eodem anno incidit, Joſephi de

Cry-

Digitized by Google

Cryptâ obscurè prænunciatus interitus eum satis edocuit.

Oblatum suis quoque oculis Franciscum fuisse secuto proximè anno XIX. Christi Soteris Natali recurrente luce, testata est Angela Coluccio confractam, quæ pedis malleolo nectitur, fibulam vehementer dolens: atque affecto pedi levamen exposcenti hæc prorsùs dixisse; *Macte animo sis: quid quereris? Magnine, quos sustines, labores ducis? nihili reapsè sunt.* Tantum quod hæc obiter à Francisco audiit, discusso pedis labore pristinæ valetudini redditam se ex integro sensit.

Testatius hoc aliud est Vicetiæ, nobili in Italiæ Urbe, eodem anno gestum. Hic in Benedictino S. Catharinæ Asceterio Octaviæ Josephæ Scroffæ ex trium dierum delirio menstruæ febri addito metuebant adeò Medici, ut conclamatum ejus vitæ jam dicerent. Cum Franciscì virtutum, ac prodigiorum famâ eò perlatâ, Ascetriæ cujusdàm, quæ laboranti aderat, hæc animum subiit fiducia, tanti Viri ope imploratâ occurri non difficilè ei morbo posse. Detractum igitur ex ejus vestium centunculo filum in aquam injectum hauriendum ægræ præbere constituit. Nec aptiùs id fieri opinata est, quam si Dominicâ prece, salutatâque Angeli vocibus, priùs Deiparâ interescendum id ei poculum propinaretur. Cum aliâ muneris sociâ consilium communicat, & clàm omnibus, ægrâque ipsâ totius rei insciâ præstituto tempore illud exequitur. Porrò ex hoc potu illud in ægram commodi redundasse statim est visum, ut è longâ insomniâ placidè totâ horâ somnum protraheret. Hâc verò evolutâ, obtutuque in lecti spondam perindè defixo, ac si præsentem aliquem inibi cerneret: *Revalui*, hilarè exclamavit Octavia, *revalui*: *Me sanam jam reddidit*. *Quis porrò?* Percunctata tùm sedulò est pii amuleti procuratrix Ascetria, Cui statim ægra; *Quis sospitem me reddiderit, rogas? Pater Franciscus de Hieronymo. Videndum se ipse meis hisce oculis præbuit: manum capiti admovit, nomen prodidit suum, bonoque animo me esse jussit. Nunc verò jam abit. Eccum illum ad fores.* Vix verò abeuntem, ut dicebat, Franciscum comitata ipsa oculis est, cum abiisse cum ipso omnem protinùs morbum è lectulo brevi prosiliens indubium reddidit. Præsente Sacerdote Ascetterii Homologetâ, eodemque Sanctorum Faustini, & Jovitæ Vicetiæ Curione Camillo Zampieroni, aliisque Ascetriis non paucis id accidisse datis publicè literis testatus est Vi-

cen-

Digitized by Google

centinus Epiſcopus Sebaſtianus Venerius: totiuſque rei Authenticum Inſtrumentum Pater Angelus à Portu Societatis Sacerdos Neapolim tranſmittendum curavit.

Nec valdè diſpari ratione à Carolo de Jacobo Genuæ conſpectus Franciſcus jacentem ejus animum in proximæ valetudinis ſpem erexit. Ex laterum dolore ſuperſtitem hunc haud fore ominabantur Medici. Contrà verò affecto latere literis Franciſci manu exaratis contacto, ut ejus ſe tutelæ, ac fidei permitteret, piè huic inſinuaverat Societatis Sacerdos Alexander Mainerius. Viciſſe porrò Mainerii ſententiam illapſus ſtatim ægro poſt bidui vigiliam ſopor edocuit. Eo enim tempore convaliturum ſe Artis remediis ab oblato per quietem Franciſco cum didiciſſet æger, non vanâ ſomni imagine deceptum eum fuiſſe ſecuta, ejecto calculo, ſanitas planum fecit.

Mulier, Maria Roſa nomine, eo conflictata morbo, quem capitis abſceſſum Medici appellant, in eo jam vertente anno ſeculi hujus XX. erat, ut ſerpente per tenues cerebri fibras peſte propediem ad interitum vergeret. Nil porrò valere niſi ad augendum vehementius morbum Artis remedia animadvertens, ad implorandam Franciſci fidem animum tandem intendit. Nec ſuſcepti eam conſilii pœnituit: viſus quippè ei per noctem Franciſcus pollice ejus fronti ſalutare Crucis ſignum impreſſit, his inſuper eam verbis ſolatus. *Lethalis quidem hic morbus fuit; ſed exoratus tuis precibus Deus en illum protinùs abigit, optatæque valetudinis te compotem reddit.*

Secuto exinde ſeculi anno XXI. Januario menſe in Camillæ Vitalis de Alzamoro perniciem, facto veluti agmine, plures irrupiſſe viſi ſunt morbi; Febris, Dyſenteria, cibi faſtidium, acerrimique membrorum omnium dolores: quibus occurri à nullo poſſe cum ſatis pateret, maturum ei funus ominari per ſe quiſque de facili poterat. Cum longè acrioribus veſpere quodam conflictata doloribus, poſt ingentes gemitus adeſſe precanti ſibi è Cœlo Franciſcum optavit, qui, ſi Divinæ Gloriæ ratio ità ferret, tot conjuratas in ſuum exitium peſtes benignè depelleret. Hac interim inflammatam fiduciâ blandus, idemque futuræ ſanitatis poſt longam inſomniam prodromus oppreſſit ſopor: quem ſimul diſcuſſit; non quidem à ſe viſum, ſed notâ ſibi voce ità loquentem Franciſcum audire viſa eſt; *Quam optas valetudinem, impetratam precibus jam habes meis.* Cui dicto fi-

dem

Digitized by Google

dem congruere paulò post experta, ad beneficii Auctorem debito laudis officio celebrandum Sacris priùs Mysteriis expiata sese non multò post tempore contulit.

Apostolici muneris causâ agendum sæpè viventi Francisco in Neapolitano illo Gynecæo fuit, quod *S. Maria Visita Pauperes* in Urbe nomen accepit. Jam & ab obitu in plurium commodum cum ibi agere perrexisse testatæ cum fuerint earum mulierum non paucæ; ab earum ego narrationibus memorandis supersederi satiùs ducerem, ni earum dictis luculenti rerum eventus vanæ credulitatis suspicionem prudentibus rerum æstimatoribus adimere viderentur. Ibi ergo primò Ursulam Lancettam miserè adeò Anginâ correptam olim fuisse perhibent, ut in obstructas fauces nec cibus, nec potus ingeri toto octiduo posset: nec minus ei periculum ab Anginæ, quàm ab Inediæ diuturnitate immineret. Sociæ igitur humanâ jam ope destitutæ è Cœlo ut adesse ne gravaretur, enixis à Francisco precibus poposcère præ cæteris duæ, Antonia de Arsio, & Rosa Citale: ægræque ipsi ad eandem fiduciam excitatæ ejus Effigiem gutturi aptandam tradidere, quò cubitum securiùs ipsæ adultâ jam nocte secederent. Non diù tamen ea quies tenuit: ægrotantis enim novo strepitu expergefactæ, ruptâ jam vomicâ saniem ab eâ ex insperato ejectari non sine admiratione comperère. Inopinatæ porrò rei causam rimantibus, revaluisse se liberâ jam voce, ac spiritu ægra reposuit; *Etenim per quietem*, inquit, *habitu Societatis indutus mihi Franciscus apparuit, meque priùs benè sperare jussam, ubi hanc gutturi appositam Effigiem manu tetigit, sævo illo intercluserum faucium morbo protinùs liberavit.* Vera de se dicentem loqui eò credibilius est visum, quòd simili penè calamitate se per Franciscum levatam nuper asseret, quæ Gynecæo illi tunc præerat, Anna Celentana. Transversâ nempè in gutture piscis spinâ se penè præfocatam admotâ Francisci imagine periculum evasisse testabatur.

Nec minoris momenti duo illa sunt, quæ ibidem invocatum à Martha Guarracina Franciscum præstitisse memorant. In educandâ præfracti ingenii Puellâ cum operam hæc luderet, nec ad saniora consilia adductum eam unquam iri speraret; molestam sibi, ac toti Gynecæo indolem à se ut divelleret, de remittenda domum puellâ non semel quidem, sed frustrà cum ejus consanguineis jamdù egerat. Quare deludi se quotidie subdolis

eorum artibus edocta, mœrorem ut depelleret ſuum, petendam à Franciſco puellæ domuitionem duxit. Quod cum quodam die in Gynecæi Cavædio iteratis precibus faceret, eum Concionantis ritu lineo ſuperindutum amictu ſuis oculis objici, atque ità effari clarè percepit; *Macte animo jam ſis, Martha: Aliò abſcedet Puella*. Quæ verba, quanquam Franciſcum non viderit, audiviſſe ſe paritèr teſtata eſt, quæ præſens ibi aderat, Chriſtina de Flore. Cæterùm ad oſculandas viſi hominis manus dum procurreret Martha; ex oculis ereptum è veſtigio ſpectaculum bonæ ſpei plenam reliquit: uniuſque horæ ſpatio elapſo translata in aliud Gynecæum Puella oraculi Fidem implevit. Jam verò bimeſtre ſpatium à priori hoc viſo elapſum vix fuerat, cum gravem in morbum incidens hæc eadem Martha, pro eâ, quam in Franciſcum conceperat, fiduciâ ejus ſe patrocinio commendare iterùm inſtituit. Cui levem inter ſoporem eodem prorsùs habitu denuò ſe ſiſtens Franciſcus, hæc mortem enixis precibus deprecanti reſpondit: *Nihil eſt, quod protractam alteriùs mortalem hanc vitam velis: Animo, quæ proſint tuo, hæc impetravi*. Nec pluribus ægra opus habuit, ut abjectâ vitæ ſpe, converſoque ad ſupremas curas animo, extremis Sacris riteè procurata, triduo evoluto, piè, pacatèque prænunciatam à Franciſco mortem obiret.

At verò, ut fœminæ huic mortis, ità memoratæ nuper ejus familiari Chriſtinæ de Flore & officii monitor, & vitæ vates brevi poſt tempore ibidem apparuit. Triginta hæc Neapolitanæ pecuniæ centuſſes in pium piaculatium Sacrorum ſtipendium tribuendos, quos moriens ei Martha tradiderat, deſidioſiùs, quàm pietatis, ac veteris neceſſitudinis lex ferret, erogare cunctabatur. Cum febrire & ipſa vehementer adeò occœpit, ut ſupremum ſibi exitium imminere non ex vano arbitrata, vitam, ac ſalutem ſuam Franciſci tutelæ, ac fidei permiſſam voluerit. Nec preces ipſe aſpernatus, viſendum ſe ægræ per quietem præbuit; affectumque gravi Epiphorâ collum dum tangeret, hæc addidit; *Ageſis, pecuniam parentalibus obligatam Sacris quamprimùm exhibe. Cæterùm ex hoc morbo te haudquaquam interituram pronuncio*. Relevari confeſtim ab hoc ſomnio ægræ animus cœpit: viſoque manè vix Medico, ſe noctu morbo ſolutam coerceri lectulo minimè debere exclamavit. Quod quanquam fœmineæ credulitati, aut mentis delirio

Digitized by Google

rio tribueret Medicus; Franciſco tamen, non ſomnio auctore ſe ità loqui didiciſſe triduo revaleſcens probavit.

Octenni filiæ Eliſabethæ Mariæ ex dirâ febri propediem deceſſuræ protractam cum impensè cuperent vitam Honuphrius Como Pater textilis auri Neapoli Mercator, ac Tereſia Poderica Mater, Franciſci eam fidei permiſere; ut ſi è Puellæ re foret, optata ei rediret ſalus. Cumque ex hominis reliquiis nil promptè ad manus ſuppeteret præter ceream Agni Cœleſtis effigie inſignem bullam, quam accedenti ad menſtruam Synaxim Viro ſuâ ipſe manu olim tradiderat, hanc penè exanimi filiæ cumulatis ferventiùs precibus ſub veſperum admovit Mater. Poſtero verò manè cum moribundæ lectulo, dolore potiùs, quàm ſopore preſſa hæc aſſidèret; habitu, quò vivens incedere conſueverat, Franciſcum conſpexit; ac, *Macte animo*, dicentem audiit; *præſentem, quam optas, opem en filiæ attuli*. Cum verò ſeram eam opem eſſe, nec niſi extremum filiæ anhelitum ſupereſſe iis verbis haud ſatis fidens opponeret Mater: *Ne metue*, ſubjecit: *Imò recuperandæ à Filiâ valetudinis pignus hos à me Flores cape. Ad gratias mihi proinde agendas te accedere, acceptamque beneficium vulgare, ut par eſt, jubeo*. Quo dicto ex oculis ſtatim abiit. Attonita novæ rei ſpectaculo paulùm cum hæſiſſet Mater; ſtupore diſcuſſo ad explorandam propiùs Filiam timidè acceſſit. Mirumque dictu! Quam ſupremos anhelitus ducere opinabatur, ex longâ inſomniâ in ſalubrem ſoporem ſolutam ex inſperato reperit. Quare ubi eam paulò poſt experrectam faſtiditum anteà cibum ſponte petere, omniſque moleſtiæ immunem ſtatim agere obſervavit; maximum beneficium Deo, & Franciſco gratulata, ad imperata exequenda Septembri menſe, anno labentis ſeculi XXIV. non ſine piæ voluptatis, atque admirationis ſenſu confeſtim perrexit.

Biennio poſt, hujus nempè ſeculi anno XXVI. IX. Kal. Maj. in Sipontino Sanctæ Claræ Aſceterio Cherubina de Oſſes Mantuæ Carpetanorum in Hiſpaniâ nata graviter adeò ex febri decubuit, ut à Medicis depoſita extremo morientium Oleo fuerit inungenda. Cum Xaverio Oviedo Franciſci Xaverii de Florio Cubiculari Aulico per quietem viſus Franciſcus Antoniæ de Florio valetudinariæ in eo Aſceterio Curatrici nunciari juſſit, ſe firmâ ſpe invocato eripi ei periculo ægram facilè poſ-

ſe. Ne verò de tàm fauſtæ rei nuncio Antonia ambigeret, Vitæ ſuæ librum penès ipſam eſſe indicavit. Ægræ igitur lectulo volumen illud quamprimùm imponeret. Neglectum id primò, ac veluti pro inanis ſomnii imagine habitum; proindeque nonniſi ruente deteriùs in interitum Cherubinâ extremo loco tentatum. Quo etiam tempore, in Franciſci hæc fidem concedens Societatis habitum pectori appreſſum, perennem veluti erga ipſum obſequii teſſeram, perpetuò ſe geſtaturam promiſit. Nec jactæ in irritum preces: ſecundùm eas quippè paucis poſt diebus diſcuſſo penitùs morbo lectum ægra deſeruit, Oviedique viſo fidem aſſeruit.

Admirabiliùs longè hoc aliud eſt, quod Neapoli in Domnæ Romatæ Aſceterio etiam num videre quotidie licet. Gratia Andrietta inter domeſticorum munerum Adjutrices Regularem vitam profeſſa, ex fortuitâ prolapſione luxatum adeò, ac debilitatum dexterum retulit brachium, ut toto biennio fomentis, balneiſque nequicquam adhibitis inſanabili ſe morbo laborare, tacentibus licèt Medicis, per ſe ſatis ipſa perſpiceret. Cum XVII. Kal. Octobr. anno à V. P. MDCCXXVII. in Franciſci vitâ perlegi fortè fortuna audiit, duabus aliis ſui Aſceterii Sororibus diuturno conflictatis morbo viventem eum præſtò fuiſſe, illiuſque ope ad obeundos Aſceterii labores redire utramque impigrè valuiſſe. Quare alienæ felicitatis comparatione ſuam dolere vicem eò intolerantiùs cœpit, quòd in pari calamitate aliis æquiſſimum, ſibi uni parùm exorabilem experiri ſe videret Franciſcum. Aptam & ſe labori per ætatem eſſe; nec quicquam omiſiſſe, quo flecti ejus animus ad ſui miſericordiam potuiſſet. Cur ſe igitur unam durus contemneret? Cur ſuis unius precibus aures obſtrueret? Hæc, aliaque id genus cum dicaciùs, quàm fas eſt, interdiù ipſa Franciſco veluti exprobraſſet; affectum ſibi brachium ex improviſo excuti, ac ſomnum abrumpi proximâ nocte ſenſit; ſimulque adſtare ſibi, quem optimè de facie norat, Franciſcum quadrato Pileo tectum, Cruzemque in pectore præferentem conſpexit. Qui liberiùs heſterno die locutam redarguens; *Caveſis*, addidit Gratia, *quod ad brachium attinet, ut à me quicquam poſtmodùm flagites: illud tibi ex integro reſtitui renuit Deus. Cæterùm ubi poſthac ad Aſceterii labores viribus opus habeas, me voca; neque enim irritas abire tuas preces ſinam*. Hæc ille; ſtatimque ex oculis abiit.

Non

Digitized by Google

Non inanem porrò somnii speciem hanc fuisse impleta examussim dictorum fides quotidie ostendit. Ex eo quippè tempore damnatum licet doloris, ac perpetuæ debilitatis brachium hæc gerat; imploratâ tamen per vices Francisci ope, usque adeò domesticis in laboribus nullo se exercet incommodo, ut ægro, quàm integro lacerto validiùs urgere eos valeat. Imperatis verò laboribus vix absolutis, mutuò acceptas vires veluti reddere coacta, ad consuetum languorem, affectique brachii molestiam redire singulis diebus non sine perennis prodigii admiratione conspicitur. Vulgatius id in eo Asceterio est, quàm ut ullius testimonio egeat. Extrà illud verò ne renovatum in dies miraculum fortè alios lateat, publicæ de eo extant Tabulæ Octavii Ballottæ Sacerdotis, atque Apostolici Tabellionis manu coràm idoneis testibus ipsius ægræ rogatu biennio post exaratæ. Quarum in calce addi illud etiam voluit, adeò nimirùm propitio se Francisco jam uti, ut nunquam eum invocatum meminerit, quin voti se compotem in arduis etiam rebus fuisse gratulari debuerit. De Fratre suo hæc potissimùm retulit, quod Secundiliani, in amœno propè Neapolim Pago, cum textrinam exercenti nulla quotidiani ex eo artificio lucri spes affulgeret; traditâ Francisci Icone domesticæ difficultatis ei metum ipsa omnem ademerit. Etenim præmissis coràm eâ Icone hisce pro eo precibus; *Ea non ut Cœlum mutes, Secundilianum tecum Fratre mitto, Francisce. Hujus operam cum diù locaverit nemo, conductores ei plurimos ut pares volo*; donatum eâ Icone Fratrem dimisit. Ex eo porrò tempore fluxisse adeò omnia ad suum, & Fratris votum agnovit, ut in eâ Icone certissimum lucri vadem desertæ paulò antè Officinæ obtigisse affirmarit. Nec minor ferè sexennio post Francisci in ipsam Gratiam beneficentia. Nam IV. Id. Maj., anno hujus, quod præterfluit, seculi XXXIII., è lapideo gradu fœdè prolapsa, dextero genu luxato, peracerbum in patellâ potissimùm, ac poplite doloris sensum experta illicò est. Reponendis quidem in locum ossibus ejus artis perita adjutrix Asceterii altera, Elisabeth Guaràna nomine, quamcelerrimè accurrit: eâque re leniri tantisper doloris sævities visa est; prohiberi tamen haud ità potuit, quin recrudescente postridie doloris morsu reponi iterùm eluxata in suam sedem ossa opus foret. Nec tamen ei quicquam melius factum: ingredi siquidem cum nimius eam non sineret dolor; decumbere

sup-

Digitized by Google

ſuppoſito tibiæ pulvino octiduum debuit. Quo tempore elapſo, x. Kal. Jun., in quem diem ſacrum Pentecoſtes pervigilium eo anno incidit, ad ſacram Synaxim pergere ægrè molita, vix ſtans Cœleſti Dape refici, Divinæque Rei ſedens intereſſe valuit; aucto quippè doloris ſenſu, reptans, ac ſemianimis ad cubile regredi, totoque Pentecoſtes triduo jacere neceſſe habuit. Demùm VI. Kal. Jun., profeſtus qui primùm occurrit dies, ad priſtina Aſceterii munera parùm cautè progreſſa, labori ut manum admovit, exacerbari, additâque inſuper Epiphorâ, rubeſcere affectam ità partem ſenſit, ut acerrimi doloris vi miſerrimè contabeſceret. Non abſimilem proinde tranſacto jam fermè diei noctem metuens, ad expertam pluries Franciſci opem confugit; ac papyraceam ejus effigiem arctè complexa; *Quin tuam*, inquit, *Clientem, ac, ſi ità loqui fas eſt, etiam Filiam tuo nunc patrocinio foves, Franciſce? Luxati quin te miſeret genu?* In has, aut his ſimiles effuſam preces dum brevis opprimit ſopor, adſtare lectulo viſus hac voce interpellat Franciſcus: *Ebo quid ceſſas, Gratia? Surge, atque ad conſuetos tui Aſceterii labores regreditor.* Hoc tantùm imperio ad perſanandum ægræ genu opus fuit. Repentè ſiquidem è lectulo proſiliens Gratia, ut poſitis humi genibus Liberatori ſuo gratias ageret, ubi evaniſſe ex oculis eum animadvertit, in lætas erumpit voces, Aſcetrias advocat, ſeque viſi nuper Franciſci beneficio immunem doloris agere exclamat, dictique ſui liberè in conclavi ambulans ſpectantibus fidem facit. Imò vix ſui præ lætitiâ compos, niſi de ſumendis anteà veſtibus opportunè admonita ab aliis fuiſſet, ſeminuda è Cellâ egredi, ageutibuſque in alio ambulacro Aſcetriis incolumem ſe oſtendere jam properaſſet. Eam porrò nullo claudicationis, aut doloris indicio ingredi ut primùm apparuit, *Miraculum*! repentè in toto eo Aſceterio lætiſſimè exclamatum. Aliis proinde rebus extemplò omiſſis, ad perſolvendas Deo in amplificandâ Franciſci gloriâ admirabili grates conſueto Eccleſiæ Hymno dulciſſimum melos eſt inſtitutum. Veriſſimè id narrari, antequam authenticis conſignaret tabulis, idem Apoſtolicus Libellio Octavius Ballotta ſuo mihi teſtimonio affirmavit.

Eliſabeth Gallo Auguſtini de Aversâ Sarcinatoris Uxori Sextili menſe anno hujus ſeculi xxx. extremam in dexterâ manu pollicis partem ità Paronychia vitiaverat, ut proximo inter-

no-

Digitized by Google

nodii officulo sanie jam intus eroso, insanabile id ulcus esse eo non evulso censeret Chirurgicæ Artis Neapoli Professor Philippus Palumbo. Adhibitis proinde idoneis ad eam avulsionem remediis, dimotum adeò vespere quodam ossiculum est nactus, ut quominùs statim extraheret, solâ ferri inopiâ prohibitus fuerit. Quocircà re in posterum manè dilatâ, quoniam Francisci Icone pollici circumdatâ ejus jampridem fidei se permiserat Fœmina, inter puriores matutini soporis imagines videre illum veteri Concionantis habitu sibi per quietem visa est, qui affecto pollici salutare Crucis signum imprimeret. Ne tamen objectam animo speciem vanitatis evigilans damnaret, secutus eodem manè eventus effecit. Etenim detumuisse usque eò pollicem animadvertit, ut quod bimestri spatio haud unquàm potuerat, nullo doloris sensu consuetos repetere labores valuerit. Hinc ubi reversum ad officuli evulsionem Chirurgum ne tentare eam quidem ullo artis instrumento debere conspexit; *Nihil*, inquit, *isthac opus est arte ad rem, quam paras, Philippe. Ulcus à Francisco probè accuratum jam vides: de obstruendâ dumtaxat cicatrice tuum est ut cogites*. Id verò quanquam eo die mirum, longè tamen mirabilius sibi postridie accidisse testatus de scripto est idem Chirurgus: quo die coaluisse jam optimè carioso antea officuli commissuras, vividâque carne convestiri cœpisse conspexit. Quid multa? Bidui, summum tridui spatio periculosi adeò ulceris obducta cicatrix præsentissimæ Francisci opis indubiam ejus oculis fidem fecit.

CAPUT X.

Francisci Icones miris successibus nobilitatæ.

SEd paulò rariora, ut verum fatear, illustria adeò visa fuere. Illud frequentius, ut ejus Imaginibus, seù telâ, seù papyro expressis non difficilè suis consulere ærumnis plurimi valuerint. Quarum sanè usu delectatus adeò è Cœlo videtur Franciscus, ut earum cupidos certo aliquo, eoque insigni beneficio sit prosecutus.

Inter

Inter hos recenſendus primo loco venit (1) Caleni antèa, nunc (2) Teani in Sidicinis Epiſcopus Dominicus Antonius Cyrillus, quem Franciſci virtutum admiratio inter primos impulit, ut ejus ſibi Imaginem depingendam ſedulò curaret. Jam protuberare huic ſub linguâ veſicula quædam cœpit, quæ humorem licet ſubinde egereret, novâ tamen ſanie rursùs inflata loquelæ uſui non leviter incommodaret. Aliis igitur, aliiſque remediis de Medicorum conſilio jam fruſtrà adhibitis, Franciſci ſe tantùm ope ſolutum eâ moleſtia iri ſperavit. Auguſtâque priùs Triade ter ſalutatâ, de ejus induſio, quod ſervabat, ſegmentum vix linguæ admovit; cum ruptâ eodem momento veſiculâ, pus, atque morbum ità abegit omnem, ut nullam prorsùs inde ſibi creari moleſtiam poſtmodùm ſenſerit.

In ſimili Effigie idoneam pellendis morbis Panaceam ſe habere cum contenderet Vincentii Pauli publici Tabellionis Uxor Anna Scotto, hæc potiſſimùm inter alia retulit. Benedictum Gianninum, cui dirè febrienti inſuetus pectoris angor ſpiritum penè intercludebat, admota Imago angoris ſtatim, febris non multò poſt penitùs immunem reddidit.

Sub anni Rep. Sal. MDCCXXI. finem Magdalena Valletta Marii Arena Uxor, quem enixa erat, puerum Januarium nomine violento adeò motu correptum vidit, ut obductas palpebras cum minimè reſeraret, adhibitâ vi diducere eas Mater debuerit. Quod verò longè pejus morbi genus eſt, apertos Infantis oculos albo ſuffuſos velo caligare obſervavit. Cœcitatem igitur filio anxia cum metueret Mater; Franciſci, quam ſervabat, Imaginem ei Anna ſubmiſit, quæ affectis pueri luminibus præſentiſſimi collyrii loco, contemptis aliis remediis, foret. Nec eam Infantis fronti, atque oculis piè apprimere cunctata Mater, adeſſe ſibi poſterâ nocte ſomniavit Franciſcum, qui jacentem ejus animum in reſtituendæ filio lucis uſuræ ſpem erigeret. Quas licet heſterni doloris imagines fuiſſe evigilans arbitraretur; filii tamen oculos ubi clarò jam manè conſpicata eſt, reſcere, atque extenuari velum illud conſpexit. Nec longo poſt tempore ex Infantis oculis illud prorsùs evanuiſſe gratulata,

Fran-

(1) *Carinola.* (2) *Teano. Ad Campaniam utraque Urbs ſpectat,*

Digitized by Google

Franciſci tutelâ, ac patrocinio, vanâ ſomnii ſpecie illuſum haud ſibi fuiſſe animadvertit.

Nec minor eodem anno ad abigendam Hecticen Imaginis ejuſdem virtus apparuit. Tredecim natum annos puerum Januarium Spaſianum Joſephi (hominis exſcribendis Trapezitarum literis, ac ſupputandis eorum rationibus addicti) Filium Septembri menſe cum lentum febris genus cruentæ excreationi adjunctum lectulo affixiſſet, inſanabilem eum fore Joſepho Patri diſertè prædixerant Medici. Quare ut deſtituto jam humanâ ope unico filio è Cœlo remedium amantiſſimus quæreret Pater, Franciſci patrocinio id ſe impetraturum confidit. Ejus proinde effigiem ab eâdem Annâ acceptam Filii pectori adhibitis ab utroque precibus appoſuit. Nec ſua utrumque decepit fiducia. Repentè enim puero melius eſſe ità cœpit, ut paucis poſt diebus morbi totius ex integro expers è lectulo proſilierit.

Biennio verò poſt Januarii hujus Mater, cui Roſa Leca nomen, Julio menſe ſanguinis profluvio, ac pectoris dolore decimumſeptimum jam diem conflictata, cum vanas Medicorum damnaſſet artes, noxiarumque Confeſſione animum jam expiaſſet, petitam Franciſci Imaginem pectori admovit, illud à Deo interim precata, ut quatenùs nullo Divinæ Gloriæ, nullo ſalutis ſuæ diſpendio id fieri poſſet, morbum à ſe illum benignè abigeret. Ità verò precantem cruentus ille fluxus repentè deſeruit: febrique, ac doloris ſævitie extenuatâ, paucis diebus ſe optimè revaluiſſe, interpoſitâ juris jurandi fide, beneficii memor aſſeruit.

Joanni Dominico de Todaro Tarentino Piſcatori pro depoſito à Medicis habito, nil, niſi leſſum, atque exequias parabant domeſtici. Petitâ verò ipſe Franciſci Effigie, ac fronti appoſitâ, in implorandâ ejus ope totus erat. Eâ porrò Effigie in ſolum fortè delapsâ, mirandum illud eam attollentibus accidit, quod ardere, atque inſolito rubore ſuffundi expreſſus in eâ vultus videretur. Nec de nihilo præterea illud eâdem nocte accidiſſe ex eventu conjectum eſt, quod ægri filio octavum vix dum annum ingreſſo objectus per quietem veluti Sacrâ in Æde agens Franciſcus fuerit, qui tumulo aperiri juſſo ità loqueretur: *Patrem en tibi reddo: deferre illum tecum jam potes*. Non, inquam, de nihilo utrumque factum fuiſſe audientibus viſum. Ex eo quippè tempore remittente ſenſim morbo, contrà quàm

Digitized by Google

præſagierant Medici, valetudini, ac viribus reſtitutum ſe æger non multò poſt ſenſit.

Tertium vix menſem primo vitæ anno addiderat lactens adhùc Puella Petri Andreæ Molinarii, ac Dominicæ Verinæ filia, cum eâ Quintili menſe anni Rep. Sal. MDCCXVIII. è domeſticis ſcalis in præceps fortuitò lapsâ inter ſiniſtimum tempus, ac *Saturam*, quam dicunt, *Coronalem* contuſio primùm, ac livor, mox etiam diductum, atque ad duos digitos hians in oſſe vulnus apparuit. Diram hanc puellæ calamitatem oculis ubi accepit David Octavianus Giraldus Chirurgus, exhorreſcere, & in ancipiti re quid potiſſimùm faceret non ſatis pervidere. Aliis igitur ejuſdem facultatis Profeſſoribus in conſilium adhibitis, eam in ſententiam concordi judicio itum, aut nullâ, aut præproperâ exciſorii ſcalpri ope Infantis letho occurri duntaxat poſſe. Hanc verò ſævitiem in lactentis Puellæ caput poſtridie exercendam indignè cum ferret Mater, mitioris Medici Franciſci manu prohiberi eam poſſe arbitrata, ad ejus Effigiem in interiori cubiculo expoſitam confugit, ejuſque tutelæ, ac fidei laborantis filiæ caput ſupplex permittit. Non inanes Matris preces fuiſſe primo ſtatim manè liquidò patuit: ſolutis quippè, quæ caput obligabant, faſciis, evanuiſſe prorsùs tumorem, nec inciſione ullâ, non ſine admiratione, opus eſſe agnitum eſt. Nudato præterea lævi temporis oſſi protendi cutem cœpiſſe, biduoque vix lapſo complanatum è natâ circùm pelle vulnus omninò fuiſſe, hoc enimverò certæ fidei miraculum ſibi videri non ſemel attonitus exclamavit Giraldus. Nedum enim biduum, ſed bimeſtre vix ſpatium obducendæ ejus vulneris cicatrici ſatis fore longo ſimilium rerum experimento jam ſatis didicerat.

Nivani, in Pago propè Averſam ſito, ex acri humore in coxam dilapſo vehementer adeò integrum annum Vitus Campaninus doluerat, ut ambulandi jam uſu inſuper prohiberetur. Commodatam & hic ſibi papyraceam Franciſci Effigiem à conſanguineis voluit; quâ ſimul affectam partem cum fiduciâ attigit, fugato protinùs dolore redditam ſibi liberam incedendi facultatem expertus eſt.

Bartholomæus de Vitâ Populis in Samnio natus, ac meritoriorum curruum agitator, lethaliter Neapoli anno labentis ſeculi XXV. æger, ſupremiſque morientium procuratus Sacris

nil,

Digitized by Google

nil, nisi imminentem exitum, Joannis Ambroselli Medici judicio opperiebatur. Cum hujus miseratus vicem Alexander à Moro Franciscì ei Iconem humaniter attulit, quò ad recuperandæ valetudinis spem, implorato ejus præsidio, animum erigeret. Amplexus effigiem cum lacrimis est æger, utque is attactus vitæ suæ benè verteret, enixè à Deo flagitavit. Nec irritæ cecidere preces. Eodem enim momento diuturnæ vigiliæ molestiâ solutus sopori ità noctu indulsit, ut morbum eo somno ex toto penè discussum postero manè admirans Medicus, cum subitæ valetudinis causam rimari haud satis valeret, ubi de appressâ ægro Franciscì Effigie audiit; *Benè est*, reposuit, *opus Auctorem probat. Neque enim alia, quàm Franciscì manus admirabili adeò rerum conversioni par erat.*

Nicolao de Roberto ex gravi lapsu confractum crus evidens vitæ periculum intendit. Id adeò, ubi Antonius rescivit Frater, ut erat Francisco addictissimus, supplex cum precibus statim adiit, ut in animi commodum calamitas hæc Fratri potissimùm cederet; utque præterea, ni Divini consilii ratio aliud poscceret, deformem clauditatem ne eidem prolapsio afferret. Ejus exinde Effigiem bonæ spei plenus ægro attulit Fratri: quam ille fracti cruris fasciis vix superposuit, cum ingravescere adeò vulneris dolorem sensit, ut vitæ metuens suæ Homologetâ evocato exonerare animum noxiis statim voluerit. Sed tamen agglutinatis denuò inter se tibiæ ossibus nullam ex eâ ærumnâ debilitatis, aut deformitatis notam contraxit. Ità ad Fratris votum salubris animo, nec corpori noxia Nicolai calamitas Franciscì patrocinio fuit.

Liburni, in celeberrimo totius Etruriæ Emporio, Vincentio Pico Societatis Sacerdoti defluus sub oculum humor ulcus aperuit, cui nisi ferrum, aut ignis citò occurreret, ex Ægilope, in Anchilopen, seù in fistulam insanabilem abiturum prædixerant Medici. Sævum utrumque ægro visum; eamque ob rem mitiùs secum acturum meliorem Medicum Franciscum putavit. Novenûm proinde dierum spatio eum sibi quotidie conciliandum suscepit: nec affectæ parti ejus Iconem manè apprimere unquàm eo tempore destitit. Placuisse Francisco hominis obsequium patuit: etenim ex repetito è naribus per eos dies purulenti sanguinis profluvio obductum ulcus delapsæ in oculum pestis metu liberavit. Hoc suis ipse literis Neapolim ad No-

Digitized by Google

strorum quendam missis testatus, enixis ab eo precibus flagitavit, ut Franciſci tumulum ſuo abſentis nomine adire, eidemque acceptum à ſe inſigne beneficium gratulari ne gravaretur.

Nec diſpari ſucceſſu anno Rep. Sal. MDCCXIX. Andrienſem Civem Franciſcum Brudaglio ejuſdem Imaginis attactus è lethi faucibus eripuit. Eam huic febri, ac doloribus penè exanimi Aurelia Imperialis Andriæ Dux ubi piè, atque humaniter miſit, remiſiſſe morbi ſævitiem continuò patuit: ac vix tribus dein Sacris Deo litari æger poſtridie juſſit, cum totius morbi immunem ſeſe agere gratulatus eſt. Ineunte Auguſto hoc factum: eo verò exeunte in Andrienſi Sacerdote Marco Antonio de Micco renovatum, qui ejuſdem miſſæ ad ſe Imaginis beneficio acerrimam febrim, evidenſque mortis periculum ſeſe exiiſſe publico teſtimonio aſſeruit. Idem febrienti unigenæ filio Neapoli accidiſſe prodidit Dominicus Viſanti Pater, mercium ac negotiorum Proxeneta. Simili enim Effigie, ac veſtium ſegmento contactum non è febri ſolùm, verùm etiam è longâ quatuordecim dierum inediâ ſenſim revaluiſſe teſtatus poſtmodùm eſt. Idem, teſte Dominico Jordano, famuli ſui domeſtici Uxori præſtitum: cui cum contracti gutturis nervi ſpiritum jam penè intercluderent, admotâ Franciſci Effigie morbum repentè diſcutere, mox etiam liberè reſpirare incolumis cœpit.

Andriæ Vincentius Zappharanus Rep. Sal. anno circiter MDCCXIX. admotâ pectori Franciſci Icone imminens ſibi à pergravi ægritudine lethum deprecabatur. Sopore interim preſſus accedentem ad ſe hominis ſpeciem inter ſomnii imagines ſpectare ſibi viſus, & inter geminatas ferventiùs preces audire etiam ſe ab eo putavit non infelicem ejus morbi exitum fore. Evigilanſque reapsè Vincentius, Franciſcique ope ſe revaluiſſe exclamans, vanæ credulitatis coargui, vegetus paulò poſt, atque incolumis à nemine potuit.

In illuſtris pariter Matronæ *Cantalupi* Ducis Familiâ mulier quædam Angela Rea nomine, Lauri in Nolanæ Diœceſeos Oppido nata, quam repetitum in gutture Apoſtema cibatus, ac loquelæ uſu interdixerat, Iconem eandem vultui ut admovit ſuo, dilatatis repentè faucibus & veſci, & loqui liberè valuit, nec multis poſt diebus ex toto ſoſpes evaſit.

Par in duobus Pueris Imaginis ejuſdem virtus apparuit.

Ex

Digitized by Google

Ex vehementi Epilepsiâ extremos jam anhelitus ex inexpectato ducere lacteſcens adhùc Infans Jo: Baptiſta è Patriciâ Gentilium ſtirpe Bitunti in Apuliâ videbatur; cum apponi ei curriculò Franciſci Effigiem Pueruli vicem anxius mandavit Didacus Gentilis Pater. Nec vana eum imperaſſe reſtitutus è veſtigio Infans, ac poſtridie incolumis, nulloque morbi veſtigio affectus oſtendit. Nec diſſimili exitu, Icone eâdem triennis filii pulvino ſuppoſitâ, Philippus Bragamonte de Acugnâ præſidiariæ Legionis Capuæ Inſtructor acerrimæ eum febri, ac mortis metui ereptum poſtridie vidit. Eodemque amuleto aliàs uſus, aliud quoque morbi genus abigere ab eodem Puero valuit.

Paulò his adultior impubes adhùc Matthæus Caſinus ſævis ſtomachi intemperiis febri additis toto jam menſe laboraverat. Majorem proindè remediis ejus morbum rati, indubiè eum deceſſurum pronunciaverant Medici. Ergo in mortem operientis manus Franciſci Imago fortè incidit: quâ ſtomacho piè appreſsâ ingentem vermium copiam vomitu, ſolutæque alvi fluxu protinùs egeſſit æger: morbique totius causâ ejectâ doloris, ac febris expers, non ſine ingenti domeſticorum admiratione, paucis poſt diebus revaluit.

Puerperis etiam pluribus ſaluberrimum id genus amuleti fuit. xv. Kal. Martii anno à V.P. MDCCXXI. in Annâ Expoſitâ Nunciantis Farinacii Uxore à partu recenti deſæviens febris æſtus diros adeò motus exciverat, ut præpropere morituram extremis præmuniri Sacris quàm citiſſimè imperarent, qui ei aderant, Medici. Capiti verò appoſitâ tùm Effigie, tum ſchedulâ Franciſci manu exaratâ interitus diſcrimini repentè ſubducta perpaucis poſt diebus ex integro ſoſpes evaſit. Triduum præterea puerperii doloribus conflictata Cajetani Cypriani Uxor Anna de Amato animam jam agere videbatur. Cum refixam è pariete Franciſci Iconem laboranti Nurui applicans Socrus: *Ades*, inquit, *Franciſce: neque enim tuum beneficium apud immemorem collocabis, cujus perpetuam ſcilicet, nec ingratam buccinatricem me fore polliceor*. Nec voto fraudata hæc ſimplicitas fœminea eſt: diſcuſſo quippè dolore ſtatim ab his precibus maſculam ſobolem enixa ægra eſt. Denique immaturus octonûm menſium niſus Angelam Claram Franciſci Antonii Rocco Juriſperiti Uxorem cum in extremum vitæ diſcrimen conjecturus, fœmineoque, quem edidit, fœtui æquè noxius fore

cre-

Digitized by Google

crederetur; adhibitâ Franciſci Effigie, & lethales præcocis niſus labores ex inſperato evaſit Mater; & quæ obſtetricis judicio jam inibi expiratura videbatur Puella è lethi faucibus ſoſpes emerſit.

In Gynecæo Divæ Magdalenæ Sacro, quod ab eâ viâ, quæ *Pons Corvi* Neapoli dicitur, in amplam planitiem leni aſſurgit clivo, Maria Carmela à Sanctiſſimo Sacramento dum piis Sancti Ignatii Commentationibus navaret operam, ſævo ſtomachi dolore nocte quâdam oppreſſa, Franciſci tantùm Effigiem, quâ eum leniret, ad manus habuit: ingentique ſtatim virulentæ bilis copiâ ex ore ejectâ doloris immunis, piis, ut cœperat, Meditationibus vacare incolumis potuit.

Hædinarum carnium lanios prætereà duos attacta Franciſci Imago ab interitu vindicavit, Carminum Calvinum, & Carolum Antonium Paganum. Et Calvinum quidem contractâ ſub anni MDCCXXV. exitum ex mutati Cœli intemperie deterrima febris ad extremam vitæ metam Sacris præmunitum adegerat. Pagano verò, quem ſecuto mox anno ſimilis febris oppreſſerat, non abſimilem exitum Medici ominabantur. Ab attactâ tamen cum precibus Franciſci Icone meliùs utrique eſſe ità cœpit, ut brevi incolumes acceptam ſe Franciſco vitam referre publicis uterque tabulis teſtari voluerit.

Dexteræ manus digitos ligneâ è ſcalâ prolapſa contuſos, acerrimoque doloris ſenſu vexatos v. Non. Mart. anno Hum. Sal. MDCCXXVI. retulerat Tereſia Cœleſtina Sacri cujuſdam Ordinis Tertiana. Cui leniendo jam nullum malagmatis genus par eſſe conſpicata, papyraceæ tandem Franciſci Imagini affectos ſub veſperum affricuit digitos, eum interim his verbis affata; *Atrox nimiùm profectò hic dolor eſt: ei tamen mederi tuum nunc eſt, Franciſce.* Hæc porrò agentem omnis omninò ſtatim deſeruit dolor: niſi quod vix unâ poſt decubitum horâ unius duntaxat digiti, aliis immunibus, punctionem experta, contactæ Imaginis beneficio eum caruiſſe animadvertit. Ea propter per cœcas cubiculi tenebras ad eam regreſſa, ubi iteratis cum fiduciâ precibus ei digitum appreſſit, prohibitum & inde è veſtigio dolorem fuiſſe gratulata Franciſco eſt. Tumens huic quidem poſtridie, ſed tamen doloris, ut optaverat, expers apparuit manus. Eo verò tumore paucis diebus diſcuſſo, rediiſſe digitis interim dolorem ullum conqueri deinceps haud potuit.

In

Digitized by Google

In Bovianensi Ditione cum magnis in Cœlum laudibus Franciſci meritum, ac prodigia extolli *Campobaſſi* (celebre hoc non longè à Boviano Emporium eſt) anno eodem audiſſet non ſemel Thomas Bonomi, in evocatorum Militum, quos Neapolitanum Regnum plurimos habet, exercitu Equeſtris Centuriæ Dux, legendæ ejus Vitæ, habendæque Imaginis, ac Reliquiarum cupiditate inflammatus Aprili menſe ad Juris utriuſque Peritum Matthæum Japoce Neapolim literas dedit, quibus tranſmitti hæc ad ſe ſedulò poſtulavit. Nephriticis interim, quibus jam inde à biennio conflictari cœperat, doloribus tentari ſe XI. Kal. Maj. noctu expertus, quò ſubnaſcenti moleſtiæ viam præcluderet, Franciſcum precibus adiit; nec fruſtrà. Inter implorandam enim opem in ſomnum reſolutus excitari ſe manè repetitis his vocibus audiit: *Ad Franciſcum, ad Franciſcum.* Quo verborum ſono experrectus, nec ullis ut anteà prænunciis acerbioris moleſtiæ aculeis latus pungi animadvertens, prò ſaluberrimo vitæ ſuæ amuleto quantocyùs habendo apud agentem Neapoli amicum vehementiùs inſtitit. Franciſci exinde Vitâ cum ingenti pietatis ſenſu perlectâ, Imagine, ejuſque tibialium præſegmine VI. Id. Sextil. tandem potitus, ea in armariolo, pretioſi Cimelii loco, diligentiſſimè cuſtodita ſepoſuit. Jam quanti ea eſſent, VI. ejuſdem menſis Idus experiri huic feliciter obtigit. Eo enim die repentino, nec intermiſſo viſcerum dolori Nephriticus ſub noctem acerbis adeò punctionibus ſe adjunxit dolor, ut lectulo excuſſus æger ſeminudum humi corpus miſeros inter ejulatus contorquere qualecunque mali ſolamen reputaret. Tùm verò, ſi unquàm aliàs, Franciſci Icone, ac lipſanis ad arcendam mortem utendum ratus, eas lævo lateri inter has voces applicuit; *Adeſdum, Franciſce, meque dolori huic ferendo jam imparem tuo, ut potes, præſidio foveas, rogo.* Has ejulantis preces auctus in immenſum primò, ſed eodem penè temporis momento ità penitùs evaneſcens dolor excepit, ut ſeſe moleſtiæ omnis expertem Franciſci beneficio jam agere in genua provolutus confeſtim exclamarit æger, ſuoque Liberatori gratiis impensè actis diſcurſare domo incolumis, nuperæque calamitatis omninò immemor cœperit. Mutatam porrò tàm ſubitò Viri vicem delirio cum adſcriberet Iſabella Peſtillo ejus Uxor, nec oculis fidem ſatis haberet ſuis; attamen ubi ſuaviter ſopori indulſiſſe dein Virum, ac ſine ullo doloris ſenſu duplicem,

cem, atque aſperum ex urinæ meatibus calculum ejectaſſe deprehendit; ad beneficii Auctorem laudibus exornandum converſa, impetratam Viro Cœleſtem per Franciſcum opem cum ingenti totius familiæ gratulatione prædicavit; præſertim cum quadrimeſtri ſpatio jam elapſo nullis ejuſmodi intemperiis exagitatum eum poſteà fuiſſe animadverterit.

Viventis Franciſci jam inde ab obitis in agro Nolano Miſſionibus experta opem *Saviani*, in ejus Ditionis Pago, jam erat Dominica Calabria Felicis Calabria Uxor. Eo quippè olim ad benè ſibi precandum duntaxat adducto ſævum laterum dolorem ſtatim fugatum perpetuò à ſe exulaſſe meminerat. Hinc ubi eo è vivis ſublato multa, ac præclara de ejus virtute, ac prodigiis increbreſcere audiit, ſimulque ejus reliquiis vix attactam Viri ſui Sororem ex ingenti morbo perpaucis diebus revaluiſſe mirata eſt; febri ipsâ à partu recens, mammarumque doloribus menſe Martio anno vertentis ſeculi XXVI. correpta, lactiſque prætereà exſiccandi perniciem ſubverita, ad ſalubrem ſibi jam aliàs Franciſci opem, auctâ ex auditis rebus fiduciâ, confugit. Cujus quidem Icone potitam ſe vix fuiſſe teſtata eſt; cum eo precibus adito, febris æquè, ac mammarum moleſtiæ immunem ſe ſtatim egiſſe experta, admiranda hæc in ſe, ac ſuos Franciſci beneficia per Fr. Bonaventuram à Roma Franciſcanæ Familiæ Sacerdotem Saviani eo anno Quadrageſimalem Concionatorem, VIII. Id. Maj. literis conſignari curavit.

Pleuritide, ac febri acriore correptus ab interitu cum proximè abeſſet Neapoli Martio menſe labentis ſeculi anno XXVII. Nicolaus Marcianus, coràm papyraceâ Franciſci Effigie, quam è cervicali ſuſpenderat, unà cum Agnete Gattolâ Uxore, hujuſque Agnetis Sorore Annâ Cœleſtem enixè imploravit opem. Irritæ initio preces viſæ, imò ad erigendum ægri Viri caput accurrens die quodam Agnes, ubi hunc viribus magis, magiſque deſtitui deprehendit, exprobrare Franciſco eam calamitatem his verbis inverecundè auſa eſt; *Præclarè verò agis, Franciſce, qui alias domos ſivè per te, ſivè per ſuum Cyrum ſolaris: in hanc verò oculos ne intendis quidem! T'en' in Sanctorum Album ut quis relatum velit?* Nec mitiùs Agnetis vicem dolens in eum Anna Soror invecta: *Quid agis, Franciſce? Semotam in Luſitaniam* (Germaniam ex inſcitiâ ità nominavit) *tua virtus protenditur: nos verò ut inclementer adeò*

Digitized by Google

adeò contemnas? Agesis, & hùc etiam ad nostrum solamen te confer. Tàm inurbanâ utriusque fœminæ petulantiâ appetitus, diversâ quidem ratione, sed quæ veterem ejus tolerantiam redoleret, respondere ex Imagine est visus Franciscus. Agneti quippè, explicato ad hilaritatem ore, arridentis, ac veluti manu ægri Conopeum impellentis speciem exhibuit, quo veluti præsagio impetrandæ celeriter opis fiduciam ejus animo ingessit. Contrà verò Annam grandescere confestim visa eadem Imago deterruit: nec nisi post petitam supplicibus verbis veniam in suam rediens molem insciè nuper locutam ab eo metu revocavit. Utriusque verò Sororis confidentiæ exorabilem se præbuisse Franciscum persanatus haud ità post multò Nicolaus edocuit. Ex eo quippè die meliùs hic habens teterrimam ægritudinem Franciscì beneficio discussam prorsùs fuisse testatus postmodùm est.

Nicoletæ de Lycio Dominici Agnelli de Conciliis publici Tabellionis Uxori secuto proximè anno seculi XXVIII. manuum, ac pedum usuram morbus ademerat. Franciscì verò Iconem affectis partibus vix semel cum precibus admovit; cum tantæ rei Viro teste, prosilire è lectulo, manibusque, ac pedibus sine ullo doloris sensu liberè uti incolumis statim valuit.

Secutus proximè annus vertentis seculi XXIX. multiplex in eodem Franciscì Iconum genere prodigium exhibuit. Ac primò papyraceam quandam optimi Senis Effigiem pro domus suæ foribus à Puellâ quâdam fortuitò repertam singulari Dei beneficio sibi obvenisse non immeritò putavit Carmina Stajana Emmanueli Gagliottæ legitimis nuptiis copulata. Eam quippè Effigiem sibi, ac familiæ præsenti præsidio fuisse jampridem experta, nunquam nimio, ac frequenti usu detritam, vel premente pulvino conscissam accepit, quin, Franciscì imploratâ ope, laceræ ejus partes ità coiverint, ut integram, atque indemnem eam cuilibet ostendere in promptu sit. Ex salubri porrò ejus contactu eodem anno bis in se, semel in Filiam tria non vulgaris notæ beneficia redundasse publicis in tabulis Regii Tabellionis Chirographo firmatis testata legitimè est. Etenim cum exeunte hieme Colicus ei mortem jam intenderet dolor, ab eo se discrimine per Franciscì merita eximi ab Augustâ Trinitate optavit. Adhibitâ verò eâ, quam habebat, Effigie valuisse adeò preces animadvertit, ut inter morbum maximum,

Digitized by Google

ac nullum breviſſimâ duntaxat temporis mora interceſſerit. Nec minùs proſpero eventu poſtquam iiſdem precibus præmiſſis laborantem oculorum, ac pedum vitio Filiam eâ Icone attigit, utrumque ab eâ morbum ſtatim exulaſſe animadvertit. Denique Septembri menſe ſe capitis, ſtomachi, renum, lævique brachii morbo moleſtè adeò implicitam jacuiſſe retulit, ut nec cibi, nec ſomni quicquam capere ei integrum eſſet. Hanc etiam tot malorum congeriem Divinis faciliùs, quàm humanis præſidiis exarmandam rata, ad Sanctâm Trinitatem ſupplex de more adiit, illud precata, ut in unam aliquam corporis partem tot diſperſæ per artus peſtes abſcederent. Precibus abſolutis in Franciſciſci Effigie efficax adeò amuletum nactam ſe agnovit, ut quàcunque eam per affectas partes duceret, dolorem inde omnem excedere, atque in ſiniſtimum crus, prout optarat, demitigatâ tamen moleſtiæ acerbitate propelli experiretur. Et ſanè mirabili eo contactu, quemadmodùm ſpontè profluens è naribus ſanguis caput, & colli nervos; ità exſudata largiùs per quietem vitiati humoris materies reliquos ità expediit artus, ut nonniſi tenues morbi reliquias tolerabili admodùm incommodo delatas in crus fuiſſe demirari debuerit.

In Joannem Trudum, in agri Sueſſani Pago *Rengoliſii* natum, aliud à Franciſci Icone beneficium eodem anno promanavit. Huic Septembri exeunte delapſus in lævum pedem tumor, ac dolor motum interdiù, noctu ſomnum abſtulerat. Nec febris, affectæque partis inflammatio accedere cunctata eſt, quæ in nigredinem paulò poſt degenerans imminentis Gangrænæ ſuſpicionem Medico injecit. Sed traditâ Franciſci Icone vitæ hic conſuluit ſuæ: eâ quippè læſo pedi appoſitâ dolorem imminui è veſtigio ſenſit: poſteroque manè tumorem, ac reliqua morbi indicia penitùs evanuiſſe conſpicatus, nonniſi de agendis Franciſco gratiis incolumis cogitavit.

Hyacinthum Granato profeſſione Mulionem anno eodem ineunte Octobri in Sancti Anaſtaſii Pago, qui in agro Nolano eſt, acerrima febris non ſine vitæ periculo lectulo affixerat. Huic à Deiparâ Virgine, quæ deſumpto *ab Arcu* nomine non longè ab eo Pago colitur, nec non ab eximio ejus famulo Franciſco ad petendum calamitatis ſuæ præſidium non ægrè adducto oblatum cum Franciſci Icone in aquâ goſſipium eſt, attactâ Magnæ Matris Imagine à Patribus Prædicatoribus ejus Tempi

pli Cuſtodibus ſacratum. Ac ter Angelico Ave cum Lauretanis Litaniis recitato, Divinam eomprecari Matrem pius quidam Vir cœpit, ut per eam, quæ in Franciſco floruiſſet, inſignem animi demiſſionem, ſua ei ægro impertiri beneficia ne gravaretur. Jam verò ſacratam iis precibus aquam ſimul ebibit, Franciſcique Effigiem pectori appreſſit Æger, placidam totâ nocte experiri quietem cœpit: poſteroque die febris, ac morbi perinde immunis egit, ac ſi nulli ægritudini obnoxius anteà fuiſſet.

Roſam Hiſpanam Adoleſcentulam labente hujus ſeculi anno xxx. Medici depoſuerant; quippe quam febris, ac lethalis abſceſſus ad vitæ metam urgebat. Sed vix papyraceam Franciſci Iconem ſibi cum precibus adhibuit, cum ruptâ noctu vomicâ meliùs illi eſſe ità poſtridie cœpit, ut paucis diebus eam probè convaleſcere mirandum prorsùs Medicis acciderit.

Inauditum hoc hactenùs à Franciſci obitu decus ejus Imaginibus tributum à Deo eſſe Amantia Calabriæ Citerioris Oppidum anno hujus ſeculi xxx. retulit. Periculoſam ibi ut Franciſci patrocinio febrim depelleret Philippus è Nobili Mirabellorum Proſapiâ, ejus, quam habebat, Icunculam lectuli cervicali appendi juſſerat. Cum brevi tempore interjecto, auditis è pulvino levibus quibuſdam, veluti ex Horologio, ictibus, Sancti-ne Paſchalis de Baylon, quæ ibi item erat, an verò Franciſci Effigies eos redderet, exploraturus, ſublatâ tantiſper Baylonis Icone, à Franciſco eos pulſus indubiè prodire non eâ ſolùm nocte, ſed toto continenter ſecuti diei ſpatio ipſe cum aliis mirabilis rei causâ magno ad eum numero confluentibus miratus eſt. Valetudinem porrò fauſtis iis pulſibus præmonſtrari poſtquàm eâdem nocte diſcuſſa cum ingenti ſudore febris oſtendit, illud etiam ad prodigii auctarium ſuſpicere ſecutis diebus non ſemel licuit, quod cum ſuppreſſo jam ictuum ſtrepitu alios ex aliis in ejus deinde domum ſeù officium, ſeù tantæ rei novitas attraheret, eorum cupiditati ut faceret ſatis, prout Franciſco pro iterandis in Sancti Cyri gratiam ictibus ſupplicavit Philippus, ità eos ex Imagine non ſine ingenti adſtantium lætitiâ eos jucundiſſimè inſtaurari animadvertit. Ab eo præterea non tùm primum id genus tinnitus edi reſcitum eâdem occaſione eſt. Familiares quippè adeò ſuis auribus eos tinnitus eſſe ægra quædam ejus Urbis Virgo, Hippolyta Baldacchina nomine, Sanctæ Claræ Aſcetria teſtata eſt, ut

Digitized by Google

nocte quâdam, cum à nimiâ eorum aſſiduitate invalido capiti metueret, ad ſomnum captandum eorundem ceſſationem à Franciſco ipſo precibus impetrare neceſſe habuerit.

In eâ Neapolitani Regni Provinciâ, cui à Moliſiæ Oppidulo Moliſini Comitatus jam olim inditum nomen, Oppidum eſt *Capracotta* dictum. Hìc Aprili menſe anno hujus ſeculi xxxi. Petro Paulo Moſca cum acuta febris vitæ periculum intenderet: nec humanæ artis præſidiis, imò nec fuſis ad Cœlitum plurimos precibus profectum quicquam jam eſſet, extremis morientium Sacris muniendus jam erat. Franciſci huic tamen Iconem ejus Vitæ libro præfixam, ac Reliquiarum pignora opportunè attulit utriuſque Juris Doctor Gerardus Baccarius: ægroque ipſo, & conſanguineis ad recuperandam valetudinis ſpem tanti Viri patrocinio erectis, perpetuùm ægro, ſi revaleſceret, quotidianæ precationis Dominicæ, Angelicæque Salutationis penſum injunxit. Cumque facturum ſe omnia voce, qua poterat, recepiſſet æger, Iconem in fronte libri præfixam cum ſervatis apud ſe lipſanis ei exoſculandam præbuit. Ab eo attactu, ſi minus melioreſcere, non tamen, ut factum ad eam diem fuerat, in deterius ruere toto triduo æger eſt viſus. Eo verò tempore evoluto remittere adeò morbi acerbitas cœpit, ut brevi ſpatio, firmatis ſatis viribus, ſtratum deſerere, paulòque poſt vegetus, ac ſoſpes receptæ per Franciſcum vitæ teſtimonium ſuâ manu ſcribere valuerit, quod publici Tabellionis Liberatoris Janni Chirographo obſignatum Quintili menſe Neapolim tranſmiſit.

Eodem dein anno fluentis hujus ſeculi xxxi. Annæ de Alexio Nonis Sextilis articularis morbus, præter acerrimum omnibus diffuſum artubus doloris ſenſum, alterius brachii uſum omnem ademerat: nec repetitis ad levandam ægritudinem Medicorum fomentis quicquam profecerat. Franciſcum propterea precibus adiit; ejuſque Effigiem affectis partibus admotam ſalubrem adeò experta eſt, ut morbi, ac doloris expers illicò evaſerit. Ad rei porrò mirabilis additamentum, felix hìc Uxoris Annæ ſucceſſus Nicolao Baſile ejus Viro in ſimili calamitate animos addidit; decimoquinto quippè poſt die viſcerum doloribus aſperrimè tortus, cum nec animum noxis, ut optabat, apud vocatum Curionem eluere, imò nec fari intercluſo ſpiritu jam quiret; perſanatæ nuper Uxoris memor ab eâdem Effigie

Digitized by Google

giè fubsidium sibi petere ultimi veluti remedii loco constituit. Prosperè & huic adeò consilium cesit, ut solo ejus Iconis contactu lenito confestim dolore expiare se facilè valuerit; octavâque horæ parte vix dum evolutâ, immunem se omninò dolorıs agere demiratus, in Dei Liberatoris, ac Franciſci laudes gratulabundus eruperit.

Neapoli VI. Kal. Februar. anno XXXIII. propinquæ jam partui Agneti de Arguelles, cum nulla, quæ enixui præstò esset, quæsita licèt, tempori adesset Obstetrix, inexpertæ aliquot è suâ viciniâ fœminæ opem tulere. Ac partu citò edito, cum in extrahendis quibusdam secundarum particulis ex imperitiâ hæ negligentiores fuissent, malè torqueri se experta Puerpera adeò est, ut non longè ab interitu se esse jam crederet. Ad Franciſci proptereà opem ut primùm confugit (quemadmodùm Puerperæ ipsius, triumque aliorum testimonio liquet) ejus Icone utero appositâ periculi, ac molestiæ expers illicò evasit.

CAPUT XI.

Non paucis opem merè implorantibus præstò est Franciſcus.

QUod aliis passim aut Lipsana, aut Imagines, hoc pluribus item aliis, harum rerum vice, Franciſci meritis freta animi fiducia præstitit. Neque enim minorem inire à Deo gratiam sunt visæ, quas tanti Viri virtutum, ac Sanctimoniæ existimatio elicuit preces, quàm quæ ad excitandam vividiùs spem adhibita veluti in obsequii tesseram à multis fuere, seù Iconum, seù usurpatarum ab ipso rerum adminicula.

Hac sanè in re, quàm luculentum, tàm prodigii plenum in Fortunatâ Corelliâ ex Oppido Sancti Georgii Tarentina Diœcesis exhibet documentum. Utriusque Juris Perito Carolo Vagali hæc nupta, quotquot susceperat liberos Franciſci fidei, ac tutelæ noctibus singulis, Dominicæ precationis, Angelicæque Salutationis recitatione præmissâ, permittere consueverat. Cum VIII. Kal. Jun. labentis seculi anno XVIII. eodem partu gemi-

Digitized by Google

geminos, ſexu tamen, & conditione diſpares hæc fœtus edidit. Etenim poſt fœminam enixa & marem eſt, ſed totis liventem artubus, motus expertem, atque Obſtetricis judicio merum cadaver. Sacro Baptiſmi fonte expiari eum minimè potuiſſe, hoc enimverò vehementer doluere Genitores: nulliſque demitigandam lacrimis Pueri calamitatem cum Franciſco veluti expoſtulantes, non tanti eſſe proſperum, quem Matri impetraſſet, niſum conqueſti ſunt, ut æternæ felicitatis diſpendium inde ſubire inexpiatus deberet Puer. Mœſtorum proinde Parentum hoc ſaltem dolori, ac lacrimis daret, ut mortalis vitæ uſurâ tamdiù frueretur ſoboles, donec originis labe elutâ, futura æternùm felix decederet. Ab his ſtatim precibus oculos in deſtinatum tumulo Infantem inter ſpem, ac metum conjiciunt: vividèque ab illo ſpiritum reciprocari, mutatoque in melius colore vitales cieri motus conſpicati, contentâ protinùs voce *Miraculum* ingeminant. Luſtratus ergo ſtatim Sacro Baptiſmi Myſterio Puer, eique in receptæ per Franciſcum vitæ monumentum Franciſci item inditum nomen. Cæterùm majora petitis ab eo ſeſe impetraſſe poſtmodùm agnovere: non enim breviſſimum vitæ duntaxat, ut optaverant, ſpatium redivivo Infanti collatum; ſed vegetis eum adhùc florere viribus, ubi publicas in tabulas referri ad Dei Gloriam tantum prodigium debuit, coram Eccleſiaſtici Fori Judicibus cum Marco Orontio Vagali Sacerdote Caroli fratre, & Auguſtina Mola Obſtetrice XV. Kal. Mart. Anno Repar. Salut. MDCCXIX. jurati aſſeruere. Huic porrò tàm ſingulari beneficio adjectum illud etiam fuit, quod ſibi Octobri menſe accidiſſe teſtata eodem inſtrumento eſt hujuſce Pueri Mater Fortunata. Compellari ſe intempeſtâ nocte inter dormiendum hæc ſenſit: ac ſomno excita ſoporati Viri brachio pueruli vultum non ſine ſuffocationis periculo premi ad accenſæ in cubiculo lampadis lumen animadvertit. Ad avertendum Filii proinde infortunium, nonniſi à Franciſco ſe vocibus illis admonitam rata, impetratam haud pridem Puero vitam tueri eum pergere interpretata eſt.

Illuſtre pariter in eodem genere hoc aliud eſt. Octavius Comes Bayardus Patriciâ Familiâ Parmæ in Inſubriâ ortus, ibique tùm Cathedralis Ædis Præpoſitus, tùm piæ Civium Sodalitatis Rector, attritis, quæ interioris literaturæ hominum ſors eſt, nimiâ ſtudiorum voluptate non adeò per ſe validis corporis viribus,

Digitized by Google

bus, ſpirandi difficultatem, ac lethalem anhelitum in pectore, ac pulmone è non intermiſſo illo diſcendi ardore contraxerat. Cui morbo abigendo dum irritâ ſemper operâ ſe diù infudaſſe animadverterent Medici; ſulphurei, quod ſalubre Puteolis in Campaniâ eſt, Cœli experiundi Auctores ei demum fuere. Paruit quidem, ſed malo ſuo hinc Octavius didicit, ex incertis Archiatrorum conjecturis fieri non rarò, ut in ægrorum perniciem remedia ipſa vertantur. Suo certè pectori nil ſulphure nocentius expertus reapsè hic fuit: ac niſi perquàm incommodum affecto corpori ſulphureum eum agrũ præproperè declinaſſet, exitiales ſuæ vitæ Puteolos fuiſſe certiſſimè doluiſſet. Neapolitanâ exinde morâ relevari nonnihil eſt viſus: ſed tamen promota hiemis eo anno præter morem rigidæ inclementiâ uſque adeò vincere recrudeſcentis morbi vis cœpit, ut ſpiritu intercluſo extremos jam anhelitus ducere æger ſibi ipſe videretur. Jamque ex Olivetani, in quo degebat, Cœnobii Monachis adeſſe morituro ſibi unum aliquem voluit, à quo ſupremis Eccleſiæ verbis ad extremam luctam confirmatus piorum Hominum more decederet. Pium verò officium morienti dum quidam ſedulò exhibet Monachus, ex occulto inſtinctu Franciſci de Hieronymo ei nomen inſinuat: adire hunc precibus ne moretur: in maximo illo vitæ diſcrimine felix, fauſtumque imploratum id ei nomen fore. Non tùm primùm hæc ab Octavio audita: eadem ferè ex Parmenſi Aſceterio Franciſci virtutum, ac Sanctimoniæ famâ excita opportunè ad eum jam ſcripſerat Soror. Acceptis proinde literis congruere Monachi voces ſecum reputans; *Quid hominis Franciſcus fuerit?* cupidè explorat. Vix verò de præclarè ab eo in vitâ geſtis, de ſecutis obitum frequentibus prodigiis à Monacho ſummatim audiit; cum ſubitò, ſeù arcendæ mortis cupiditate, ſeù auditarum rerum admiratione permotus, mutatâ protinùs mente, tacitis ſecum votis Franciſcum ex animo invocat, ejuſque ſe fidei ex toto permittit. Mirum verò dictu! Nonniſi has preces, ut penè reluctanti morem gereret, expectaſſe eſt viſus Franciſcus. Jacentis quippè oculis obrepens repentè ſopor ad tres circiter horas tenuit, ac lethalem illum pectoris anhelitum ità diſcuſſit, ut redditas ſibi vires evigilans expertus æger, famulo evocato veſtes ſibi ad ſurgendum porrigi actutùm petierit. Inexpectato perculſus imperio, extremum Heri delirium eas voces eſſe ſub-

veri-

Digitized by Google

veritus, timidè ei paruit Famulus. Iis verò extemplò indutus, à lectulo, imò ab interitu adhùc recens, ne virium periculum ſtatim temerè faceret, cubiculo eâ ſe luce continuit Octavius. Cæterùm poſtridie in ejuſdem Cœnobii Ædem ad Aras, quibus ſeptem eum menſium ſpatio pertinax abſtinuerat morbus, litare vegetis ſatis viribus valuit: confirmatiſque, qui membra nudiustertius haud ſuſtinebant, poplitibus, perendie è Neapolitano Montis Oliveti Cœnobio ad longè d'ſjunctam Sancti Joannis *ad Carbonariam*, ut dicitur, Auguſtinianorum Ædem nullo pectoris, ac membrorum incommodo pedes iter inſtituit. Hæc Franciſci beneficio ſoſpes priori eo triduo Octavius. Nec minora trimeſtri, quo deinde Neapolim incoluit, ſpatio. Nam poſteaquàm ad Neapolitanorum pleroſque rem pertulit rumor, magni prodigium diſcere cupientium concurſus ad eum facti; ut innumeris exinde quà notis, quà ignotis receptæ à ſe mirabili ratione valetudinis hiſtoriam minutim retexere quotidie penè debuerit; quin ipſum tamen, recentis beneficii memoriâ in Franciſci laudem per ſe ſatis pronum, ad celebrandam optimè de ſe meriti Hominis Sanctimoniam iterùm, atque iterùm excurrere unquàm piguerit.

Morbis non minùs, quàm remediis diù Nolæ conflictatus Juris utriuſque Doctor, ac Romanus Sacerdos Vincentius Andreas Groſſettus ulceribus ſub ſcroto adhibitum pluries exciſorium ſcalprum nec geminæ fiſtulæ lotium guttatim reddenti, nec plurium annorum ſtranguriæ opis quicquam tuliſſe animadverterat. Suâ igitur patientiâ abutentium Medicorum averſatus artem, Franciſci unius curæ ex toto ſe commiſſum voluit. Auguſtâque Triade precibus quotidie ſalutatâ per Franciſci virtutes, ac merita deprecari à ſe moleſtam tot morborum congeriem inſtituit. Nec irritas cecidiſſe preces ſenſit; nam VI. Id. Mart. anno hujus ſeculi XXI. ſeſe morbis omnibus biennio ante ſolutum Franciſci beneficio fuiſſe coram Nolano Antiſtite Franciſco Carafâ, cui à Secretis erat, juratus in gratam memoris animi ſignificationem aſſeruit.

Dimidiâ corporis parte ex vehementi Apoplexiâ ſtupidus, LII. ætatis anno Carminus Sarnella lignorum affabrè cælandorum Artifex, ne mendicitatis probrum ſuſtinere perpetuò debilis cogeretur, curatam fruſtrà à Medicis valetudinem aut citò ſibi per Franciſcum reddi, aut præproperum interitum ejus loco

pre-

Digitized by Google

precabatur. Adire invocati Hominis tumulum per se cum morbo præpeditus nequiret, Annam de Gaudio Uxorem, & Victoriam Sarnellam Sororem eò misit, quæ voti sui summam suo veluti nomine eidem exponerent. Vanas effundi preces initio est visum. Nam XIII. post die, recrudescente morbi vi, ter eâdem luce repetito Apoplexiæ assultu lectus æger fuit; eamque ob rem in Insanabilium Nosocomium ductus, supremisque ibi morientium Sacris ex Medicorum imperio expiatus haud procul ab interitu aberat. Non tamen animum ob hæc despondens, præstòque sibi tandem aliquando Franciscum fore confisus, in implorandâ ejus ope ardentiùs perstitit. Certè se voti compotem factum suæ hic constantiæ debuit: sensim quippè remittente morbi sævitie, membrorum stuporem, ac segnitiem excussit. Quare incolumis, ac valens è Nosocomio ad suæ Artis opificium octavo die rediit. Quod publici Tabellionis Januarii Caputi manu coram rogatis testibus Francisco se acceptum referre testatus est.

XIII. Kal. Quintil. anno Rep. Sal. MDCCXXI. Celennam in Valle Frentonis, seù *Celentiam* de *Valfortòre*, ut vulgò nunc loquimur, dum Equo contenderet Antonius de Flore Neapolitanus, evidens in itinere vitæ periculum adiit. Etenim in imæ Vallis transitu capite in terram prono, ac pedibus clitellarum funi implicitis proruens, cui insidebat, Equus Vectorem suum mole corporis premere non sine manifesto vitæ discrimine jam cœperat. Enimverò non casu, sed mali dæmonis fraude id calamitatis huic homini obvenisse suspicatus ex eo est, qui præsens deinde adfuit Michael Fusarius Sacerdos, & *Carlentini* Curio, quòd excussum ex Equi pede ferrum saxi instar fundâ librati in altum exilire conspexerit. Quid faceret humi afflictus, superjacentis ut belluæ molem à se excuteret, Antonius? Aliud cum non succurreret, *suppetias*, *Confessionem* exclamare continuò cœpit; *Tuam unius nunc*, *Francisce de Hieronymo*, *in tam præsenti periculo opem imploro*; *tuæ me Fidei prorsùs commendo*. Ad has miserè ejulantis voces cum memoratus Carlentinæ Paræciæ Sacerdos citatis gressibus accurrisset; subtrahi hujus operâ ab imminenti jactantis circumquàque se Equi pernicie valuit Antonius. Testatusque deinde uterque publicè est, Franciscì duntaxat beneficio depelli ab infelicis Antonii cervicibus periculum illud potuisse.

Neapolitanus Sacerdos, Regiique Sacelli Administris adscri-

ſcriptus Romualdus de Arcos anno à V. P. MDCCXXI., ineunte Aprili, lethalis Stranguriæ tolerandis doloribus jam penè impar, Franciſci præſentiâ imploratâ, & relevari ſe ſtatim, exindeque ejuſdem morbi moleſtiâ, & cruciatu ſe haud unquam tentatum expertus eſt.

Romæ etiam illuſtris Præſul Caſalius, quo excruciabatur, morbum implorato Franciſci patrocinio fugatum ſenſit. Quæque ibidem Puella cibum ex morbo regerere conſueverat, retinere eâdem ratione incolumis non aliter valuit, quàm conclamatus eâdem in Urbe ex obſtinato ſanguinis, ac ſaniei fluxu Puerulus quidam, cui attactus Franciſci ſanguis vitam, atque incolumitatem reſtituit.

Memorabilius Neapoli hoc aliud. Nobilem ex Ardizzonâ Familiâ Fœminam de ſtatu mentis dimotam, ne impotenti æſtu in ſuam, aliorumve perniciem fureret, pedicis coercere neceſſum fuerat. Simul verò à domeſticis Franciſco commendari enixiùs cœpit; furere, ac deſipere eam deſiiſſe teſtati ſunt Nobiles Viri Bernardus Bermudez, & Joſeph Ardìa.

Anno præterea fluentis ſeculi XXXII. *Francolini* in Ferrarienſis Diœceſis Pago, Margaritam Caroli Antonii Bologneſii Uxorem cum lethalis morbus ad procurandum Supremis Myſteriis animum adigeret, humani ſubſidii ſpes eò apertiùs deſtituerat, quòd coſtarum dolore, ac pectoris inflammatione jam morbo ſuperadditis ad vitæ metam urgeri ſe perſentiſceret. Deſperatâ itaque in re ad Franciſci opem Viri ſuaſu confugit. Ejus proinde reliquias à Ferrarienſis Collegii Procuratore P. Bererio ad ſe quantocyùs ſubmittendas curavit. Cum tamen in iis inquirendis operam ſe luſiſſe reſpondiſſet Bererius; nil eſſe addidit, cur ob hæc Ægra animo caderet: auctâ impetrandæ opis fiduciâ æquè ei poſſe conciliari Franciſcum. Et conciliatum reapsè experta brevi ipſa eſt, meliùs extempiò habens: nec multò poſt optatæ valetudinis compotem eam fuiſſe teſtatus cum Margaritæ Viro pariter eſt Francolini Curio Joannes Tiſius.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XII.

Imperium in malos Dæmones, in Elementa, aliasque inanimas res exercere post obitum haud cessat Franciscus.

HAc etiam laude, quam agenti adhùc inter mortales Francisco collatam divinitùs fuisse alibi patuit, extincti, seu spolia, seù Icones florere Deum benignè jussisse haud mirum legenti cæteris in rebus, opinor, fuerit. Quod ad malos Dæmones attinet tamen, novum id fortasse alicui ex eo videatur, quòd cum eorum nequitiâ, & fraudibus quemadmodùm pro hominum animis semper, ità pro aliis rebus aut nunquam, aut perquàm rarò commissum in vitâ videre licuerit Franciscum. Infernos tamen hostes ex hac etiam parte post mortem ei debellandos præmii loco Deum tradidisse hæc potissimùm edocent.

Miserrimam quadriennio vitam Cryptaleis egerat Leonarda Antonia Nucaria Francisci Hispani Uxor. Ab inferno siquidem hoste obsessa pessimi hospitis quà fraudibus, quà odiis fermè quotidie patebat. Furiis identidem acta in horrendos ululatus erumpere, corpus humi miserè affligere, in capillum involare, brachia rabidè mordere, aliaque hujusmodi edere non domesticis minùs, quàm viciniæ horrifica, ac permolesta. Solennes Exorcismi, aliæque id genus Religiones ad eam levandam pluries quidem, sed frustra adhibitæ: ejus nimirùm liberatæ decus Francisco, quem in Cœlum eo ipso anno vocaverat, reservatum voluit Deus. Thomam igitur germanum Francisci fratrem, eundemque Cryptaleis Curionem, sub vesperum hæc adiit; eique calamitatis suæ ordinem, ac rationem sedatè quidem, sed non sine lacrimis exposuit. Hujus verò labori ut præsenti aliquo amuleto consuleret Thomas, Francisci vestem, ac telam sanguine perlitam lipsanothecâ inclusas ejus corpori admovit. Eum tamen attactum tentare vix Mulier voluit; cum humi re-

Digitized by Google

pentè collapſa inſueti ululatus, efferatique ſtrepitus terrore vicinorum incolarum animos implevit. Admotis tamen fruſtrà obluctanti reliquiis effici illud denique valuit, ut ad ſe rediens ægra & ad eas exoſculandas non invita accederet, & Cœleſtem odorem in his ſe percipere pacatè loqueretur. Simili proinde veſtis ſegmento, ac papyraceâ Franciſci Effigie à Gurione donata domum ſe retulit Mulier: ubi totos viginti menſes nullis improbi plani furiis exagitata, pacatiſſimè ævum traduxit. Eo verò tempore jam circumacto, Idib. Sextil. anno Repar. Sal. MDCCXVIII. dum abſente Viro ſola domi manè agit, ingreſſam ad ſe fœminæ alterius ſpeciem videt, à qua dum ſe pugno in lumbis percuſſam ipſa conqueritur, vehementis, nec vani ictus fidem livor facit. Priſtinæ hinc domi turbæ, veteres intemperiæ non ſine familiæ dolore inſtauratæ. Imò in reducis Viri fauces dirè involans, ni acciti improviſo ſtrepitu domeſtici periculo occurriſſent, indubiè eas eliſiſſet. Interea loci novâ mali Dæmonis fraude hæc Neptem moliri arbitrata Tereſia de Palude ejus Amita, Dominicâ precatione, & Angelico Ave ter cum domeſticis recitato, Franciſci Imagine furentem fœminam attactum adit. Proſperèque adeò conſilium ceſſit, ut ad æſtus illos perpetuò compeſcendos, ſtygiique veteratoris conatus in poſterum eludendos nullâ aliâ re, præter Franciſci Iconem cum precibus adhibitam, opus fuiſſe patuerit.

Cryptaleis item Catharina Romana ſimilibus ab humani generis hoſte intemperiis exagitari credita, cum acriter vexatum pedis pollicem quodam die doleret, ubi affectam partem extractâ è Franciſci Confeſſionali Subſellio aſſulâ tangi ad doloris levamen ſenſit; morbi depulſorem repentè faſſa, his in eum verbis invehi audita eſt; *Quid huic Seni mecum? Abire me hinc jubet: feſta ejus dies hodie agitur*. Verèque tertia Maji menſis Dominica lux recurrebat, quam Sancti Martyris Cyri obſequiis jampridem, ut dictum alibi eſt, ipſe dicaverat.

Illuſtrius longè hoc aliud eſt, quod anno hujus ſeculi XXVII. Februario menſe in noſtro Sulmonenſi Collegio accidiſſe nunciatum Neapoli eſt. Dum Sanctiſſimis Adoleſcentibus Aloyſio Gonzagæ, & Stanislao Koſtkæ in Sanctorum Cœlitum album à Benedicto XIII. relatis feſtam gratulationem memoratum nuper Collegium inſtitueret; ingentes in Cellâ vinariâ per noctem exauditi ſtrepitus malorum Dæmonum eo in lo-

co

eo præsentiæ Patribus fidem eò magis fecere, quòd eos haud ità pridem ex aliâ Collegii parte precibus, atque Ecclesiæ Exorcismis abactos à se fuisse meminerant. Ad eos igitur ex eo etiam subterraneo domus angulo exturbandos institutâ supplicatione, imploratâque per Litanias Virgine Deiparâ simul ac processere; ex oppletis vino doliis alborum, eorumque ingentium saxorum imbrem in se jaci, innoxio quidem ictu, non tamen sine metu conspexere. Cum verò nec Exorcismis, nec affixâ doliis utriusque Divorum Juvenum Imagine pessimorum tenebrionum rabiem frangi quidam è Patribus observasset, ita iis elatâ voce comminari aggressus est; *Benè est*, inquit; *ejus modò Iconem ad Cellæ hujus fores affigam, quem jurata in vos odia in omni vitâ exercuisse affatim nostis*. Franciscum his verbis innui notiùs nocturnis Lemuribus jam erat, quàm ut expresso ejus nomine opus foret. Eum proinde esse, cujus causâ nec in subterraneo specu pro libito turbare ipsis postmodùm liceret, acriùs indignati; arripiendam inde ejus imperio fugam aucto in immensum strepitu, evibratisque majori copiâ lapidibus extremùm ulcisci volvere. Sed tamen ab affixâ ibi Franciscì Imagine, quartus, dum hæc scribo, jam volvitur annus, quin tamen in toto ejus Collegii ambitu ullum infernorum hostium strepitum à quopiam exaudiri unquàm contigerit.

Obsequium quoque Francisco post mortem Elementa præstitisse non semel comperio. Cryptaleis anno à V. P. MDCCXIX. dum VI. Id: Maj. recurrens annua S. Cataldi præcipui Tarentinorum Patroni lux dispositis missilium ignium machinis noctu de more celebraretur; evolans è ligneâ mole pyrobolus in Sanctæ Claræ Ascæterium fortuitò impactus invectos illùc quadraginta carris sarmentitios fasces in Ascæterii ejusdem solario repositos, inobservatis flammæ incrementis, repentè tandem incendit. Conflagraturum brevi temporis spatio cum clausis ibi Matribus locum eò evidentiùs est visum, quòd vento flammis obsecundante per amplam, atque patentem ambulationis fenestram torrentis instar in communem perniciem irruere solutior flamma jam cœperat. Pavore igitur, ac miserrimi exitii horrore exanimatas Ascetrias cum consilium jam omne deficeret; earum cuidam, cui Theodora Gravina nomen, opportunè injecta Franciscì recordatio illud effecit, ut in Odæum procurrens refixam inde è pariete ejus Effigiem fidenter flammis opponeret;

præ-

præſentem interim ejus tutelam his verbis precata; *Nunc, ſi unquàm aliàs, huic tuarum Civium cœtui adſis oportet, Franciſce. Quid enim? Benignè impenſam in exteros opem tuis modò Civibus ſeverus ut abnuas?* Mirum profectò dictu! Objectam eam Imaginem reveritæ, non ſolùm in adverſum extemplò retroagi cœpere flammæ: ſed, cum bis Iconem incendio opponere intermiſiſſet Theodora, bis inſtauratis viribus ad populandum violentiùs Aſceterium irrumpere gliſcens iterùm conatus eſt ignis, quò depulſorem indubiè indicare videretur ſuum. Hoc ubi ex alternantibus flammæ vicibus conjecit Theodora, erectâ in altum Effigie tandiù perſtitit, donec ponente Zephyro, flanteque in adverſum Euro, extrà Oppidi muros Franciſci imperio abſcedere, nec ullam Sacris Deo Virginibus minitari ampliùs cladem ſæva illa incendii pernicies eſt viſa. Nec mirandum minùs Aſcetriarum quibuſdam in ſolarium paulò poſt egreſſis illud prætereà apparuit; quòd accenſos virgultorum faſces extrà Oppidi murum projectos abſque ullius periculo procul ardere obſervarunt, quin tamen, quâ manu, vel quâ ratione factum id foret, patere ullatenùs poſſet. Quæ omnia cum defunctæ periculo Matres non ſine lacrimis animadverterent, inſigne Dei beneficium Franciſci meritis acceptum referre, illudque publico teſtimonio coràm Apoſtolicæ Sedis Libellione juratæ afferere non dubitarunt.

Pari eum honore, ſedatis fluctibus proſequi viſum eſt Mare. Validiori, quàm voluiſſet, vento actus Meſſanâ Neapolim pervenerat Andreas Ametranus Navarchus. Hìc verò vel in portu ejuſdem venti vi collidi inter ſe naves conſpicatus, onerariæ ſuæ aliis obſoletiori cum non parùm metueret, Franciſci reliquias funiculo religatas à Joanne Filio in fluctus dejici juſſit: eoque vix facto, ſubſidere ventus, ac ſedari tempeſtas illicò cœpit.

At verò nedum in aquas, verùm in alias quoque res Franciſci imperium ex hoc alio apparet. Serini, in admodùm celebri Principatus Ulterioris Oppido, Virginum Collegium eſt ſub Sancti Franciſci Regulâ Coronatæ Deiparæ Sacrum; ac, ſi minùs ullâ aliâ re, duobus certè Franciſci prodigiis nobilitatum. Ejus etenim nomine, ac famâ hùc etiam allatâ, cum Sextili menſe, anno MDCCXXVI., capaciſſimo in dolio vini annonam omnem verſam in acetum eſſe compertum iis Virginibus eſſet, nec

niſi

Digitized by Google

nisi post Autumnales vindemias ei malo occurri ullâ ratione jam posset; injecta earum quibusdam mens est, Francisco precibus conciliato corrigi eum vini acorem facili negotio posse. Nec eas decepit opinio: loci enim Antistitâ Catharinâ Maffeâ, ac Cellæ vinariæ Curatrice præsentibus ad affigendam dolio extincti Senis Imaginem supplices perrexere. Quo facto cum ad explorandum rei exitum postridie conveniissent; non fugiens, sed optimæ notæ vinum dolio contineri obstupuere. Eoque postmodùm per eos menses usæ, nedum vinum, sed fæces ipsas gustatu non insuaves fuisse prædicarunt. Patratum porrò hoc in vino prodigium experiendæ iterùm in ingenti aquæ penuriâ Francisci opis proximo Septembri spem eis ingessit. Exsiccatis quippè per æstivos calores tribus Parthenonis puteis necessariam aquæ copiam aliundè, nec sine ingenti incommodo, quæritare quotidie opus habebant. In aquam proinde Francisci virtutem protensum etiam iri non diffidit Antistita: conceptisque iteratò precibus tenue ejus vestium præsegmen filo suspensum in unum è puteis demisit. Nec dissimilem priori res exitum habuit. Intempestivæ enim frigidæ copiâ redundare adeò is puteus cœpit, ut hiemem, atque imbres eo anno optare minimè debuerint.

Affinia his penè memorat illustris ille Nobilium Fœminarum Secessus, qui à Nobili Matronâ Mondragonii Duce Neapoli nomen accepit. Non uno quidem Beneficio post obitum inclaruit ibi Franciscus. Nam telâ ejus sanguine imbutâ se Aurelia de Ebulo acerbissimo dentium dolore, rursùmque pedis tumore solutam vidit. Bis colicum dolorem eodem amuleto Josepha à Cordubâ; nec aliter Agnes Vulcana aurium vitium, molestum animi angorem Anna Sanfelicia, Hemicraniam, ac pedis ulcus Antonia Sifola discussit. Præter hæc tamen privatis ipsarum testimoniis nixa, patratum olim in Sanctæ Mariæ Ægyptiacæ Asceterio prodigium renovari apud ipsas nihilò minori admiratione per Franciscum est visum. Anno labentis seculi XXI. putrescere, ac nigrum colorem ducere ab ingressis in horreum Curculionibus fædè adeò triticum cœperat, ut domesticorum Altilium, nedum hominum usui, ineptum jam esset. Collatis proinde in commune consiliis Francisci duntaxat præsidio occurri ei malo posse tùm Matronarum prudentioribus, tùm Gynecæi Procuratori Alexandro Lubello Sacerdoti est visum. Nec morâ interpositâ in horreum progressæ, Augustâ ibi

Tria-

Triade ter ſalutatâ, ac Dominicâ prece cum Angelico Ave ter itidem recitatis, Franciſci hoc meritis dari enixis precibus poſtularunt, ut ipſius tutelâ, ac patrocinio priſtinum colorem, ac vires putredinis jam expers frumentum ibi reciperet: ejuſque Effigie, ac lipſanis in horreo relictis, perinde ac re in tuto poſitâ, abſceſſere. Nullâ verò re corrupti tritici damno proſpici meliùs potuiſſe ex eo eſt agnitum, quòd non ità poſt multò ubi palâ, & cribro illud purgarunt, nedum priſtinam bonitatem recipere, ſed longè meliùs quàm anteà flaveſcere, ac præter ſpem in horreo exuberare illud conſpexerint.

Levius incommodo hoc aliud, ſed prodigio æquè, ac ſuperiùs mirabile. In Sanctæ Mariæ Ægyptiacæ Majoris Aſceterio exſiccata in Sole Pruna putredine, ac vermibus paſſim ſcatere domeſticæ adjutrices duæ, Clara à Sanctiſſimo Sacramento, & Margarita à Jeſu non ſine mœrore deprehenderant. Sed freta Franciſci patrocinio Clara ejus Icone ſuperpoſitâ depulſum è Prunis vitium illud iri ſperavit. Nec piam in irritum cecidiſſe induſtriam poſtero mane ſuſpexit: ad exploranda enim Pruna ubi cum Socia rediit, abactos inde vermes, omnemque putredinem adeò ſublatam vidit, ut toto eo anno Aſcetriis ea uſui eſſe potuiſſe gratulata, miri hujuſce eventus coram legitimis Quæſitoribus teſtimonium publicè dixerit.

Firmatum præterea multiplici teſtimonio hoc aliud reperio, quod in Gynecæo, cui *Sancta Maria Viſita Pauperes* Neapolis nomen dedit, accidiſſe perhibetur. Ibi, quòd panem conſuetum parciùs quotidie ſingulis dividi malevolè quædam vulgaſſent, ingens totius cœtus odium ejus avaritiæ causâ contraxerat, quæ panificio præerat, Chriſtina de Flore. Non enim viginti, ut anteà, ſed ſexdecim unciarum pondo panis quadras ab ipsâ diſtribui calumniabantur. Ac re loci Præfectis fœmineo aſtu clàm delatâ, in eo mane quodam fuit Chriſtina, ut fraudis comperta debitas tanti criminis pœnas daret. Ad explorandam quippè rem in Gynecæum ii aliud agentium ſpecie ingreſſi, quanti reverà ſinguli panes penderent, libra experiri jam deſtinaverant. Nunciatum id nil tale opinanti Chriſtinæ à Puellis quibuſdam vix fuit; cum famæ jacturam verita, ad Franciſci opem in improviſo illo metu his verbis confugit; *Cujus inſimuler noxiæ, è Cœlo jam vides, Franciſce. Per illam ego te, quâ homines complexus es, benevolentiam, oro, obteſtor*

storque, ut quò testatius innocentiæ meæ documentum hodie extet, non viginti dumtaxat, sed duas insuper uncias singuli pendant panes. His porrò precibus extemplò obsecundasse visus est Franciscus: non enim sexdecim, ut nequiter jactabatur, sed duas suprà viginti uncias appensi in tantum exhibuere panes, ut inconsultæ profusionis potiùs, quàm nimiæ tenacitatis damnanda Præfectis videretur Christina. Et sanè irrogandam sibi propterea mulctam haud ea effugisset, ni re ordine expositâ, ad propulsandam calumniam optasse se quidem; cæterùm non suâ, sed Franciscì operâ graviorem in trutinâ panem eo die apparuisse testata palàm fuisset.

Nihilò minor ex alio hoc prodigio admiratio, ni falsus animi sum, legentem incessit. In Regali Collegio, quod *S. Mariam à Caritate* Neapoli appellant, parandum ad vespertinam Virginis cujusdam cœnulam suo tempore piscem cum Francisca Santoro Collegii Famula negligentiùs custodisset, subreptum è coquinâ Feles, pluribus rem procul spectantibus, in solario voraverat. Id sibi non impunè fore cum Famula non ex vano conjiceret; quot sibi pro vorato pisce vorandæ vicissim eo die imminerent ærumnæ amicæ sibi Virgini Archangelæ de Simone non sine mœrore, ac lacrimis dolens exposuit. Miserata verò hæc negligentis fœminæ angorem, his pro eâ verbis, qui primus menti occurrit, Franciscum precari fidenter occœpit; *Solari in vitâ miseros tuum semper fuit, Franciscè: hujus quoque doloris levamen ut afferas, per tuam te virtutem nunc Cœlo receptum oro, obtestorque.* Annuisse his precibus humaniter Franciscum omnium oculis non multò post patuit: subreptum quippè, imò voratum interdiù piscem procurrens in ipsum Archangelæ ambulacrum Feles integrum, atque esui idoneum humi deposuit. Prodigio id non vacare repentè ibi exclamatum: reque diligentiùs deinde exploratâ, inter Franciscì mira referendum id omninò esse datis publicè literis censuere.

A foco, ut ajunt, & folle recens hoc aliud est, quod hactenùs scripta Typographis traditurus jam mihi de coercito Franciscì Icone incendio missæ Tarento literæ novissimè nunciarunt. Eâ igitur in Urbe, in eâ Minorum, quos *Conventuales* vocant, Cœnobii parte, quæ dextero Odœi respondet lateri, duplex Conclave est, quà ad dicatum Conceptæ fine labe Virgini Sodalitium ascenditur. Ingentibus armariis, quæ li-

Digitized by Google

gneam Templi, ejuſque Sodalitii ſupellectilem cuſtodiunt; refertum utrumque Conclave eſt; nihil ut tàm ingenti materiæ igne infeſtius eſſe latere neminem poſſet. Sed tamen eo domicilio ad habitandum conceſſo parùm cautè uſus Civium quidam, ætate non minùs, quàm ærumnis hebes, VIII. Id. Quintil. hujus, quod labitur ſeculi, anno XXXIII., quem fictili in foco accenderat, ignem uni ex interioris cubiculi armariis cubitum diſceſſurus noctù ſuppoſuit. Excitatum illicò, homine interim arctè conſopito, in idoneâ materiâ incendium: exuſtæ intùs fores, abſumpta item feneſtra: ut jam non exteriori duntaxat cubiculo, ſed toti viciniæ vaſtitas ab igneo torrente immineret. Inſolito fragore expergefacti Cives, gliſcentiumque flammarum è maligno lumine violentiam conſpicati, incondito clamore ad Cœnobii fores extemplò accurrunt; inopinati, quod jam Cœnobio, atque Urbi inſtaret, exitii inſcios adhùc periculi, utpotè ex adverſo latere poſitos, Patres admonent. Evigilant hi: at in ſubitâ re conſilium jam iis omne metus abſtulerat. Conflagraturum mox cum Odæo Templum nonniſi tignis, ſcandulâ, atque arundine tectum jam vident: de adornandâ ideò ad tuendam vitam potiùs fugâ, quàm de reſtinguendâ eâ peſte nimiâ formidine penè exanimes cogitant. Adfuit tamen inter eos Tyronum Magiſter Joannes Baptiſta Barberius, qui è lectâ nuper Franciſci Vitâ extincti anno ſeculi XIX. Cryptaleis per ejus Iconem incendii memor, papyraceam, quam in Conclavi habebat, ejuſdem Viri Effigiem è pariete refigit: pro ejus reliquiis, quæ in ancipiti eo diſcrimine præ manibus haud fuere, Venerabilis è Seraphicâ Familiâ hominis Joſephi à Cupertino veſtis præſegmen arripit: imperatoque, ut ter Dominicâ prece, Angelico Ave, conſuetoque Gloriæ Hymno dum Auguſtam Trinitatem ſalutant, per Franciſci merita Tyrones ſui Unius, Trinique Dei pacem expoſcant; in furentes flammas audacter eâ fiduciâ armatus irrumpit. Dein Franciſci invocato nomine ex conflagrantis domicilii limine in flammeum eum vorticem ejus primò Effigiem, mox etiam Cupertini reliquias projicit. Dictu verò mirum, viſuque! Recta inter flammas in Conclavis pavimento tres ampliùs palmos incedere Imago viſa eſt, humeriſque in parietis angulum ignem propellere. Retroagi hinc ſtatim ejus veluti Imaginis imperio repulſum, atque in interioris Conclavis latus contrahi; imò nec ſuborto in-

Digitized by Google

interea vento vires resumere incendium est visum. Conflagravit quidem inter eas flammas, suscepto veluti in se damno, cum Josephi reliquiis Francisci Imago; grassantis tamen jam undequàque incendii victrix restinguendæ aquâ, injectâque humo immanis ejus pestis facilem accurrentibus operis aditum præbuit. Hæc memoratus nuper Seraphicæ *Conventualium* Familiæ Sacerdos Joannes Baptista Barberius suis se spectasse oculis ad augendam Francisci gloriam juratus asseruit.

CAPUT XIII.

Animorum etiam saluti vel post mortem prospicere pergit Franciscus.

ANimorum etiam morbis mederi eum morte obitâ prætereà perrexisse, mirum iis tantùm, opinor, fuerit, qui constans, ac perpetuum, quod inter mortales versatus prætulit, alienæ salutis studium in eo refrixisse; aut, contrà quàm Sacræ docent Literæ, caritatem excidere unquàm posse sibi per errorem suaserint.

Hac sanè in re mirabilia omninò sunt, quæ Sacerdos quidam exhibuit, documenta. Morituro jam homini criminibus, ac nequitiis jamdiù obnoxio supremam navare operam hic olim debuit. Eum verò ex inolitâ peccandi consuetudine difficilem adeò, ac durum est nactus, ut de imminenti exitu non semel admonitus criminum Confessioni vacare impudenter, ac liberè detrectaret. Precibus cum eo primùm, dein etiam minis est actum: nec tamen ad saniora consilia traduci se passus est: adeò in scelere animum obstinaverat. Mali Dæmonis fraude hæc agi ratus Homologeta, Francisci lipsana cum secum ferret, imperandum Tartareo hosti ejus nomine censuit, ut ab obdurando miserrimi hominis animo protinùs absisteret. Nec vanum imperium illud fuisse agnovit statim; exclamantem enim ægrum his verbis audiit; *Apage hinc tot Canes, qui in æternum detrudere ignem me miserum moliuntur*. Instaurare igitur imperium ardentiùs perrexit Sacerdos; nec fructu consilium caruit: attonitæ siquidem

Digitized by Google

mentis veluti ſtupore diſcuſſo ad ſe æger rediit, ſeque Homologeſeos apprimè cupidum prodidit. Quâ ritè peractâ toto, quo ſuperfuit, octonûm dierum ſpatio, nullis ut anteà vexatus inſidiis, piè, pacatèque mortem oppetiit.

In Neapolitano prætereà Inſanabilium Noſocomio ſortitus hic idem Homologeta ægrum alium eſt graviter quidem corpore, ſed animo longè gravius laborantem: quippè qui diſſimulatis ex turpi metu in Confeſſione criminibus onerare ſe ſacrilegiis peſſimè conſueverat. Levare hunc ingenti eâ ſarcinâ aggreſſus, cum beneficium invito ſe nequicquam obtrudere doleret Sacerdos, id ſolùm ab infelici ægro demum extorquere valuit, ut Franciſco, Transfixæque Doloribus Deiparæ Virgini ſalutem eo die commendaret ſuam: poſterâ fortaſsè luce, imploratâ è Cœlo ope, ejus animum in tuto poſitum iri. Non irritas verò imperatas ei preces fuiſſe poſtridie patuit: ad eum quippè, ut receperat, regreſſus Sacerdos volenti aures præbuit: eumque anteactæ vitæ noxis omnibus expiatum non ſine Chriſtianæ Pœnitentiæ ſignificatione extremum diem claudere gaviſus eſt.

Præter hæc pii cujuſdam Sacerdotis animum fœdis urgere ſtimulis invitum libido cœperat: nec ſuſceptis ſpontè ſuppliciis, aut oblatis precibus reſtingui contumax incendium poterat. Eundem hic Homologetam de periculi ſui remedio fortè conſuluit; à quo non inane præſidium ab Intemeratâ Dei Parente operiri ſe poſſe audiit, ſi per eximiam, quâ Franciſcus floruit, corporis, animique munditiem, tantæ Virginis patrocinium ſibi conciliare ſatageret. Imperata exequi Sacerdos minimè diſtulit: ſuiſque favere precibus Cœli Reginam proſperè adeò ſenſit, ut, fœdis imaginibus ex animo prorsùs abactis, nullis ad libidinem illecebris ſe poſtmodùm allici Deiparæ, ac Franciſci patrocinio paſſus fuerit.

Illuſtrior alia hæc advenæ Adoleſcenti procurata à Franciſco animi ſanitas. Neapolim hic olim advectus, indolis ut erat per ſe non malæ, Cœnobio cuidam locatam ſuam, quam callebat, Sutoris operam voluit, quò inibi à liberiorum hominum commercio ſemotus piè, honeſtèque ævum tranſigeret. A quotidiano tamen labore feſto quodam die feriatus, dum Urbem minùs cautè obambulat, obvium, in quod incidit, ſcortum deperire infelix miſerè adeò cœpit, ut divelli ſe ab eo unquàm poſſe neuti-

quàm

Digitized by Google

quàm crederet. Sceleris verò conscientiâ tactus viventem tunc adhùc Franciscum adiit, à quo & comiter de more exceptus, & Sancti Cyri reliquiis attactus, fædæ consuetudinis laqueo expediri ex improviso animum sensit: contractis proinde criminibus expiatus ad pristina innocentis vitæ consilia mentem traduxit. In Patriam exinde profectus, in libidinis pedicas denuò sese eò turpiùs induit, quòd sanctissimam conjugalis thori, cui se obligaverat, fidem adulterio contaminare haud exhorresceret. Verùm, ut magna in scelestos etiam conscientiæ vis est, flagitiorum hinc æstu, inde Vindicis Dei metu exagitatus infelix Adolescens, tranquillitati ut consuleret suæ, redire Neapolim ad Franciscum statuit. Quem ubi extinctum audiit, vulgatam jam typis ejus Vitæ Historiam penès se habere sedulò studuit. Cumque partem ejus aliquam quotidie sub vesperum lectitaret; Dominicâ precatione, atque Angelicâ salutatione cum Uxore recitatis, illud sibi tacitus à Deo flagitabat, ut ex eo, in quo volutabatur, cœno tandem aliquando liber emergeret. Eâ verò re ter præstitâ, audire noctu per quietem sibi visus est Franciscum incognito cuidam Eremi cultori socium adjunctum, ac tintinnabulo Populum ad Sacram Synaxim veteri more evocantem, qui sibi vultum è fenestrâ exerenti hæc diceret; *Bono animo sis: voti te jam compotem reddidi*. Futilis, ac vana somnii species videri hæc homini poterat. At verò cum vesani amoris fædam, quâ conflagraverat, flammam extinctam in se protinùs perinde senserit, atque affusæ aquæ copiâ ignis compescitur, optatum beneficium, aut datum, aut nunciatum sibi eo somnio fuisse intellexit. Ad Francisci tumulum ea propter statim accessit VIII. Id. Quintil., anno hujus seculi XX. Noxisque apud Francisci successorem Nicolaum Canatum depositis, vitæ suæ seriem, ac vices, mutatumque in melius animum, suo duntaxat nomine suppresso, ad Dei, ac Francisci Gloriam vulgari voluit.

Æquè in propulsandis odiis potens post mortem apparuit. Libellum Francisci manu exaratum jam inde ab anno circumacti proximè seculi XI., pretiosi Cimelii loco, Antonio Barbarone Filio tradiderat Januarius Pater. Eo sibi admoto fugatum statim, quo conflictari noctu jam cœperat, viscerum dolorem experta postquam fuerat (z) Agatha Pecoraria Antonii Uxor; majus aliquid

(z) *Ità in Actis M. S.; Gratiam Vernieri hanc alii nominarunt.*

Digitized by Google

quid eodem libello aggredi piè, ac feliciter auſa eſt. Diſcordes quippè inter ſe, mutuiſque diù diſſidentes odiis fratres, Joannem, & Nicolaum ut ad fraternæ, Chriſtianæque pacis leges adigeret, utriuſque ſeorſim fronti libellum inobſervata ab utroque pia Soror applicuit. Evellique ex animo odium uterque ità ſenſit, ut ſimultatibus è veſtigio depoſitis amare inter ſe fraternè conciliati cœperint; Franciſci pignoribus ad corrigenda animorum etiam vitia ſe mirè inſinuantibus.

Cryptaleis præterea unici, quem è matrimonio ſuſceperant, Filii decimumquintum numerabant menſem Joſeph de Carolis, & Anna Maria Contina; cum acri illum morbo corripi doluere, ut paucis poſt diebus languenti puero non Medicum, ſed veſpillonem neceſſarium eſſe diffiteri nemo jam poſſet. Proximi igitur funeris damnato ut conſuleret, ad Civem ſuum Franciſcum ſupplex confugit Pater. Inter precandum verò hanc ſibi protinùs injici mentem ſenſit, nonniſi depoſitis in Matrem, ac propinquos, quæ præter æquum, & fas fovebat, odiis, tot fuſis pro Filio precibus locum in Cœlo fore. Valuitque adeò, repulſa licèt non ſemel, apud ejus animum ſalubris hæc cogitatio, ut non aliter Filii vitam redimi poſſe arbitratus, Franciſcum his verbis alloqui non detrectarit; *Satis eſt; audio, Franciſce, audio. Filium tu mihi modò reddas, oro, obteſtorque. Equidem ſimultates, quas cum Matre, Fratribus, ac Sororibus hactenùs exercui, cras me depoſiturum polliceor.* Franciſci exin pileum à germano ejus Fratre domi ſervatum quæſitum mittit; quem tantum non exanimis pueri ut capiti appreſſit, revocari eum ad vitam eo contactu cœpiſſe teſtatus aſſeruit. Continuò enim & lac à Matre ſuxit, redditiſque ſenſim viribus ità convaluit, ut nullum proximæ ægritudinis veſtigium in eo eſſet deprehendere.

Lethali, nec exarmando artis ſuppetiis morbo conflictari ſe conſpicatus quidam Nolæ Sacerdos, ut Franciſci præſidio eum vinceret, impetratas ejus reliquias cum precibus brachio alligavit. Temporis haud multum proceſſerat, cum adſtare eum ſibi perſenſit, atque ità effari; *Ex animo tuo, non corpori libenter equidem adero. Ne metue; ad extremum uſque ſpiritum ſubſidio me tibi fore recipio. Nunc apud tuum Homologetam his te criminibus* (quænam ea forent expreſſit) *quamprimùm expies volo.* Cœleſti-ne admonitu, an inani ſomnii ſpecie ea ſibi con-

Digitized by Google

contigissent, anceps diù animi æger fuit; uno tamen è Nostris in consilium adhibito, ubi nihil in eâ re, nisi insigne Franciſci beneficium, conſpici audiit; vivendi cupiditate depositâ, ad procurandum Sacris omnibus animum fedulò incubuit. Exagitatum hunc quidem non levibus malorum Dæmonum fraudibus propè vitæ metam fuisse perhibent: ſperare tamen fas est stetisse promissis Franciſcum, ejuſque potissimùm præsidio piam, pacatamque, quæ ei demum obtigit, mortem, ad Æternæ Salutis Felicitatem iter straviſſe.

Cœco erga domesticum famulum amore inflammata non infimæ sortis Puella, eum miserè adeò deperibat, ut neglectis Homologetæ consiliis, & objurgationibus, ad saniora consilia traduci sese minimè sineret. Inexpiata etiam è Pœnitentiæ Tribunali dimissa ab eo sæpiùs est; nec tamen eâ severitate quicquam meliùs factum. Longè nimirùm severius ei videbatur ab ejus Ephebi amore abstineri, quem si exturbandam domo fortè resciſſet, acerbiſſimam sibi vitam fore existimabat. Ac temporis progressu dimittendi reapsè Adolescentis consilium aliis de causis Parentes iniisse vix ei suboluit; cum lentâ febri ex ejus amittendi metu, ac mœrore contractâ, adeò macie infelix extabuit Puella, ut lethum ei nec longo post tempore vocati ominarentur Medici. Mortalis igitur, multòque magis æternæ vitæ periculo tùm demum exterrita, cum Franciſci, ejuſque prodigiorum famam percrebrescere passim audiret, ad implorandam ejus opem confugit, illud non sine lacrimis precata, ut quoniam mortali vitâ se ob suum scelus indigniſſimam cerneret, ad Immortalis saltem jacturam avertendam suo patrocinio accurreret. Ejus proinde, quem perditè foverat, amoris insaniâ, animum quantocyùs liberaret suum. Secundùm has preces cubitum secedens Puella, multâ jam nocte cœlesti perfusum luce ad se Franciſcum ingredi videre sibi visa est, atque hæc socio dicentem audire; *Celeri subsidio hæc misera opus habet; in præceps quippè jam ruit. Equidem omni ratione huic præstò esse cupio.* Indè ad se propiùs accedentem hoc etiam addidiſſe testata est: *Benè habet; persanata jam es.* Jam, somni-ne, an vigiliæ opus hæc rerum imago fuerit, non satis agnovit Puella: ad indubitatam tamen Franciſci opem pertinere ex eventu primo statim manè intellexit. Lentæ siquidem febris, simulque insani amoris expertem se agere usque adeò demirata est, ut (quem-

ad-

admodùm facturam ſeſe inter preces ſpoponderat) initum à Parentibus dimittendi Aulici conſilium foverit potiùs, quàm retardarit. Nulloque ejus abſentis deſiderio exinde incenſa eò inſuper proceſſit, ut Aulico Parentum ſpontè in ædes rursùm admiſſo, ejus redamandi cogitatio mentem ne pupugerit quidem.

CAPUT XIV.

Morte etiam obitâ rerum admirabilium gloriam cum Sancto Cyro communicare contendit Franciſcus.

NEc Magni Martyris Cyri, cujus nomen, ac patrocinium patratis à ſe prodigiis ut plurimùm in vitâ obtenderat, immemor poſt mortem Franciſcus pari eum officio proſequi, impertiendique beneficii vel Auctorem prodere, vel Adjutorem adſciſcere non ſemel eſt viſus.

Et Auctorem quidem emerſæ ab interitu vitæ Leporani è Muſcettolâ Familiâ Principis Aulico Franciſco Mari non re minùs, quàm verbis hujus ſeculi anno xx. oſtendit. Tumorem in coſtarum alterâ negligentiùs initio curatum in abſceſſum inſanabilem jam abiiſſe cum optimæ notæ Medicis huic denunciaverant Chirurgi. Etenim exciſorio ſcalpro ex arte adhibito, altè ulcus deſcendere, imò in thoracem etiam, ac lienem ſe duplici hiatu obliquè penetraſſe ſpecillo obſervaverant. Hinc nullo artis ſubſidio occurri ei malo poſſe evidens ex eo etiam erat, quòd infuſos in ulcus liquores ex ore æger miſerrimè egereret. Quare febri, ac Teneſmi moleſtiâ exagitari jam cœptus nil niſi mortem opperiri propediem poſſe videbatur. In conclamatâ ergo re Cœleſtem, compertæque virtutis Medicum Cyrum adeundum hic ſibi precibus cenſuit. Cumque hujus, nec non Deiparæ Virginis Patrocinio diſcuſſum eum morbum iri viſus ei interim inter ægritudinis angores inſinuaſſet Franciſcus; Anachoretæ habitu in tanti Indigetis obſequium, ubi primùm per vires liceret, indutum ſeſe perpetuò inceſſurum promiſit. Benèque ei nuncupatum votum ceſſurum & abiens ex oculis prædixit Franciſcus, & mirantibus Medicis continuò ipſe expertus eſt æger.

Im-

Digitized by Google

Imminentis quippè exitii periculo exinde defunctus, meliùs habere usque eò cœpit, ut, quem paulò ante insanabilem ominabantur morbum, adhibitis Ænariæ Balneis discuti ex toto posse suo iidem Medici judicio firmaverint.

Æquè fortassè periculoso solutum se morbo eâdem ratione expertus est Antonius Oriminus Jurisconsultus. Capitis languore debilitari hic adeò cœpit exeunte anno hujus seculi XXII. ut quoties consuetis literarum studiis se dederet, animo linqui cogeretur. Nil verò mitigatâ remediis ægritudine, eò capitis excrevit dolor, ut ex oculis lacrimas, gelidum è vultu sudorem perquàm molesta ejus vis eliceret. Acerbum proinde, ac miserum vitæ genus ipse pertæsus, mortem, quæ morbo finem imponeret, non semel optavit. Ea propter fomentis, aliisque Alexipharmacis prorsùs rejectis, ad Divinam opem ut confugerent consanguinei, Chartusianorum Tyronum Magistro deploratam hujus valetudinem commendarunt. Id cum facturum se humaniter hic recepisset, hanc sibi ad Aras manè operanti injici mentem sensit, ut traditum sibi jamdudùm à Francisco Sancti Cyri oleum ægro confestim mitteret: implorată nempè utriusque ope eum utique convaliturum. Eo verò liquore delibutus æger conceptam fiduciam parùm abfuit ut citò abjiceret: continenti siquidem undecim horarum spatio dolore in immensum aucto nonnisi ingemere, atque ejulare miser valuit. In suâ tamen spe cum perstaret adhùc, violenter è cerebro evelli veluti jaculum sensit, quod in nares primùm, indeque ad os subortâ tussi dilapsum, ejectum ubi ab ægro fuit, clavi trisulcâ armati cuspide imaginem spectantibus prætulit. Abactus hinc extemplò morbus, ac dolor: ingentisque id prodigii loco Medicis fuit. Neque enim ad eam pestem è cerebro extrahendam ulla suæ Arti præsidia suppetere existimarunt. Quare ipsorum judicio ad grates impensùs beneficii Auctoribus agendas restitutæ valetudinis reus nostrum in Templum conferre se supplex Oriminus non dubitavit.

Nec silentio prætereundum videtur id, quod Neapoli in Sancti Potiti Martyris Asceterio medio ferè Majo labentis hujus seculi anno XXVI. gestum commemorant. Uteri ibi doloribus ità præter consuetum exagitari cœpta est Angela Como de Acugnâ Sacro olim Fonte à Francisco expiată, ut toto penè biduo cum mentis impos egisset, tertiâ hucè degustatum vix cibum

statim rejiceret. At vero eâ nocte, quæ festum Sancti Cyri lucem eo mense præcessit, cuidam, quæ Ascetrarum cantui inibi præerat, quæque ut viventis Francisci alloquium vitaverat semper, ità nec, mortui virtutem ut magni faceret, ab animo suo impetrare unquam potuerat, objecta huic, inquam, inter soporem est prodeuntis ex ægræ cubiculo hominis è Societate species ità non sine stomacho exprobrantis: *Quæ istbic, Deus bone! Quæ tanta istbic oscitatio est, ut de conciliando sibi precibus Cyro ne cogitent quidem? Cyrum si sapiunt, Cyrum jam vocent. Tu verò* (his dormientem ipsam vocibus subridens fugillare videbatur) *Tu abalienatum à me animam ut geras?* Franciscum eum esse ex oris lineamentis suspicari in ipso sopore hæc facilè valuit. Porrò primâ jam luce narrari hæc ubi Mariæ Josephæ Como suboluit, laborantis admodùm Angelæ Sororis ut erat vicem sollicita, præstò ei non difficile Sanctum Cyrum fore è somnii totius ratione interpretata; è nimiis morbi intemperiis redeuntem ad sese ut vidit ægram, sacratum Martyris nomine florum pulviculum cum Icone, præmissis de more precibus, confestim ei obtulit. Mirumque dictu! Quæ imperatum à Medicis tenue Alexipharmacum è stomachi fastidio paulò ante rejecerat, sacrum Cyri pulverem non retinuit solùm, sed omni etiam doloris sensu statim soluta, cibum paulò post sumere, pauciscque diebus incolumis agere feliciter valuit. Eam porrò curationem indicati per Franciscum Cyri Medici opus fuisse conjectum ab utrâque Sorore ex eo etiam est, quòd recurrere antea solitum octavo quoque die morbum, mense dein integro experta haud unquàm fuerit Angela, consuetis licèt odorum præsidiis contrà eum sese munire de industriâ caverit. Contemptu verò in obsequium verso ea cantus Moderatrix inopinati eventus stupore defixa, quicquid de Francisci Sanctitate sequiùs loqui ausa unquàm fuerat, monitore somnio cum lacrimis recantare postmodùm didicit.

Antoniam Marino Joannis Consilii Uxorem anno hujus seculi XXVII. Julio mense è concreto in mammis lacte dirè vexatam postquàm unguentis, ac lenioribus medicamentis ne hilum quidem proficere Neapoli experti sunt Medici, ut pejoris morbi periculo maturè occurrerent, exciforio ei scalpro consulere jam constituerant. Sævi verò remedii cum nomen ipsum eam metu percelleret; ei ut se eximeret, ad expertam

alias

aliàs Franciſci opem confugit. Nec ſuarum eam precum pœnituit. Etenim VIII. Id. Jul. dum à prandio ſomnum in lectulo caperet, Franciſcum cum ignoto ſibi Sene ad ſe ingredi conſpicata, Medicum eum Senem eſſe ab ipſo audit. Ad eas porrò voces è decretæ inciſionis metu hæc trepidè evigilans; *Perii*, exclamat, *ſcalprum jam inſtat*. Ponere verò metum à Franciſco juſſa inter has voces, *Dei nomine*, utramque ſibi mammam Crucis ſigno ab ipſo expiari, exindeque utriuſque Viri imaginem ex oculis extemplò evanuiſſe animadvertit. Cæterùm quò minùs inanibus ſomnii larvis viſum illud tribueret Antonia, madidum ſanie pectus, ac lintea eodem tempore intuita, exilire è ſtrato neceſſe habuit, quò purulentum lac ſanguine permiſtum è mammis exprimeret. Ex eo verò momento proſperè adeò res fœminæ ceſſit, ut doloris, ac morbi penitùs expers perinde ex eo die agere cœperit, ac ſi hullius unquàm ægritudinis periculum ſubiiſſet. Non ad ſomnium proinde, ſed ad cumulatius Franciſci beneficium viſum illud pertinuiſſe non ex vano conjecit.

Simili penè viſo Caroli de Pazzis Uxorem Felicem Pollicinam Pariſthmiis ſolutam fuiſſe poſt hæc ſcripta reperio. Franciſci hæc reliquias poſtquàm præcluſis diù faucibus admovit, Franciſcum ipſum cum Sancto Cyro ſibi adeſſe per ſomnium ſenſit, qui traditos ſibi à Cyro flores affecto gutturi leniter admoveret. Ruptâque repentè inter evigilandum vomicâ, non vanis id ſomni præſtigiis, ſed Cœleſti opi tribuendum eſſe incolumis intellexit.

CAPUT XV.

Vota Franciſco felici ſucceſſu à pluribus nuncupata.

DEtrahere Franciſci laudibus equidem videar, ſi quem fiduciâ, ac precibus tàm facilè exorabilem memoravi, de iis item, qui nuncupatis eum Votis ſibi demereri ſtuduerint, meritum optimè fuiſſe tacitus diſſimulem. Supplicatum certè ipſi id genus obſequiis fuiſſe, ipſumque viciſſim obſequiis hiſce

Digitized by Google

non defuiſſe clariſſima felicium ſucceſſuum documenta indubium, ni fallor, legentibus facient fidem.

Hac igitur in re memorabile omninò eſt, quod de Filio ſuo Dominico Mariâ prodidit Medicæ Artis Profeſſor Joannes Ambroſellus receptæ per Franciſcum vitæ prodigio jam alibi memoratus. VI. Id. Mart. anno hujus ſeculi XXI. in Caſtri Novi Oppido Infantem hunc decimumquintum ætatis menſem vix dum egreſſum Apoplectica ſideratio ſævè adeò corripuit, ut totis jam artubus rigentis, jamque pro mortuo habiti vitam admoto bis ori lumine anxius exploratum iverit Pater. Nec reciprocari ab eo ſpiritum conſpicatus, ad expertam ahàs Franciſci opem confugit. Votivo Societatis habitu indutum à ſe iri Filium ſpopondit; cereos præterea, ac Sacrum Neapoli in Profeſſorum Æde celebrandum vovit. Conceptis verò vix precibus, exilire incolumis Infans inter Matris brachia repentè cœpit. Quare renatum Franciſci beneficio Filium ratus, Neapolim cum Uxore, ac Filio è veſtigio veniens voti religionem lætiſſimè exolvit.

Cryptaleenſem præterea Sacerdotem Jacobum Orlandum acres adeò viſcerum dolores inceſſivere, ut ne in lectulo quidem jacere ei integrum eſſet. Auctis deinde per vices Colici doloris intemperiis, incurvus, ad baculo innixus agere ſe per cubiculum ad fallendam morbi moleſtiam quamvis ſatageret; gliſcentis tamen mali violentiâ exanimandum ſe citò fore facilè credidit. Ad implorandam ergò plurium Cœlitum opem converſus, cum irritas abiiſſe preces animadverteret, extincti nuper Franciſci (cui nempè ejus ſanitatis laudem Deus ſervaverat) in mentem ei venit: impetrandæque per ipſum opis fiduciâ fretus; *Age jam*, exclamat, *age, qui meus es Civis, Franciſce, hujuſceque doloris ſævitiem aut diſcuti, aut in aliam corporis partem transferri actutùm jube. Equidem, ſi mihi ſanitas veluti poſtliminio redeat, tuam mihi Effigiem tuæ in me beneficentiæ monumentum coloribus depingi ſuſpes curabo.* Conceptum piè Votum inexpectatus excepit ſopor, è quo nocte concubiâ ad repentinum lævi brachii ictum excuſſus Sacerdos, ſuis objectum oculis indubiè vidit, atque hæc inſuper placidè loquentem audiit Franciſcum; *Voti jam compos es: promiſſi tu fidem imple, ac perge, ut facis.* Moràque haud interpoſitâ è ſuis citò oculis præceptum conſpexit. Non ludicram verò ſomnii ima-

gi-

Digitized by Google

ginem, sed veram opitulantis Franciſci ſpeciem eam fuiſſe finitus ſtatim dolor, ac redditum membris robur evidenter adeò edocuit, ut morbi violentiâ heſterno die conflictatus Sacerdos litare ad Aras poſtero mane redintegratis viribus valuerit. Cæterùm ubi in ea verba, *Perge, ut facis*, animum accuratiùs intendit; nil à ſe actum meminit, niſi quod ex quo evolaſſe ad Superos Franciſcum audiſſet, collata ei cœlitùs dona, Dominicâ precatione, atque Angelico Ave recitatis, gratulatus Deo quotidie fuiſſet. Gratum proinde hujuſmodi obſequium Franciſco accidiſſe conjectans, de Homologetæ etiam ſui conſilio perſtandum ſibi in poſterum eo in officio eſſe interpretatus non abs re ex auditis in eo ſomnio eſt.

Iter extrà Neapolim Ciſio vectus agebat XI. Kal. April. anno hujus ſeculi XVII. Ignatius Maria Comus, Vir eximio in Franciſcum obſequio nulli ſecundus; cum ex inverſo repentè vehiculo improſperè adeò ruere eum caſus tulit, ut contuſum ex eo caſu ventrem retulerit, paulòque poſt periculoſo Eryſipelate inflammatum ſenſerit. Porrò ater ille in contuſis partibus color cum Gangrænæ metum Medicis injiceret, eorum, quos potiſſimùm colebat, Cœlitum fidei ex toto ſe commiſit æger. Nec Franciſci ſui immemor, delibutæ ejus ſanguine telæ tenuem particulam aquâ dilutam hauſit, eidemque monumentum, quod in ejus ſanctimoniæ laudem cederet, pollicitus liberaliter eſt. Vix votum conceperat; cum ſalubrem eum hauſtum expertus, remittente morbi vi pacatiùs jacere in lectulo cœpit. Nec longo poſt tempore, non ejus ſolùm, quàm deprecatus à ſe fuerat, ſed & alterius, ejuſdemque diuturnæ calamitatis Franciſci benignitate immunem ſe abiiſſe gaviſus eſt, ad quam abigendam nullas ſe hactenùs preces ad eum ſibi conciliandum fudiſſe meminerat.

Immaturis, nec vivis, quos ſexies ediderat, fœtibus diuturnos, lethalesque infelicis nixus labores anteire conſueviſſe anxiè dolebat Antonii de Roberto Uxor Carmina Smitil. Uteſum igitur ubi ſe ferre ſeptimùm ſenſit, non abſimile prioribus puerperium verita, Franciſci Clientelæ, ac Fidei ſe, &, quam gerebat, in utero prolem committens, huic, prout virilis, ſeù fœminea ea foret, Franciſci, ſeù Franciſcæ nomen ſeſe inditurum ſpopondit. Nec id genus voto præmaturè ſibi caviſſe eam piguit: etenim ubi ſeptimus puerperii menſis appetiit, pro-

dro-

Digitized by Google

dromis abortus laboribus exerceri non minùs, quàm antèa cœpit. Admotis verò corpori Franciſci lipſanis, eorum vim, atque impetum ità ſtatim edomuit, ut nullâ moleſtiâ ad nonum menſem proferre partionem valuerit. Quo tempore conſuetis parturientium doloribus exagitari cœpta, iiſdem reliquiis ſibi denuò appoſitis, nullâ Obſtetricis ope adjuta, vivam, eamque elegantem Puellam prid. Kal. Octobr. enixa de facili eſt, quæ abſoluti numeris omnibus beneficii Auctorem affatim proderet. Eam igitur feſtâ Sancti Hieronymi luce enatam (ut tractum à natali die nomen Franciſco cognominem magis efficeret) Franciſcam Hieronymam nominari voluit, tùm ad perennem accepti beneficii gratiam, tùm ad cumulatiùs derivandi in eam patrocinii pignus. Porrò ubi huic proſperum Franciſci præſidio, ac reliquiis obtigiſſe partum vicinia innotuit; tantæ rei famâ excitas prægnans fœmina alia, ut difficilis, quo conflictata non ſemel fuerat, enixus laborem, ac periculum evaderet, eaſdem propediem ſibi commodatas voluit, felici adeò ſucceſſu, ut nullo prorsùs doloris ſenſu fœtum ſuo tempore ediderit.

Franciſci nomen, ac famam ſummis omnium laudibus celebrari miratus Stabiis Didacus Comes Genuinus, legendæ nuper Typis editæ ejus Vitæ deſiderio exarſit. Hominis porrò de communi omnium ſalute optimè meriti virtutes, ac ſanctimoniam legendo ut primùm conſpexit, damnare ſe ignaviæ illicò cœpit, qui in præclarum adeò Chriſtianæ Reipublicæ lumen ne oculos quidem intendere unquàm optaſſet. Suam verò erga vivum negligentiam ut poſtmodùm doleret magis, cumulatiora, quæ ab extincto impetrare dein valuit, beneficia effecere. III. Non. Sextil. anno hujus ſeculi XIX. ſævus eum lateris dolor Stranguriæ adjunctus in tantum oppreſſit, ut, quoniam conſueta artis ſubſidia ſudor, ac vomitus prorsùs arcerent, inter gliſcentis morbi intemperias jam inibi expiraturus ſibi videretur. Humanæ igitur opis jam exſpes, Franciſci Imaginem ejus Vitæ libro præfixam, quæ prima ad manus venit, gemens arripuit; atque, *Adeſdum*, inquit, *è Cœlo ſerò agnite mihi, Franciſce: ac, ſi tuam experiri tutelam miſero mihi nunc primùm licuit, Sacris me Myſteriis in tui Cyri obſequium cras expiatum iri pollicear*. Vixdum has preces abſolverat; cum omnis ità repentè angor evanuit, ut non cum morbo, ſed cum morbi vanâ duntaxat ſpecie per ſomnium conflictatus paulò an-

to

se fuisse visus sibi ipse fuerit. *Miraculum* proinde dum coram gestientibus gaudio domesticis lætus inclamat, tàm insigni beneficio supremam à Francisco admotam fuisse manum observat. Nullo enim doloris sensu calculum per urinam à se redditum videt, quem figura, ac moles nonnisi molestissimè ejici permisisset. Morbo igitur, ac morbi origine per Franciscum immunis, publicum accepti beneficii testimonium eodem mense juratus exhibuit.

Relictam ex lethali febre quartanam cum toto ferè anno nullis discuti remediis doleret Agnes de Pazzis; à Francisco, pro eo, quo S. Cyrum coluerat, obsequio, ei ut se ærumnæ subtraheret, cum lacrimis petiit: ac beneficium, si revaluisset, scripto se vulgaturam spopondit. Non alio ab his precibus remedio opus habuit, ut voti jam compos anno Rep. Sal. MDCCXX. restitutæ sibi valetudinis Auctorem publico testimonio celebraret.

Idem anno superiore pollicitus Ignatius Cacace, vehementem lateris dolorem admotis Francisci reliquiis eodem die excusserat. Solvendæ tamen fidei posterò manè negligens, acerbiores suo lateri punctiones revocavit. Quarum admonitu instaurati statim voti fidem quàm celerrimè liberans, morbi molestias à se in posterum ex toto abstinuit.

Capreis v. Non. Maj. labentis seculi anno XXIII. Januarius Caroli Pagani sexennis Filius novo, ac Medicis ipsis incognito morbi genere implicitus apparuit. Sub ipsum ardentis febris accessum tumore distendi, ferrugineum colorem ducere, ac sanguinei humoris copiam è summâ cute exsudare Puer videbatur. Præsidio Artis fomenta nullatenùs huic fore consulti non semel respondere Medici: quin potiùs tenerum ab ætate Puerum insolito, ac pertinaci morbo certissimè succubiturum pronunciarunt. At ægro Nepoti severa adeò eos ominari indignè ferens Theodora ejus Amita, in extincti Francisci Icone remedium se ei quæsituram fidenter reposuit. Erectis proinde in Cœlum luminibus; *Ægro huic Nepoti*, ait, *adsis rogo, Francisce. Per te si revaluerit, tuo eum tumulo voti reum sistam.* Mox ubi bonæ spei plena eâ Effigie ægrum attigit, exaruisse cruenti ejus humoris venam ex demitigatâ statim febri agnitum est: quâ paucis diebus penitùs discussâ, ut promissi fidem impleret sospes jam Puer, ad Francisci tumulum cum Amitâ Neapolim gratulabundus se contulit.

Bi-

Digitized by Google

Bimeſtri penè ſpatio acerbiſſimo molaris dentis dolore conflictata Neapoli fuerat Angela Seraphina à Sancto Joanne Evangeliſtâ, in Capuccinarum Virginum Cœnobio, quod ſitum ad *Pontem Corvi* eſt, Aſcetria. Cumque eum evelli debilitato ejus capiti metuentes abnuerent Medici, humanæ jam opis inops, Franciſco deprecatore adhibito, ad Divinam confugit: ac, ſi nullâ Dentiduci operâ ſponte è maxillâ excuti affectum ipſe juſſiſſet dentem, ejus ſe beneficium datis publicè literis quantocyùs enarraturam ſpopondit. Porrò Idib. Quintil. anno hujus ſeculi XXVI., dum acriores doloris moleſtiæ ei ſomnum abrumpunt, priori voto inſtaurato maxillam digito explorat; exemptumque inde ſine dolore dentem, uti optarat, nacta, valuiſſe ſuas apud Franciſcum preces exclamat: excitaſque lætis hiſce vocibus ſocias Virgines ad decantandas Deo laudes moleſtiæ jam omnis immemor ſecum in Odæum adducit.

Eodem annò Neapoli Antoniam Troyſiam, Putiniani haud procul Bario in Apuliâ natam, febris, ac permoleſta reſpirandi difficultas nullo Artis ſubſidio victa ad vitæ metam adegerat. Jamque morientium Sacris ritè munita toto continenter triduo animam egerat. Cum Franciſci Icone pectori appreſsâ, his ejus opem precibus efflagitavit; *Si febrim, ſævumque hunc pectoris angorem faceſſere juſſeris, Franciſce, tuum ego beneficium apud legitimos geſtarum à te rerum Quæſitores me ritè evulgaturam polliceor.* Secundùm hæc vota remittere adeò angor, ac febris cœpit, ut paucis diebus vitæ periculum ægræ intendere omninò deſierint. Tentata quidem aliquoties pectoris morbo deinde hæc fuit; eum tamen Franciſci nomine invocato confeſtim frangi, tùm aliàs, tùm eo potiſſimùm die experta eſt, quo die publicum accepti à ſe beneficii teſtimonium dicere conſtituerat. Etenim veteris morbi reliquiis exagitari tùm cœpta, hiſce levamen verbis renovatâ fiduciâ petiit: *Ageſis, tua hodiè res agitur, Franciſce: hac me confeſtim moleſtiâ exſolvi tua etiam intereſt.* Nec alio remedio opus ſibi fuiſſe aſſeruit, ut ad hæc coram idoneis teſtibus dicenda condictâ die accedere angoris expers valeret.

Febrire Neapoli ineunte anno Chriſtianæ Æræ MDCCXXIV. non leviter cœpit Agatha Matthæi in Spiritus Sancti Gynecæo primâ ætate educata; cum agniti à ſe ibi Franciſci memor, imploratâ ejus ope, ubi primùm valeſceret, ſeſe quacunque in

ipſo

Digitized by Google

ipso demirata olim esset, publico instrumento vulgaturam promisit. Secuta quidem hujus votum cita sanitas est: sed in solvendâ fide segnities eodem anno IV. Non. Mart. pejorem ei morbum, lethalem nempè Pleuritidem, creavit. Supremis munienda Sacris ea propter Medicis visa: sed tamen sacratæ à Francisco jamdudùm aquæ guttas ut ebibit, purulento sanguine ex ore statim ejecto, cujus potissimùm beneficio alterum hunc morbum discuteret edocta, conceptum anteà votum instauravit sanè; pari tamen socordiâ, periculum ubi evasit, de eo ne cogitavit quidem. Tantæ verò negligentiæ recrudescens sexto post die febris pœnas cum sumeret, eâ veluti officii magistrâ renovatis tertiò promissis stare demum edidicit. Quæ porrò quadraginta ante annis in eo Gynecæo mira de Francisco meminisset, hæc fermè fuisse VII. Id. April. testata de scripto est. Exortis ibi, ut sæpè inter fœminas fit, de nihilo contentionibus, eò simultates processerant, ut de postulandâ apud loci Præfectos memoriali, quem scripserat, libello contubernali Virgine quâdam cum factiosis aliis adolescentulis ipsa jam ageret. Cum inexpectatus eò loci accedens Franciscus, Concione de more peractâ, Agatham inter alias ad Sacram Homologesim vocat. Quam renuentem, recentesque animi intemperias pertinaciùs obtendentem nactus, ubi nullis ad Confessionem adduci cohortationibus posse animadvertit; *Benè est*, inter abeundum ait, *cras videbimus*, *Agatha*. Quid extremo hoc dicto ei Franciscus portenderet, appetens nox luculenter aperuit. Primis quippè tenebris sæva adeò eam lateris punctio oppressit, ut ejus vitæ primo manè metuentes Medici Sacris eam Mysteriis procurari quàm citissimè jusserint. Prudentis tùm Homologetæ admonitu ad deponendas, quas fovebat adhùc, inimicitias ex animo adducta, ubi servatum sub pulvino accusatorium libellum huic tradidit, suisque se criminibus laxatam à Sacerdote audiit, evanuisse pariter criminis sui pœnam, Pleuritidis nempè dolorem, ac molestiam omnem è vestigio mirata est. Illùc verò à Meridie regressus, ac de totâ re certior factus Franciscus, eam ut primum revisit; *Gratulor*, inquit; *eluisti animum manè noxis jam*, *Agatha*. *At in Deum*, *ac proximum æquior esse hinc in posterum disce*. In ejusdem præterea Gynecæi scalis nescio quid parùm modestè actum divinitùs Francisco innotuisse ex auditis ejus verbis conjectum ab omnibus est. In earum quip-

Digitized by Google

pè excenſione pariete manu percuſſo ad deducentium ſe Virginum turbam alio quodam die poſt Concionem obverſus; *Prob*, inquit, *ſacri parietes extremâ Mundi die coram ſummo Judice quàm altè expoſtulabitis! Profectò in Deum ubique præſentem uſquam peccare nemini licet*. Hæc in vulgandis, ut ſpontè receperat, Franciſci laudibus monitore morbo jam diligentior Agatha.

Colici, quo dirè vexabatur, cruciatus contumaciam nullo humanæ artis ſubſidio exarmari jam poſſe arbitrata Victoria de Angerio, Franciſci Vitæ, quod penès ſe habebat, volumen cum ingenti impetrandæ opis fiduciâ affectis vix partibus adhibuit; cum valuiſſe tandem extremum illud remedium experta confeſtim eſt. In Auctorem proinde beneficii grata, quem nunquam de facie noverat, in aliquâ ſaltem imagine expreſſum agnoſcere cupidè optavit. Favitque huic etiam cupiditati proximâ nocte Franciſcus, qui ei inter ſoporem objectus in contiguum Conclave manu eam deducere viſus, porrectâ Crucifixi Servatoris Effigie, evigilantem, Cœleſtiſque cujuſdam voluptatis ſenſu perfuſam reliquit. Decembri menſe anno fluentis hujus ſeculi xxv. hæc experiri Victoriæ obtigit. Secuto verò proximè anno, Sextili menſe cum lethalis ei febris vitæ periculum intenderet, Franciſci tumulum ſeſe adituram concepto ſpopondit voto: ſævique morbi moleſtiâ ab ſeſe è veſtigio prohibitâ, triplicis beneficii rea è Sancti Vitaliani, in quo erat, Nolanæ Ditionis Pago Neapolim ad liberandam voti fidem conceſſit.

Anno labentis hujus ſeculi xxx. Neapoli ſeſquiennis Puellæ Gratiæ Margiottæ faciem inſidens tumor in periculoſum Apoſtema abierat, quo interiùs rupto præfocatum eam iri, exteriùs verò inciſo deformandum cicatrice vultum ambigebat jam nemo. Perdifficilis proinde rei exitum Franciſco commendarunt conſanguinei; rem, ſi proſperè caderet, propediem ſe prædicaturos polliciti. Mirum porrò dictu! Tantum quod affecto Puellæ vultui admota ejus Icon eſt, cum depulſo ſcalpri, ac ſuffocationis metu Apoſtema illud ex integro evanuiſſe permiſtâ admirationi lætitiâ prædicare non ità poſt multò debuere.

Permoleſto pectoris dolore annum ferè Neapoli laboraverat Nicolea Criſia Corlèa; Artiſque præſidiis uſa uſque adeò nullum operæ pretium fecerat, ut nec diuturni morbi originem ſatis conjicere valerent Medici. Deſperatis propterea remediis.

Digitized by Google

diis; ad Franciſci hæc opem anno ejuſdem hujus, quod labitur, ſeculi xxxi. demum confugit: coramque ejus Icone beneficium publico teſtimonio ſeſe evulgaturam pollicita vix eſt; cum omnem è pectore doloris morſum illicò evanuiſſe gratulata, nuncupati paulò anteà voti ream ſeſe crediderat. Sed nimiæ credulitatis à nonnemine inſimulata, cum liberandæ fidei conſilium inconſultè depoſuiſſet, parùm conſtantis in propoſito animi pœnas eodem die acriùs rediens ab eâ repetiit dolor: quem tamen voto inſtaurato, petitâque negligentiæ venîâ iterùm expulit. Ejus proinde moleſtiæ ſe ex toto immunem experta, promiſſis denique ſtetit: ſignataſque publici Neapolitani Tabellionis Nicolai Palomba Chirographo teſtes beneficii tabulas edidit.

Injectæ animo vanæ religiones, ac ſcrupuli non infimæ ſortis Fœminam ità pulſabant, ut prudentibus, piisque Homologetis in conſilium nequicquam adhibitis, extremis impiorum mortalium ſuppliciis, ac ſempiternis ignibus devovendam ſeſe arbitraretur. Miſerrimum proinde, quod agitabat, vitæ genus pertæſa, in eo nec ſemel inibi fuit, ut ex ædium feneſtrâ ſeſe præcipitem daret. Dediſſetque profectò, ni obverſata opportunè ejus menti Franciſci tùm viventis nota ſibi comitas, tùm Cœlo recepti firmata prodigiis benignitas immane facinus prohibuiſſent. Ejus præterea ope cum reddendam ſibi animi tranquillitatem ſperaret, ad ejus ſe tumulum propediem acceſſuram pollicita, voti ſi compos foret, beneficium etiam publico teſtimonio ſeſe celebraturam recepit. Ac prioris promiſſi fidem vix fuſis ad tumulum precibus exſolvit, pronâque humi fronte impoſitum ſepulcro lapidem attigit; cum diffiatis repentè, quæ mentem exagitaverant, inanium religionum procellis, ſecura, atque hilaris poſtmodò ævum tranſegit. Voti proinde rea de referendo in publicas tabulas beneficio reſtabat ut cogitaret. Sed alio die id ſe commodiùs præſtituram rata; alio, atque alio gerendarum rerum obtentu in longum adeò diſtulit, ut reddendæ Franciſco gratiæ immemor penè videretur. Imò evolutâ dein nec brevi temporis intercapedine, dum Noſtram Profeſſorum Domum cum Matre, ac Sorore curru prætervehitur, officii, ac fidei ab hac admonita; non obiter, ſed conſideratiùs id alio die agendum cauſata, viam, quam decreverat, perſequi maluit. Frivolæ tamen excuſationis pœnas negligens fœmina fermè è

Digitized by Google

veſtigio dedit. Templi enim fores curru tranſgreſſa, paulò poſt, ubi ultrò, citròque commeantium vehiculorum frequentiæ anguſtior eſt via, ad colliſam ex repentino alterius ex adverſo procurrentis ſhedæ impetu ſui currus rotam adeò exhorruit, ut inconſulto metu inde raptim proſiliens, genu, & crus ex prolapſione vehementer offenderit. Ultrò neglecti nuper officii ſupplicium à ſe non immeritò repeti ex inopinatæ calamitatis admonitu agnovit fœmina; pejuſque aliquid intumeſcenti jam genu ſubverita coram Franciſci Imagine votum inſtaurat, ſtaturamque ſe promiſſis propediem ſpondet. Cumque Iconis ejus contactu vitium, ac tumorem è genu ſtatim expulerit, ad ſeſe voti fide, ac religione celerrimè liberandam noſtrum in Templum periculo vix defuncta ſucceſſit. Relatiſque ibi Franciſco gratiis, ejus erga ſe beneficentiam teſtata publicè eſt, eamque in imprimendo quamprimùm mirabilium ejus rerum volumine Typis vulgari inſuper cupiit.

In eâ Ferrarienſis Ditionis parte, cui (1) *Caput-Gauri* nomen eſt, Cotignolenſi Civi Chriſtopharo Tarlatio loci Præfecto, cum jam inde à IV. Id. Novembr. ejuſdem anni vomitus, ac febris delirium moveret, cerebrique ab his inflammationem ei metueret Gallottinus celeber Medicus; laboranti ut caveret, nil intentatum reliquerat. Vincente tamen morbo, coram vocatis è Patriâ Propinquis cum V. Kal. Decembr. è furore in lethargum delapſus æger jam eſſet, conclamatum ejus vitæ jam erat. Miſſus poſtridie è venâ ſanguis id tantùm effecit, ut recuperatâ aliquatenùs mente, Supremis muniri Sacris deceſſurus valeret. Cæterùm veſcendi, loquendique uſu paulò poſt deſtitutus affixis circà tempora hirudinibus cum nihil proficeret, à vitæ metâ haud procul abeſſe jam videbatur. Aderat interea decumbenti germanus ejus Frater Aloyſius Tarlazzi è Tertio Divi Franciſci Ordine Sacerdos, idemque in Ferrarienſi Divi Antonii Cœnobio Theologiæ Prælector. Hic deſperatâ in re abjectam licèt à Medico ægri curam aſpiceret, Franciſci tamen memor, cujus prodigia Neapoli olim audierat, ad ejus implorandam opem, tùm Matrem, tùm præſentes alios multis adduxit: ac, ſi tanti Viri beneficio ægro ſanitas rediret, publicum ejus rei teſtimonium communiter ſpondere eos juſſit. Tantâ ejus

(1) Codigoro.

Digitized by Google

ejus fiduciâ haud quicquam principiò promotum : ruere enim exinde in deterius Æger, lethali sudore diffluere, rigere, animam agere, ac tantum non exhalare. Nec tamen ob hæc spe suâ quicquam dimotus Frater cessantem Franciſci opem his rursùm verbis expoſcit ; *Vivum, ac superſtitem Fratrem ut præſtes omnimodè volo, Franciſce : ad abſtinendum ab eo lethum valere ſi quicquam poteſt, tum eſt ut ſuggeras.* Secundùm quas preces haud diù cunctatus, Apianum à domeſtico famulo aſferri ad ſe vinum jubet, Ægrique labris eò leniter madefactis, *Franciſci*, inquit, *nomine lambas hoc, Frater, volo.* Sublatis ad hæc in Fratrem conſeſtim oculis, lambit reapsè liquorem Æger : quo mox guttatim in os largiuſculè infuſo, recreari adeò præter omnium ſpem eſt viſus, ut accitus ad eum viſendum Medicus, ſuperſtitem adhùc, imò & loquentem demiratus, repentè exclamarit ; *Hominis vitâ functi verba me audire judico.* Ex eoque die, Kal. nimirùm Decembr. recuperatis ſenſim, ac modicè viribus ità revaluit Æger, ut prid. Id. ejus menſis non è lethi faucibus ereptus, ſed vix levi febriculâ tentatus fuiſſe ſit viſus. Publicè id, ut promiſerat, teſtari deinde aggreſſus perſanati Chriſtophori Frater Aloyſius, reluctantem nactus eſt Medicum : Franciſci quippè beneficium, non verò prodigium eam ſanitatem eſſe contendit : neque enim ſubitam eam fuiſſe, miſſoque præterea è temporibus ſanguini tribui non ab re eandem poſſe. Relabi proinde in morbum non ità poſt multò ubi ſeſe conſpexit Æger ; Medici pertinaciæ pœnas ſe pendere exiſtimabat. Ponere tamen metum à Fratre juſſus, Dei ope, miſſoque è brachio iterum ſanguine, ex toto revaluit. Promiſſi propterea teſtimonii fide ut ſe, ac ſuos liberaret prolixè, ac magnificè ſuo, Fratris, ac Matris nomine teſtificatus hæc omnia ſuo Chirographo eſt idem, quem ſuperiùs nominavi, Frater Aloyſius Tarlazzi in Ferrarienſi Sancti Antonii Cœnobio apud Tertii Ordinis Franciſcanos Sacræ Theologiæ Prælector.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XVI.

Honores Franciſci tumulo à multis exhibiti.

QUanquam Franciſci exuvias, ad publicum iis honorem ex Eccleſiæ Decretis prohibendum, communis Noſtratium Sarcophagus claudat; inhiberi tamen privata plurium pietas minimè potuit, quominùs, ſive impetrandæ opis fiduciâ, ſive jam impetratæ gratulatione matutinis pariter, ac veſpertinis horis cum donis etiam eò frequens accederet. Fuſæ à nonnullis prolixè ſuper jacentis tumulum preces, ſparſi ſuprà ſepulcralem lapidem in ejus gratiam flores: cerei, tabulæ, aliaque id genus anathemata, quæ non Urbis, ac Regni duntaxat Neapolitani, verùm Italiæ, ac remotæ etiam Germaniæ religioſa in eum ſtudia teſtarentur. Litari inſuper ad Majorem noſtræ Ædis Aram, quæ ei ſepulcro imminet, multorum nomine debuit, qui ob accepta à Franciſco merita Sanctæ Trinitati gratias à Sacerdotibus agi voluere. Ac cerei quidem citrà ullum properati temerè cultus periculum in Divinæ Beneficentiæ obſequium, ſeù coram Euchariſtiæ Myſterio, ſeù coram Sancti Cyri reliquiis ardere juſſi. Circumſpectiùs cum reliquis donariis actum: eaque, prout quiſque obtulit, clàm in Sacrario ſeponi Ædituis imperatum: ne publicè expoſita ſpectantium animos ad aliquam erga Franciſcum ſacri cultus ſpeciem, contrâ æquum, & fas, allicere viderentur.

Quinam verò ii potiſſimùm fuerint, qui ad Franciſci tumulum id genus officia beneficii ſeù cupidi, ſeù memores exhibere properarint; quanquam primæ etiam notæ homines in iis numerari optimè ſciam; peculiariter attamen, quos referam, paucos admodùm habeo. Nonnullos his tamen extremo loco adnectam, qui accepti beneficii ſpecie ſuppreſſa, aliquid tamen Franciſco ſeſe debere, partim per ſe allatis, partim peregrè tranſmiſſis muneribus indicaſſe contenti fuere.

Primò igitur, pertinacis ut à ſe Iſchiadis moleſtiam abigeret Maria Cavaleria Nobilis Viri Joannis Marifeolæ olim Mater, No-

Digitized by Google

Nolâ ſe Neapolim ad Franciſci ſepulcrum pluries contulit. Fuſiſque ibi precibus perinde relictam morbi causâ Urbem ſoſpes repetiit, ac ſi ejus ægritudinis genere tentata haud unquam fuiſſet.

Nec minùs feliciter Nobili alteri fœminæ hoc idem obſequium ceſſit. Etenim ſeù diductâ in renum cavitatibus venarum aliquâ, ſeù quolibet alio earum partium vitio, cum triennio ferè cruentam ſe urinam reddere anxiè doleret Nobilis Vir Franciſcus Ortiz Sanchez de Lunâ, adhibitis diù, multumque Medicæ Artis præſidiis, operæ adhuc pretium non fecerat. Quanquam enim demitigatam morbi vim ex intervallo experiretur; ſicubi tamen de præſcriptâ cibi, vel motus moderatione decedere officii, vel domeſticarum rerum ratio eum cogeret, recrudeſcere extemplò renum ulcus emiſſo iterùm ſanguine deprehendebat. Id adeò non humanis, ſed Divinis indigere remediis arbitratus, ad Magnæ Matris, Franciſcique implorandum Patrocinium ſe totum convertit. Nec ſegniùs pro Viri ſalute ſollicita ejus Uxor Felix Capiblanca domo Beneventana ad Franciſci ſepulcrum nudis pedibus opem imploratum contendit. Non irritas verò cecidiſſe eas preces haud ità poſt multò Amato Guerruccio Medico non ſine admiratione patuit. Severâ quippè diætâ illâ, ac motus ceſſatione intermitti ſenſim ab Ægro juſsâ, cum nullum recurrentis morbi veſtigium, prout metuerat, in urinâ deprehenderet, occultum renum ulcuſculum Cœleſti duntaxat ope accuratum probè jam eſſe, datis ſuper hac re publicis literis, judicavit.

Inter eos verò, qui receptis Franciſci ope beneficiis vicem rependere pro modulo voluere, recenſeri jure, ac merito poteſt Andreas Minedà Sacerdos domo Solofranus. Hic poſt acerrimum renum dolorem Junio menſe anno hujuſce ſeculi XIX. adhibitis Franciſci reliquiis non difficilè diſcuſſum, Auguſto menſe urinæ difficultate exagitari miſerrimè cœptus, VII. Id. ejuſdem menſis non longè ab interitu ſe abeſſe ratus eſt. Eo igitur morbo, ejuſque additamentis præter morem tortus, præſentem Franciſci eo in diſcrimine imploravit opem, eiuſque veſtium centunculum affectis admovit partibus. Nec ſua eum decepit fiducia: etenim majori niſu urinam paulò poſt reddere conatus, calculum magnitudine, ac formâ Hiſpanæ oleæ nucleo non abſimilem ejecit. Morbi igitur causâ eo niſu per urinam

Digitized by Google

nam redditâ doloris juxta, ac periculi expers ad perenne inſignis beneficii monumentum votivo dono benè adeò de ſe meritum Franciſcum eſt proſecutus; quippè cui vitam, atque incolumitatem acceptam ſeſe referre publico teſtimonio Neapolitani Libellionis Franciſci Como manu firmato aſſeruit.

Nec diſpari obſequio remetiri Franciſci beneficentiam voluit Sacerdos alius aſſiduo ſanguinis vomitu exagitatus, quem proximè ab interitu abeſſe non ex vano Medici prænunciabant. Huic nuper acceptas ab illuſtri Matronâ Andriæ Duce Franciſci reliquias illuſtris item Matrona Sermonetæ Dux ut primùm ſubmiſit, earum attactu perfectè ſe revaluiſſe expertus, votivi, quod exhibuit, muneris honore, ejus tumulum proſequi voluit, quem receptæ valetudinis Auctorem fuiſſe animadverterat.

Ipſa verò Andriæ Dux Aurelia Imperialis optimè de ſe pluries meritum in vitâ Franciſcum poſt mortem item propitium experta ex ipſo tumulo eſt. Etenim cum anno hujus, quod nunc labitur ſeculi XXII. non intermiſſo languore urgeri adeò capitis fibras doleret, ut nec ipsâ Chriſti Soteris Natali luce intereſſe Sacris extrà domum valeret, coram Franciſci Effigie per ejus merita mali inducias à Deo petere enixis precibus inſtitit. Meliùſque ſibi eſſe ſecundùm eas preces confeſtim gratulata, & domo egredi, & ad Franciſci tumulum, uti ſtatuerat, conferre ſe valuit. Remiſitque ſenſim ipſo in acceſſu capitis languor, ut noſtram in Ædem eo die ingredi, & morbi immunem agere perinde ei fuerit. Pro exarmato igitur morbo gratiis ibi Deo, ut par erat, perſolutis, quo potiſſimùm Narthecio abſtinenda à ſe in poſterum ea calamitas foret, feliciter edidicit. Etenim quoties recurſuras eas capitis moleſtias ſuſpicata deinde eſt, toties iteratas coram eâ Effigie preces ſalubres ſibi fuiſſe, tum juris jurandi, tum publicarum literarum fide interpoſitâ teſtata eſt.

Ad agendas prætereà Sancto Cyro, ſimulque Franciſco grates Noſtram in Ædem adductus ab Honuphrio de Petro Patre, & Margaritâ Barrettâ Matre Laurentius Filius cum tabulâ eſt, quæ redditæ Puero ſanitatis argumentum coloribus exprimeret. Ea porrò res, quæ duplex profectum à Franciſco beneficium involuit, ità ſe habuiſſe perhibetur. Accenſis coram depictâ Franciſci Imagine privatâ pietate cereis pro impetrandâ

tri-

Digitized by Google

trimi, cui metuebant, Filii vitâ non sine lacrimis memorati superiùs Parentes supplicabant: &, quò facilius inirent à Francisco gratiam, similes ad Sancti Cyri Aram ardere cereos nostrâ in Æde jusserant. Triduoque elapso meliùs Puero esse à Medicis est agnitum. Delapsâ quippè in crus, ac dexterum brachium peste, tumori utrique contrà expectationem abigendo tentata in brachio duntaxat incisio satis fuit. Interea in eandem hanc Francisci Imaginem, domum fortè veniens, offendit Anna Cialone, professione lotrix, acerrimo morbi genere in dexterâ manu sesquiannum vexata, cui nonnisi post dimidiæ penè manus abscissionem intrà trimestre spatium meliùs fore edixerant Chirurgi. Quare cum non morbo minùs, quàm curatione ad mendicitatem se adigi anxiè doleret, affectam manum Imagini in has effusa preces admovit: *Ineptam hanc labori manum en tibi trado, Franciſce, vitam quâ ſuſtentem meam: tuam tu viciſſim manum meæ ſubroges, oro, obteſtorque.* Nec irriti cecidere fœminæ gemitus: postero enim manè vegetam, omnique expeditam morbo adeò reperit dexteram, ut plenis lætitiæ vocibus ad agendas Deo coram eâdem Effigie gratias vix sui præ ingenti gaudio compos redierit. Quo fermè tempore persanatus etiam ex integro Laurentius Puer ad memoratam nuper grati erga Franciscum animi significationem Parentes adduxit.

Votivam pariter telam in Francisci obsequium attulit perpetuus ejus sanctimoniæ admirator Andreas è Patriciâ Afflictorum Familiâ Magnæ Curiæ Judex, quæ Franciscum Xaverium Filium post epota ejus reliquiarum fila diuturno vagæ Arthritidis morbo statim ereptum depictâ totius beneficii serie indicaret.

Argenteum etiam anathema videre apud Ædituos est, Sarnensis Ecclesiæ Canonici cujusdam votivum munus: in quo positis ipse genibus effictus propè paratum sibi sarcophagum est; unde nimirùm se Francisci ope eductum fatetur. Huic penè similia ex argento duo alia sunt ab illustri Fœminâ (1) *Veterum* in Lucanis Duce allata, duplicis profecti ab eodem beneficii monumenta.

Majoris moduli argenteum aliud donarium est, primarii

(1) Vertinarum *apud Aldrovand. vulgò* Vietri in Basilicata.

Digitized by Google

cujuſdam Germani Dynaſtæ nomine à Neapolitani Regni Pro-Reginâ Comite de Daun ad eoſdem Ædituos miſſum, pro inſigni Franciſci erga eum beneficentiâ grati animi pignus.

Alia item expreſſa coloribus tabula ab appulſo Neapolim Germano homine iis tradita, honeſti, uti teſtatus eſt, hominis donum, Franciſci ſubſidio lethalem ſe morbum exiiſſe publico eo teſtimonio gratulantis.

Præclariſſimum denique maximi in Franciſcum obſequii documentum Cor aureum eſt, à Celſiſſimo Moguntiæ Electore, paulò ante ſupremum, quem piè obiit, diem, donari Franciſco juſſum, in quo brevi hac Epigraphe P. Philippus Slouſen Societatis Sacerdos Summi Viri mentem expreſſit.

LOTHARIUS FRANCISCUS
A SCHONBORN
ELECTOR MOGUNTINUS
VEN. SERVO DEI P. FRANC.
DE HIERONYMO S. J.
Ob varia per ipſius in-
terceſſionem accepta
beneficia in hoc
Corde aureo Cor
ſuum offert.
Kal. Jan.
1729.

Hæc de Germanis in præſentia delibaſſe ſatis eſt: quantam enim perennibus Franciſci in ſe beneficiis, ac prodigiis tota, quam latè patet, Germania etiamnum gratiam referat, exponendum à me infrà uberiùs erit.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XVII.

Trium Germanorum Franciſci Fratrum Virtutes breviter perſtringuntur.

NEc ab inſtituti operis ratione aliena, nec minùs grata legentibus, opinor, accidet brevis hæc, quæ ad memorandas trium potiſſimùm Franciſci germanorum Fratrum virtutes excurrit digreſſio; ſi tamen digreſſio rectè dici ea poteſt, quæ paulò penitiùs inſpecta in Franciſci ipſius commendationem cedit: quippè qui natis poſt ſe Fratribus ad pietatem, integerrimæque vitæ rationem eximiæ illius, quâ ab incunabulis floruit, ſanctimoniæ præluxit exemplo.

Ac de Joſepho Maria, quem pubertatis annos vix egreſſum ſecum, ut dixi, Neapolim è Patriâ evexit Franciſcus, conſtans ea fama eſt, ipſum Scholaſticorum Sodalitio, quod ſalutatæ ab Angelo Deiparæ Virgini in Maximo Studiorum Collegio dicatum eſt, jam inde ab ipſo Neapolitanæ habitationis initio adſcriptum innocenter adeò, pièque vixiſſe, ut precum aſſiduitate, non interruptâ corporis afflictatione, ſedulâque Sodalitatis legum cuſtodiâ omnium, quas in Franciſco educatore cerneret, virtutum ſtrenuus æmulator æquis rerum æſtimatoribus appareret. Arctioris exinde vitæ, ſeù Fratris etiam imitandi cupiditate, XVII. ætatis anno nondum expleto, Societati, ut petierat, nomen inter domeſticæ operæ Adjutores dedit XII. Kal. Quintil. anno à V. P. MDCLXX. Eâ porrò initâ, præcoces adeò Religioſæ Virtutis fructus proferre confeſtim eſt viſus, ut in deligendo ſibi Socio eum provectioribus aliis antehabendum Tyrocinii Rector cenſuerit. Nec præcipiti judicio demandatum id ei muneris fuiſſe tùm incorruptus ejus vitæ tenor, tùm aliorum, qui noſtris exinde Tyronibus poſt ipſum non pauci numero præfuere, conſtans in eo retinendo firmavit auctoritas. Tanta in eo ſiquidem miſta affabilitati gravitas, comitati ſeveritas continenter eluxit, ut teneris adhùc, nec dum liberiorem vitam dedoctis, qui ad nos veniunt, Adoleſcentulis ad Noſtri Inſtituti normam ritè excolendis, quem aptiùs præficerent

Digitized by Google

rent per ea tempora viderent neminem. In animi sui cupiditates rigidum adeò imperium perpetuò exercuit, ut sese in potestate habuerit semper, nec de benè compositæ mentis statu prosperis, aut adversis rebus dejectum quisquam eum deprehenderit. Austerior ei quidem indoles, atque ad severitatem per se paulò proclivior: assiduo tamen lenitatis studio ità subacta, ut majorem in eo morum facilitatem, vel in familiari alloquio comitatem neutiquam quis desideraret. Cæterùm sibi ipsi usque adeò nullâ in re indulgere, ut cibi, somnique parcissimus paucas admodùm horas, non detractis corpori vestibus, neglectoque lectuli usu, nocturnæ quieti impertiret. Nec nocte quantumvis intempestâ, seù alterius cujuspiam rei causâ adire ad eum ullus unquam debuit Tyro, quin alacrem, imò expeditissimum ad celerrimè accurrendum eum experiretur.

Quadraginta circiter, ac duobus annis ab initâ Societate ità transactis, ætatis verò suæ supra quinquagesimum octavo Peripneumoniæ morbo acriter adeò tentari cœpit, ut conclamatum ejus vitæ propediem esse jam inde ab ægritudinis initio ex frequentibus potissimùm animi deliquiis conjicerent Medici. Quibus tamen ipse proximi exitus metu liberatis; *Haud ità*, ajebat; *sed prid. Non. Januar. tertiâ noctis horâ è vivis excedam*. Quod sanè non sine Cœlesti afflatu ab eo dictum, tùm secuta reapsè prænunciato tempore mors, tùm alterius, quod pridie mortis edidit, vaticinii eventus probavit. Etenim cum triduo ante celeberrimam Epiphaniæ lucem ex veteri more solitudini, ac precibus intenti continere domi se debeant Juniores Scholastici, quò ad instauranda emissa olim Vota animum comparent; ad proxima Josephi parentalia ne evocandos quidem hos è Studiorum Collegio fore quisque censuisset. Præter expectationem tamen ad præsentes obversus extremo illo vitæ articulo Josephus; *Agite*, inquit, *cerei ne cras desint, sedulò curate: bonâ Moderatorum venià parentatum mihi cum aliis è Neapolitano Collegio accedent Juniores Scholastici*. Nec dicto abfuit fides: ejus quippè exitu de more nunciato, nil æquiùs, Deoque gratius fieri à nostris Junioribus posse censuit, edixitque is, qui tùm Provinciæ præerat, quàm si confueti feceffus lege eo die soluti extremos ei honores persolutum irent, quem in omni vitâ Societatis Adolescentium moribus efformandis sedulò, ac strenuè adlaborasse constaret; quemque, si nihil aliud,

mira

Digitized by Google

mira cadaveris tractabilitas, Virginei, qui in eo floruit, Candoris seù indicium, seù præmium decoraret. Decretus ei etiam (rarum in Societate, nec nisi perpaucis, hisque optimis attributum decus) Imaginis honor, sub quâ Epigraphen hanc ab eodem Provinciæ Præposito Mauritio ab Antonellis scriptam legere cuique licet.

Frater Joseph Maria de Hieronymo Grottalearum, *statim ab exacto Tyrocinio ad mortem usque Magistri Novitiorum Socius annos supra quadraginta, curis licèt variis, gravibusque plurimis simul addictus, hilaris semper, iratus nunquam, mœstus nulli, lassus nusquam, omnibus omnia visus præterquàm sibi: inter extremos Pneumoniæ, quâ occubuit, cruciatus, adstantium dolori, non suo, indolebat. Precatus unicè, ne mortem diù optatam precibus retardarent. De sui funeris frequentiâ, quamvis tunc insperatâ, Ædituum pridie monuit. Tandem quâ prædixerat horâ, inter omnium lacrimas obiit Neapoli* XV. *Januarii anno* 1713. *Ætatis* 58. *Soc.* 42.

Denique in domesticarum Ephemeridum monumenta ejus Nomen, atque Elogium publicè quotannis legendum referri petentibus Neapolitanæ Provinciæ Comitiis, de eximiâ hominis probitate, ac virtutibus certior factus Societatis universæ Præpositus Michael Angelus Tamburinus benignè indulsit.

De Cataldo, altero Francisci Fratre, quanquam ad nos pauca admodum pervenerint; eum tamen Francisco non quidem virtute parem, sed tamen non dissimilem fuisse in confesso est. Ejus hic Sodalitati adscriptus, Apostolicarum ejus Excursionum assiduus comes tùm Neapoli, tùm in lustrandis Regni Urbibus, atque Oppidis fuit. Eam porrò dexteritatis, ac prudentiæ laudem eximiæ pietati adjunxit, ut vix quicquam majoris moliminis ad Dei Gloriam, ac proximorum commodum inscio Cataldo suscipere jam vellet Franciscus. Ac si quando reconciliandi inter se discordes animi forent, aut ad saniora consilia obstinatior aliquis identidem revocandus; quodcunque demum difficilis negotii opus occurreret, ipso in consilium, atque in operæ consortium adhibito, faustè, bellèque procedere omnia expertus jam fuerat. Perpetua hæc ejus vitæ ratio Neapoli fuit, eò sanè laudabilior, quò secularem, ac sui juris hominem vitæ suæ commoda alienæ saluti posthabere mirabilius est. Eum præterea religionis, aliarumque virtutum stu-

Digitized by Google

ſtudio incenſum quaternis minimùm Sacris intereſſe nulla non vidit dies; nec, quominùs poſt pios diei labores flagellis aſperè in ſe animadverteret, ulla ab eâ nox impetravit. Imò ſextâ quâq; hebdomadis feriâ ferreis in ſe, latera quæ pungerent, catellis deſævire conſueverat, quò Chriſti Soteris cruciatibus acerbior illa ſui corporis afflictatio utcunque redderet vicem. Mutuo aliquoties datam nonnullis pecuniam amittere, quam eos in jus trahere maluit: ſolutionem detrectantibus id ſolùm objicere contentus, eos nempè ſuis ipſorũ animis potiùs, quàm ſibi injurios eſſe, qui contrà fas id genus noxis ſe adſtringerent. Martio menſe Anno Æræ Chriſt. MDCCXV., quo tempore Franciſcus Pleuritidem, eodem febrim ipſe contraxit. Cumque in ſuam, ac Fratris ægritudinem animum intendens, *alteutram à Deo vocari*, nec ſemel pronunciaſſet Franciſcus; Oraculum morbo ſuccumbens eo lubentiùs implevit Cataldus, quò utiliorem Chriſtianæ Reipublicæ Fratris vitam ratus, pro ejus ſalute ſe Deo jam ſpontè devoverat. Invidenda porrò Aſcetis ipſis, ac Monachis mors ei obtigit: neque enim extremo eo tempore aliud cogitare, aut loqui niſi Deum, ac Divina aggreſſus, aut Cæli Reginæ pias laudes canere, aut ſuum erga Deum amorem, quâ poterat, voce teſtari audiebatur. Affligendi corporis, quod in eo viguit, ſtudium mirari ſtatim à morte licuit: quò enim latera armaverat cilicium, adjunctaſque membris ferreas catellas, ne in extremi quidem morbi intemperiis eum depoſuiſſe maximum ejus pietatis, intentique in ſui cuſtodiam animi indicium fuit.

Clericalis Militiæ inſtitutum, quod amplexus eſt, doctrinâ, & laudabilis vitæ exemplis è Franciſci Fratribus tertius exornavit Thomas; Philoſophiæ, ac Juris utriuſque Prudentiæ laureâ Neapoli donatus, poſtquàm Sacerdotio inito in obeundis circà finitimos Urbi Pagos Miſſionibus Franciſco ſe ſocium tradidit, Moralis Theologiæ ſtudio animum ſedulò adjecit, donec annos duo de triginta vix natus Cryptaleenſis Eccleſiæ Collegio *Archipreſbyter* magno ſuorum popularium plauſu Pontificio Diplomate præfectus eſt. Ibi poſt eas, quas rerum Cœleſtium commentationi, ac familiaribus cum Deo colloquiis ſeponere conſueverat horas, tùm habendis ad populum feſto quoque die Concionibus, tùm inſtruendis Chriſtianâ Catechеſi rudibus, ac pueris, tùm vitiis demum, ſi quæ in populum irrepſiſſent, evellendis ſedulam, ac frequentem navavit operam:

Digitized by Google

ram : nec quicquam proponere audientibus auditus est unquam, quod in suis ipse moribus non præmonstrasset. In sublevandis inopum calamitatibus, atque in injuriis beneficio rependendis ejus potissimùm virtus eluxit. Et alienæ quidem inopiæ eâ fide, ac prudentiâ prospexit, ut erogandam in hosce usus stipem plures ei locupletes permiserint, quò fraudulenter opplorantium petitionibus minùs pateret. Contumeliosa in se verba molliter adeò accepit, ut eximiam ejus modestiam non tolerantiæ, sed naturali cuidam timiditati parùm æqui veræ virtutis æstimatores quidam adscriberent. Ob has, cæteraque, quibus floruit, laudes, magni in Tarentinâ Ditione ab Archiepiscopis, ejusque tractus Primoribus habitus, collectam probitatis, ac prudentiæ famam, implexis, ac difficillimis negotiis, quâ consilio, quâ operâ publicè, privatèque expediendis adauxit. Podagræ morbo triennium pacatissimè tolerato, anno Hum. Sal. MDCCXXI. III. Id. April., qui in sanctum Paraſceves diem eo anno incidit, uti jamdiù optarat, maximo Civium omnium luctu extinctus est. Egregiam ejus vitæ probitatem pergratam Deo fuisse incorruptum post mortem cadaver ostendere est visum. Biennio quidem ab exitu integrum illud, ac flexibile, nec horrorem, ut in cæteris fit, sed veluti pietatem spirans reperтum, animi integritatem ex integritate corporis æstimandam spectantibus obtulit. Testatus præterea est Cryptaleensis Sacerdos Vitus Dominicus Mele, se ab Hydropis morbo sibi non ex vano metuentem, Civis sui Thomæ precibus valetudinem suam ex animo commendasse: objectumque sibi, soporato ne, an vigilanti? incertum; objectum, inquam, composito ad hilaritatem vultu Thomam, intercutis aquæ morbo securum se agere jussisse: formidatique morbi immunitatem visi à se hominis dictis fidem fecisse.

Hos porrò Fratres non sanguine duntaxat, ac singularium virtutum laude conjunctos vixisse, verùm etiam Cœlestis Felicitatis communione in æternâ Cœlitum Sede nunc frui colligere ex eo etiam licet, quod annò hujus sæculi XXIX. erga superstitem adhùc Fratrem suum Dominicum concordi precum studio præstitisse transmissa haud ità pridem Cryptaleis authentica perhibent documenta. Igitur Kal. Decembr. periculosâ correptus febri Dominicus de Hieronymo, ingravescentibus in diem morbi indiciis, ad IV. Id. ejusdem mensis adactus eò est, ut non lon-

longè ab extremâ horâ eum abeſſe ex collapſis viribus, necnon ex artuum convulſione, ac ſingultu conjiceret Medicus. Ac vix Sacro Viatico munîri eo die valuit, cum ſenſibus præterea deſtitui uſque eò cœpit, ut nec extremo ſe ritè obliniri oleo, nec ſanguinem cientibus cucurbitulis humeros vexari animadverterit. Senſuum verò uſu proximâ nocte quadamtenùs recuperato, jam inibi expiraturi oculis adeſſe viſi ſunt Franciſcus, Joſeph, & Cataldus Fratres, ipſumque his verbis affari; *Macte animo, Dominice: impetrata tibi per nos vita jam eſt*. Quo dicto objecta illa trium germanorum ſpecies repentè quidem evanuit: non vana tamen Ægrum eo viſo didiciſſe miteſcens eodem temporis puncto morbus edocuit. Profectò cum deceſſurum eum eâ nocte Orontius Caſſorius Medicus opinaretur, non ſuperſtitem modò Dominicum, ſed abactis jam lethi indiciis mente vegetum, ac vix febriculâ vexatum manè reperit. Quam ſimul ex toto deſiiſſe evoluto alterius diei ſpatio præter ſpem deprehendit, ac de viſis ſuperiori nocte Fratribus certior ab Ægro eſt factus; *Ne plura*, inquit, *tàm repentinam in meliùs mutationem in altiores id genus cauſas referri duntaxat poſſe ſatis intelligo*. Pauciſque poſt diebus, ubi recuperatis jam viribus pro incolumi omninò ſe gerere conſpexit Dominicum, id ſibi eò admirabilius, ac prodigii manifeſtius videri publicis aſſeruit literis, quod cum neminem penè ex ejus anni inclementiâ non recidivum in Tarentino agro obſervaverit Ægrum; unus hic prioris morbi periculo defungi ità valuerit, ut redituræ ægritudinis ne ſuſpicione quidem poſtmodùm laborarit.

CAPUT XVIII.

Quæ fuerint hominum de Franciſci Virtute in vita, & poſt mortem judicia.

QUanquam pertæſa hominum favorem, ac plauſum uni ſe Deo probare ſolida piorum Virorum probitas ſtudeat; tegere ſe tamen ſecreti ſui latebris haud ità poteſt, ut diù deliteat, eorumque præſertim admirationem, ac laudes defugiat, quo-

Digitized by Google

quorum vel animos insigni beneficio devinxerit, vel oculos insuetâ prodigii alicujus luce perstrinxerit. Hinc plenæ illæ obsequii voces, quibus vix agnita omnium in ore versatur: hinc & ampliſſimæ illæ honoris significationes, quibus ad eam prædicandam, atque in Cœlum evehendam non rudis tantùm plebeculæ acclamationibus, sed graviſſimis primi subsellii hominum judiciis certatim excurritur. Ex quo fit, ut egregiis Sanctimoniæ cultoribus, è sui-ne despectu, an ex alienâ admiratione nominis, ac famæ celebritas cumulatiùs redeat, in medio sit.

Quàm porrò altas in hominum animis radices concepta de eximiâ Franciſci virtute exiſtimatio egerit, clarius ex memoratis hactenùs esse arbitror, quàm ut iteratâ enarratione opus sit. Quantus enim ei Sacras Missiones tùm Neapoli, tùm in aliis Regni Urbibus, atque Oppidis obeunti honor passim est habitus, quem & venientem supplicantium ritu excipere, & abeuntem palmarum ramis manu prælatis honorifico comitatu in vicina Oppida deducere locorum aliquot populares voluere! Obvium eum præterea nonniſi in genua provoluti salutare non pauci consueverant: viventis adhùc imaginem in telâ depingi ab aliis curatum: universim verò rerum, quascunque ipse contrectaſſet, habendarum in plurimis inexpleta cupiditas. In ejus vestes cultellis, imò & dentium morsibus palàm ab importunâ popelli pietate quandoque sævitum: decussatus pileus persæpè subreptus, alio, qui pium furtum tegeret, callidè subrogato: exaratæ ab ipso epiſtolæ cautè servatæ: mensæ demùm ipsius analecta à nonnemine diligenter sepoſita, pii amuleti loco, ubi res posceret, ægris futura.

Nec verò rudis duntaxat plebeculæ, aut inconsultæ nonnullorum credulitatis tanta hæc erga ipsum officia fuiſſe quis autumet. Nihilò minora primæ notæ homines, eosdemque prudentiſſimos veræ sanctimoniæ æstimatores aggressos fuiſſe compertum est. E' Nostris certè (ut ab his, quibuscum vixit, incipiam) tot ipse laudatores habuit, quot sortitus est contubernales. Neque enim quicquam ab his in eo tot annorum spatio observatum unquam, quod aut minutiſſimis quibusque Domesticæ Disciplinæ Legibus minùs congruere, aut ab Evangelicæ Sanctitatis severitate aliquatenùs deflectere videretur. Hinc in ejus laudes certatim omnes eò propensiùs effundi, quò admi-

ſabilior apud perſpicaces, longoque uſu ad veram virtutem eruditos mortalis hominis probitas eſt cenſuræ omnis expers. Eum is, quem primùm in Profeſſorum Domo Homologetam, vitæque Ducem habuit, Andreas Ucellus, Vir ob egregiè obitos pro Deo labores Calabriæ Apoſtoli vulgò ſortitus nomen, teſte Neritino Epiſcopo Antonio Sanfelicio, non alio, quàm *Angeli* nomine appellare conſueverat. Requiſiti de ejus adhùc viventis moribus è Noſtratibus duo, Franciſcus nimirùm Paternò, & Dominicus Mancinus; quanti eum facerent, tranſcripta hæc è Provinciæ Tabulario ſingulorum teſtimonia affatim produnt. *Vir* (ità eorum alter reſpondet) *integerrimæ virtutis in omnibus, & publicâ ſanctioris vitæ famâ ubique notus. Domi ſoli Deo, ac ſibi vacans; foris Apoſtolico in Concionibus zelo, ac ſtudio juvandi proximos per quaſcunque caritatis artes in omnes effuſus. Humilitate, Paupertate, Manſuetudine, Obedientiâ, omnidenique Religioſæ Perfectionis gradu inſignis.* Nec minori verborum apparatu in ejus virtutum laudem ità excurrit alter; *Eſt Sanctus*, inquit; *& niſi à Superioribus coerceretur, excederet limites externarum mortificationum. Humillimus, pauperrimus, manſuetus; & videtur obtinuiſſe dominium ſuarum paſſionum. Suprà id, quod credi poteſt, obedientiâ erga ſuos Superiores excellit. Officium exercet Miſſionarii ſummâ cum laude, & excellentiâ Sanctitatis.*

Eòdem, ni fallor, recidit, quod, inſpectâ Franciſci Vitâ, ac rebus geſtis, alii item è Noſtris virtute, ac doctrinâ admodùm conſpicuo in mentem venit. In uno hic Franciſco cognomines Franciſcos omnes tanquam in expreſsâ ad vivum imagine intueri ſe aſſeruit. In ejus enim animi demiſſione Aſſiſiatem, in prodigiis Paulanum, in Apoſtolicis laboribus Xaverium, in animi ſuavitate homines ad Deum allicientis Saleſium, ſuo judicio effulgere exiſtimavit. Placuitque adeò inſtituta ab eo comparatio, ut ſingulari in Euchariſtiam cultu Borgiam etiam ab eo exprimi addiderint alii; & nunquam defatigatis in vilis plebeculæ commodum viribus Joannem Franciſcum de Regis, à Clemente XI. eodem, quo Franciſcus obiit, menſe, atque anno, Beatorum Indigetum numero adſcriptum. Adjicere his Solanum etiam, opinor, poterant à Benedicto XIII. nuper inter Sanctos relatum; cui non diſſimilis vitæ genere, ac profeſſione Franciſcus, in lucrandis Deo hominibus non aliter in Neapoli-

Digitized by Google

politani Regni finibus se exercuisse videtur, quàm pro Occidentalibus Indis in Tucumanicâ Provinciâ veræ Religionis luce imbuendis sub seculi superioris initium laborasse illum Seraphici Ordinis perhibent Monumenta.

Fuere, non inficior, inter plures, quos Franciscus Præpositos habuit, potissimùm duo, qui cum suprà commune fastigium ejus vitæ Sanctitatem evehi minimè crederent, ejus animi constantiæ, quà objurgationibus, quà severioribus imperiis periculum facere identidem voluere. Quos tamen ità falsæ opinionis coarguit experimentum, ut conceptæ perperàm existimationis temporis processu utrumque puduerit. Ac verso in admirationem despectu, insignis ejus Sanctimoniæ buccinator alter evaserit; alter verò ad perenne sui erga ipsum obsequii monumentum primus ejus vitæ Scriptor, præsertim recenti recuperatæ per eum valetudinis beneficio obstrictus, esse voluerit. Cæterùm præter hos, qui erroris sese paulò seriùs damnarunt, constans adeò de eximiis ejus virtutibus existimatio apud alios passim invaluit, ut ficubi gestarum rerum auctorem Franciscum fuisse constaret, iis obloqui, aut ullâ ratione obstrepere religioni sibi quisque duceret. Humanæ siquidem prudentiæ legibus dimetiri ea nefas putabant, quæcunque altiori Cœlestis Sapientiæ ductu tanti Viri mens, atque animus aggrederetur. Ipsum potiùs, anceps ubi consilium foret, adire, ejus responsa Oraculi, aut Vaticinii loco habere: nec nisi ipsius nutu, atque auctoritate majoris momenti res exequi consueverant tùm è Neapolitanâ Provinciâ non pauci, tùm ex aliis Provinciis quidam, quos Franciscí aut videndi, aut de perfectioris vitæ statu consulendi studium præcipuè Neapolim attraxit.

Ad hæc; quàm ampla, quàm illustria sunt, quæ de ejus Sanctimoniâ, ac prodigiis apud legitimos Quæsitores, post ejus obitum, doctrinâ, ac pietate præstantes Nostratium non pauci magnifica edidere testimonia! Mihi profectò publicas eas tabulas, quæ ad impetrandos ei à Summo Hierarchâ Cœlestes honores confectæ Neapoli, ac Typis jam editæ sunt, inspicienti honorifica adeò Nostratium potissimùm apparuere judicia, ut eorum animum in singulis mihi legere videar, quos in magnificas adeò de ejus virtute voces erumpere nonnisi collecta è tot ejus sanctissimæ integritatis documentis coegit admiratio. De-

Digitized by Google

nique omnium inſtar in hac re eſt, quod amiſſus nuper Supremus totius Familiæ Moderator Michael Angelus Tamburinus erga extinctum Franciſcum eximiæ virtutis, ac mirabilium rerum famâ ſibi duntaxat notum præſtare non dubitavit. Ei ſanè in vivis adhùc agenti per literas ſeſe enixiùs jampridem commendaverat: de ejus verò deceſſu certior per tabellarios factus, Neapolitanæ Profeſſorum Domus Præpoſito Antonio de Angelis ſtatim indixit, ut domeſticum amiculum, quo extremo in morbo uſus fuiſſet Franciſcus, Romam ad ſe quantocyùs tranſmitteret, eximii viri ſanctimoniæ monumentum, impetrandæque per ipſum è Cœlo opis pignus futurum. Et verò ſublimium hominis apud Deum meritorum duodecim poſt annis haud immemor, dum anno hujus ſeculi XXVIII. Auguſto menſe ex violentâ pectoris gravedine ſupremis Myſteriis jam ritè procuratus propè ab interitu abeſſet; diſcuſsâ tamen, quæ pectus invaſerat, peſte, revaluit, mœſtamque Societatem ingentis jacturæ metu liberavit. At verò Franciſci Imagine adhibitâ Medicorum remediis additum robur fuiſſe, ejuſque patrocinio, ac precibus declinatum ab eo lethi periculum accepimus, quò ejus ſanctimoniæ ut antea admirator, ità teſtis, ac præco in poſterum foret.

Quàm porrò magnificis verborum formulis his de ipſo judiciis turmatim ſubſcripſerint Externi, infinitum eſſet enumerare. Tam multos ſanè memorata à me nuper ejus Acta exhibent, eoſque, quâ vitæ, quâ etiam doctrinæ laude conſpicuos mirabilium ejus rerum, atque operum teſtes, ut obruere numero legentem videar, ſi ſingulos percenſeam. Perpaucos tamen ut ſeligam, ſumma, atque ampliſſima, quâ floruere, quâve etiamnum eorum aliquot florent, Dignitas efficit. Philippus è Nobili Albinorum Proſapiâ domo Beneventanus, idemque Sanctæ Agathæ Gothorum Epiſcopus, non alio, quàm *Sancti* nomine Franciſcum vocitare conſueverat. Andriæ Epiſcopus Nicolaus Adinolfus, tùm anteà, tùm ubi Quadrageſimalium Concionum, ac Miſſionis Apoſtolicæ occaſione vitam ejus, ac doctrinam penitiùs introſpexit, tanti eum fecit, ut quicquid verbo, aut ſcripto cenſeret Franciſcus, Oraculi ei loco eſſet. Antonio verò Sanfelicio Neritinorum Antiſtiti admirabilis adeò ab ineunte ætate Franciſci virtus apparuit, ut ampliſſimis eam verbis commendare, ejuſque egregios labores cum animi demiſſione

Digitized by Google

ne, cæteriſque Apoſtolici Viri dotibus conjunctos ſignatis ſuo Chirographo literis exponere officii penè ſui partes eſſe duxerit. Theſſalonicenſis prætereà Archiepiſcopus, atque ad Regnum Neapolitanum à Romano Pontifice Nuncius Hieronymus Alexander Vincentinus extremo morbo laborantem Franciſcum ejus Sanctitatis famâ permotus inviſere voluit; donatuſque ab eo Sancti Cyri reliquiis certam earum fidem ab eo ſuo ſibi Chirographo fieri callidè voluit, ut pio nimirùm eo aſtu ejus aliquid extorqueret. Ac reapsè ubi tremulâ ejus manu ſubſcriptas accepit; *Benè eſt*, ſubjecit, *duas hodie mihi reliquias unâ, eâdemque operâ habere obtigit*. Par in redditas ſibi non rarò à Franciſco Epiſtolas Averſani Epiſcopi Innici S. R. E. Cardinalis Caraccioli eluxit obſequium. Non enim has legere, niſi priùs capiti ſuperpoſitas, in more habuit. Quod ſummi Viri obſequium, ut cæteris, quibus clarult, virtutibus eſt ornamento, ità in Franciſci, de quo Vir egregiæ Sanctimoniæ aſſiduus cultor præclarè adeò ſenſiſſe viſus eſt, maximam laudem redundat. Majora his publicè præſtare haud veritus eſt maximum illud Sacræ Prædicatorum Familiæ, imò univerſæ Chriſtianæ Reipublicæ lumen Vincentius Maria Cardinalis Urſinus, idem, qui aſſumpto Benedicti XIII. nomine, ad totius Eccleſiæ clavum ſedit. Aliis enim nec paucis, quibus viventem proſequi officiis ſtuduit, illud etiam ad augendam extincti gloriam addidit, ut de eo Beneventi ad Populum dicere, ejuſque Sacerdotalem Pileum ægro cuidam ſalutarem attactu repentè fuiſſe, è ſuggeſtu referre, compertâ re, haudquaquam diſtuleſit.

Nec diſſimilia (quod in hac re plurimùm etiam valet) illuſtrium è Religioſis Familiis hominum de ipſo fuere judicia. Profectò de ſacrorum hominum vitâ, atque inſtitutis præclarè ſemper exiſtimanti Franciſco cum ingenti laudis fœnore redditam ab eorum plurimis vicem fuiſſe reperio. In eo plurima Dei dona non ſemel ſe ſuſpexiſſe teſtatus de ſcripto eſt Frater Angelicus Capuccinus, Tropeanæ Eccleſiæ Epiſcopus. Nec diſpar de admirabili ejus virtutum complexione ex eodem Minorum Ordine teſtimonium edidit Frater Hieronymus à Laurino, Vir ob ſingularem doctrinæ, ac pietatis laudem magno in honore apud ſuos habitus. Ex illuſtri prætereà Prædicatorum Familiâ non obſcuri nominis Theologus Magiſtri laureâ

inſi-

Digitized by Google

inſignis è conceptâ jampridem de Franciſco exiſtimatione hunc ſibi fructum proveniſſe aſſeruit, quod permoleſto, quo fortè vexabatur, animi angori levamen ab ejus conſiliis quæſitum progreſſus, ab hiſce duntaxat ejus verbis; *Mariam, quæ Conſolatrix Afflictorum eſt, præſidio, ac levamini tibi eſſe gratulaberis*; diſcuſſum è veſtigio mœrorem ità ſenſerit, ut tetricis curarum nebulis diſcedens animum liberare facili negotio valuerit. Nec diſpari perſuaſione imbuta alterius ex eodem Ordine amica expoſtulatio apparuit, quod ſolum nempè Pagos obire tantum pateremur Virum; ex quo illud interim fieri conqueſtus eſt, quod nullo ejus operum inſpectore deſignato, plurimarum, quas ageret, mirabilium rerum memoriam noſtræ ſocordiæ vitio perire haud quicquam penſi haberemus. Eadem penè tùm de eximiæ ejus virtutis conſtantiâ, tùm de acceptis ab eo ſanctioris vitæ conſiliis vaticinio non ſemel adjunctis memorant è præclaro Minimorum Inſtituto Calliſtus de Abellino, & inſignis Theologus, & Concionator Bernardinus Colucius. Longè his prolixiùs in ejus Sanctimoniæ commendationem effuſi ex inclyto Clericorum Regularium Ordine, quos Theatinos appellant, Caſimirus Palmerius, & Caſimirus Maria Foti, eam humano faſtigio majorem viſam ſibi ſemper fuiſſe prodidere. Imò magno illi Eccleſiæ lumini Sancto Andreæ de Abellino ſupparem Franciſcum fuiſſe judicavit Palmerius. Foti verò Franciſci inceſſum, voces, conſilia, epiſtolas, nil niſi abſolutam numeris omnibus ſanctitatem redolere ſibi perſuaſit, prout datis è Romanâ Sancti Sylveſtri Domo literis IV. Id. Octobr. anno MDCCXVII. diſertiſſimè explicuit.

Commemorandis modò Sacrarum Deo Virginum erga Franciſcum ſtudiis quò minùs ſuperſedeam, hæc ipſa, quam expoſui hactenùs, gravium Virorum auctoritas facit. An enim, ut paſſim fit, nimiæ credulitatis in hac etiam re eas quiſquam inſimulet, in qua adſtipulari tot prudentiſſimis rerum æſtimatoribus earum animi ſenſus inſpiciat? Parentis eum igitur, & communis miſerorum perfugii nomine laudatum à me pluries Divini Amoris Aſceterium coluit. E' Regio Sanctæ Claræ Cœnobio fuere inter alias Virgines potiſſimùm duæ, quibus ejus auctoritas, ac nomen tanti fuit, ut altera Antiſtitæ imperio priùs aſperè refragata, tantùm quod in Franciſci ſaltem gratiam exequendum illud eſſe audiit, contumaciam ſtatim omnem

Digitized by Google

nem depoſuit. Altera verò ad altercandum pro ſuo, quod prætendebat, jure jam prona, vix ſignificatæ per literas Franciſci ſententiæ ità acquievit, ut causâ cadere, quàm ſcribentis conſilio obluctari maluerit. Nec his diſſimilia de aliis paſſim Aſceteriis memorant: niſi quod in horum uno Religioſæ Diſciplinæ famâ cæteroqui conſpicuo mirum illud, ac ſingulare eſt obſervatum, quòd Franciſci nimirùm eodem tempore & Concionis nimiæ auſteritatis obtentu Aſcetriæ refugerint: & privata alloquia in ægritudinum levamen, necnon veſtium præſegmina audito ejus obitu ſummo ſtudio quæſiverint. Potiorem his corporum, quàm animorum curam fuiſſe, id de piiſſimo earum cœtu ne ſuſpicari quidem cuiquam in mentem veniat. Illud veriùs creditum, inanem quidem nondum auditi hominis metum illum fuiſſe; ſed condonandum iis tamen, quas præpoſtera illa nimiæ ſeveritatis opinio à diligendâ ejus, quem metuerent, hominis ſanctitate haudquaquam abſtraxerit.

Hanc intrà Neapolitani Regni ambitum eximiæ probitatis exiſtimationem cum apud alios etiam Sacri, ac profani Ordinis homines res obiter penè alicubi geſtæ Franciſco conciliaverint; mirum non ſit incredibili eum in pretio apud Neapolitanæ potiſſimùm Urbis Cives, accolaſque fuiſſe, quibus aſſiduus, nulloque diſcrimine impenſus in commune commodum labor, inculpati mores, fuci, ac fallaciæ expers comitas, ſuccreſcens in dies vaticinii ſpiritus, ac prodigiorum fama perpetuæ admirationis materies quadraginta annorum ſpatio fuere. Hinc celebrari ejus nomen in Foro, in Triviis, in privatis domibus paſſim audires, aliis in alias ejus laudes certatim excurrentibus. Eum non de nihilo ab ægris avidè expoſci, cujus nempè alloquio, precibus, imò etiam fauſto recuperandarum virium præſagio recreatum iri ſe ſcirent. Humano majus aliquid in ejus conſiliis elucere; quippè quem nec dum requiſitum obortas animi dubitationes aptâ reſponſione prævertiſſe ſæpè conſtaret: occultam ejus liberalitatem inopum Familiarum honeſtati, ac pudori præſidio eſſe, publico verò labori reſtitutos. Civium mores maximâ ex parte deberi.

Ex hac, quæ animos communiter occupaverat, illuſtrium, nec unquam intermiſſorum operum famâ ingens illud erga ipſum omnium Ordinum obſequium, nec minor benevolentia. Et benevolentia quidem illud effecit, ut falsò non ſemel jactatâ ejus

Digitized by Google

ejus in externis Missionibus nece, revocandus in Urbem quanto cocyùs, ac per frequentissimas vias circumducendus veluti fuerit, imò Neapolitano ipsi Proregi sistendus, quò subortum è dilectissimi capitis jacturâ mœrorem, ac metum obviorum oculis conspicuus abstergeret. Eodemque in ipsum amore, ac studio, ubi anno elapsi proximè seculi LXXXVIII. corruisse terræmotu nostræ Ædis Tholum, atque è Nostris aliquot ruinâ miserè oppressos interiisse in Urbe percrebuit; id primùm auditâ calamitate scitari passim auditi Cives; *Superstes-ne tantæ cladi esset Franciscus?* Adeò hominis de omnium salute soliciti vita, ac salus omnium vicissim curam, ac solicitudinem absorbebat.

In deterrendis tamen à scelere pervicaciorum quorundam animis potiores obsequii, quàm benevolentiæ partes fuere. Clarum id præ cæteris in nobili Adolescente, qui ut adulterium, quod animo coquebat, re exequeretur, in viam se jam dederat. Hunc quippe à meditato flagitio, salute duntaxat ei comiter nunciatâ, obvius extemplò avertit Franciscus. Quò enim erga se non aliàs visum, inexpectatum illud, ac solito humanius officium tenderet, secum dum reputat Adolescentulus; patuisse homini suum crimen conjecit; salutationemque illam non tàm ad honorem, quàm ad concepti à se sceleris tacitam objurgationem pertinere interpretatus, meditati criminis pudore suffusus, ad Homologetam confestim expiandus accessit; animique sui nequitiam adeò deinde est aversatus, ut famæ suæ immemor Franciscí salutatione ad pudica se rediisse consilia publicè testari non dubitaverit. Illustrius hoc aliud, eòque majus, quò in ipso flagitii æstu suæ imperare cupiditati difficilius est. Familiari amiculæ consuetudine orbatum se cum quidam doleret, ereptæ sibi è manibus prædæ dolorem prædatoris Francisci morte nefariè ulcisci decreverat. Jamque pugione armatus insidiari ejus vitæ occœperat. Verùm in obvium semel, atque iterùm incurrens, cogitati flagitii atrocitate percelli animum adeò sensit, ut verso in venerationem odio, non ad exequendum, sed ad expiandum confessione crimen ad ejus, quem paulò ante execrabatur, hominis pedes se abjecerit. Ad efferatum nempè impurissimi hominis animum deliniendum sanctitudinis, quæ in ejus ore, atque oculis elucere visa est, majestas quædam evaluit;

Quæ

Digitized by Google

Quæ porrò, nunciato ejus obitu, in extincti obsequium suis penè effusa è sedibus, atque in nostrum Templum transfusa Civitas egerit, cum suo loco retulerim, memorare hìc iterùm operæ pretium haud est. Certè eo biduo, quo insepultus undique confluentium oculis patuit, tanti repentè omnium ordinum concursus ad ejus pheretrum facti, tot etiam partim opem exposcentium, partim impetratam gratulantium vocibus tota, quàm latè patet, nostra Ædes personuit, ut quanquam nullis id verbis satis exprimi existimem, majora tamen verò à me enarrari suspicatura fortasse posteritas sit. Ne verò subtracti ex oculis Francisci memoria ex animis elaberetur, ad habendæ ejus Imaginis studium eo ardore Civium plerique conversi, ut ad ejus Icones, seù telâ, seù papyro graphicè exprimendas, adhibita plurium Artificum industria vix par esse valuerit. Jocatusque non illepidè super ingenti hujusmodi Imaginum numero, qui eas in cæteris pinxit, Nicolaus Murena, Francisci misericordiâ collectum è tàm multiplici Picturâ lucrum sibi ex insperato proveniisse affirmavit. Neque enim aliâ de causâ vivum coloribus effingi haudquaquam eum potuisse, nisi ut, qui modestiæ suæ cautissimè in omni vitâ prospexerat, tenui Pictorum censui post mortem, inanis jam gloriæ securus, abundè prospiceret.

Quanquam verò Francisci Effigiem nulla penè Neapoli non ostentet domus; eamque præterea ære incisam, ac brevi exornatam Elogio prodire in publicum jusserit Magnæ Curiæ Judex Andreas de Afflicto, perenne sui erga Franciscum studii monumentum; privatis tamen hisce obsequiis majus aliquid in grati erga ipsum animi significationem prima omnium aggressa publicè est celeberrima ibidem Peregrinorum, ac Revalescentium Sodalitas. Francisci hæc Imaginem, quam in suo Odæo omnium prima suspendit, hac communibus decretâ suffragiis exornavit Epigraphe.

Francisco de Hieronymo Societatis Jesu
Religione, Caritate, cunctisque Virtutibus Inclyto
Sodalitas SS. Trinitatis Peregrinorum, & Convalescentium
Quòd Ipsam
Concionum frequentiâ, & Sacrorum ministratione
Ad amplioris Sanctimoniæ incrementum excitarit;

Digitized by Google

Amoris ergo, atque Obſervantiæ poſuit:
Ut perenni ad Pietatem incitamento
Ab ipſo in tabulâ vel tacente proficiat.

Hæc pia, atque optimè de ſe meriti hominis memor Sodalitas, quæ in Ferdinandi Ughellii *Italiâ Sacrâ* anno MDCCXX. Venetiis recusâ, & à C. V. Nicolao Coleto auctâ, Tom. VI. Col. 214. legere cuilibet integrum eſt. Hæc verò omnia plurimorum, eorumque inſignium Virorum de perſpectâ Franciſci virtute teſtimoniis roboratâ, in causâ fuere, cur coacto Urbanorum Magiſtratuum concilio Senatus, Populuſque Neapolitanus publico totius Civitatis nomine ſuum Archiepiſcopum Franciſcum Cardinalem Pignatellum adeundum decreverit, ut de extincti nuper Franciſci virtute, ac prodigiis publicas confici tabulas vellet, juberetque. Id nempè homini præclariſſimis in Deum, atque homines meritis inclyto jure, meritoque in eâ Urbe deberi, cui diuturnam, laboriosam, eamque perutilem operam ſedulò ipſum navaſſe conſtaret. Piaque hæc ſummorum hominum petitio ut Franciſco honorifica, ità optimo Antiſtiti eò gratior accidere eſt viſa, quòd ea ſuam de eodem Viro ſententiam publicè expromendi ei anſam præbuerit. Facturum ſe igitur quæ peterent, perhumaniter ſuo more Ampliſſimus Cardinalis repoſuit: idque eò lubentiùs, quòd ejus hominis honori ſibi favendum conſpiceret, quem Divinæ Gloriæ, humanæque ſalutis ſtudio inflammatum aſſiduè agnoviſſet, quemque Cryptaleis in Tarentina Diœceſi natum ſciret, cui ipſe Diœceſi ante Neapolitanas Infulas jampridem ſe præfuiſſe non ſine pergratâ animi voluptate meminiſſet.

Neapolitanorum hæc omnium quà privata, quà publica in Franciſcum ſtudia fuere. Quibus excitati Beneventanæ, exindeque Nolanæ Urbis Magiſtratus ſuis apud eundem Neapolitanum Antiſtitem certatim inſtitere votis, ut de rebus tùm laudabiliter à Franciſco geſtis, tùm etiam divinitùs patratis legitimas Tabulas in ſuarum etiam Urbium gratiam confici benignè annueret, quò, iis ad Romanum Pontificem ritè tranſmiſſis, Cœleſtes ei honores decerni Romanæ Cathedræ Oraculo ritè valerent. Æquiſſimum quippè putarunt, ut ejus hominis gloriæ pro ſuo quæque ſtudio ſingulæ adlaborarent Urbes, cujus egregiis

Digitized by Google

giis laboribus Civium ſuorum ſalutem ſeſe debere faterentur.

Ad publicas hinc Tabulas, tùm de rebus à Franciſco geſtis, tùm de nullo ei poſt mortem exhibito publicè cultu Neapolitani Archiepiſcopi juſſu deventum. Quibus ritè confectis utriuſque rei Inſtrumenta unà cum plurimorum literis tranſmiſſa ad Romanum Pontificem fuere. Conſenſere autem in poſtulandis Franciſco Cœleſtium honoribus, præter Germaniæ Principes, de quibus infrà, ex Italiâ Antonius Parmæ, & Placentiæ Dux, ac Dorothea Sophia Fratris deceſſoris Vidua; necnon è Neapolitano Regno Cardinales quatuor, Franciſcus nempè Pignatellus Neapolitanus Archiepiſcopus, Michael Fridericus ab Althann tunc Regni Prorex, Nicolaus Caracciolus Campanus Archiepiſcopus, & Innicus item Caracciolus Epiſcopus Averſanus; unàque cum his Epiſcopi, Dynaſtæ, Optimates, Urbium, atque Oppidorum Magiſtratus, inſigniumque Sodalitatum Præfecti nec pauci. Diſcuſſiſque proinde Romæ coram Ludovico Bellugâ Hiſpano Cardinali jam Actis, fieri Apoſtolicæ Cathedræ auctoritate jam novæ cœpiſſent Tabulæ, niſi Benedicti XIII. mors, pluriumque exinde menſium intercapedine dilata novi Hierarchæ Clementis XII. electio ſilere Romanam Curiam in tanti momenti rebus juſſiſſet, Tanti tamen Pontificis vigilantia, atque in gerendis rebus ſedulitas Franciſci gloriæ cupidis ſpem facit, ut poſt novam tàm illuſtris Cauſæ inquiſitionem ejus imperio per idoneos Quæſitores Neapoli habitam, peragi & reliqua rectè, atque ordine jubeat, quò ad decernendum homini prodigiis, ac virtutibus inclyto ſolennem cultum, cum Deo viſum fuerit, tutò progredi Romanæ Cathedræ Oraculum poſſit. Profectò jam inde à tantarum rerum initiis ea opinio, ac ſpes plurimorum animis inſedit: inter quos biennio à Franciſci obitu vetus ejus neceſſarius Franciſcus Baſſanus *Tufillorum* in Aprutio Toparcha illud etiam ſupremo vitæ ſuæ tempore in teſtamenti Tabulis ſtatuit; ut quoniam in Beatorum album referendum olim Franciſci nomen fore minimè ambigeret, mille aureorum ſors apud Sancti Salvatoris Menſarios depoſita Neapolitanæ Societati ſuo nomine ab Hæredibus attribueretur. Ejus tamen donationis ea lex foret: ut annuis proventibus in augendam ſortem perpetuo quinquaginta annorum ſpatio ſemper cedentibus, eo demum anno, quo Aræ honorem à Romano Pontifice decretum Franciſco iri ſperaret,

Digitized by Google

quæ prima ei in Domus Profeſſorum Æde dicaretur Celebritas, auctæ per tot annos pecuniæ impendio, eâ, quâ par eſt, magnificentiâ perageretur. Præcipuum verò aureorum mille nummûm Caput reditus exinde parere pergeret, qui recurrenti annuæ pompæ neceſſarios ſumptus quotannis ſufficerent. Adeò inſpectis longo uſu Franciſci moribus, nonniſi Aram, ac Beatarum Mentium in terris honores. Vir pius æquè, ac ſagax præſagire didicerat.

Digitized by Google

VENERABILIS

FRANCISCI DE HIERONYMO VITÆ

LIBER VI.

CAPUT I.

In Germaniâ, eique conterminis Regionibus ſtatim ab obitu Franciſci nomen, ac fama inclareſcit.

On ultrà Neapolitani Regni, ſummùm non extrà Italiæ confinia protenſuram ſeſe Franciſci famam, ac laudes communiter arbitrabamur. Quis enim in ſummi quidem, ſed ignoti hominis admirationem, atque obſequium ſepoſitas Regiones, longèque diſjunctos terrarum tractus adductum iri, niſi ex vano, ſperaret. Sex tamen ab ejus obitu menſibus vixdum circumactis, eodem anno in datis Moguntiâ xv. Kal. Decembr. à Nicolao Potter Societatis Sacerdote ad Mauritium ab Antonellis noſtræ item Familiæ Sacerdotem Neapolim literis hæc legere nec.

Digitized by Google

nec opinantibus licuit; *Ven. P. Franciſcus de Hieronymo famâ ſanctitatis, & miraculorum totam Europam, & in ſpecie totam Germaniam implevit*. Non expectata hæc à ſemotis adeò Germanis profecta de Franciſci laudibus prædicatio in Noſtratium animis gratulationem æquè, atque admirationem excivit. Unde enim tanta exteri hominis Neapolitanæ Ditionis fines nonniſi Lauretanæ peregrinationis causâ ſemel egreſſi apud Tranſmontanas eas Gentes commendatio? Quæ prima noſcendæ ejus ſanctimoniæ tàm præpopera origo? Quis ejus res geſtas publicâ necdum luce donatas ad eos retulerat? Quis primus, & quonam auctore implorandæ ejus opis feliciter vadum tentaverat? Verùm ſcrutari hæc, quam aſſequi proclivius fuit. Occupata ſiquidem quà frequentibus prodigiis, quà præſentiſſimæ opis experimento Germania noſtrum potiùs, quàm ſuum eſſe de Franciſco reſpondere exiſtimabat; ut quænam ejus tandem vitæ fuiſſet ſanctitas, quibus potiſſimùm virtutibus, ac donis ornata, quibus eximiæ pietatis documentis ad exitum perducta per nos rerum ab ipſo geſtarum oculatos teſtes edoceretur. Hinc de nondum Typis editâ tanti Viri Vitâ palàm conqueri, noſtramque in ſcribendo incuſare moram: per Viros etiam Principes à Generali Societatis Præpoſito brevem aliquam de Franciſci rebus Epitomen cupidè exquirere, quâ piæ plurimorum voluntati, dum uberior, rerumque varietate auctior expectaretur Hiſtoria, interim ſatis fieret. Eâ porrò impetratâ, quam à Franciſco de Franchis Societatis Sacerdote ſummatim conſcriptam ex Urbe Româ per Italiæ Provincias vulgari idem Supremus Ordinis Moderator juſſerat, non lætari ſolùm, ſed amanter adeò eam Germani accipere, ut in Latinum, ac Germanicum idioma ſtatim verſam primi omnium ipſi Typis tradiderint, ac ſuis, conterminorumque Regnorum hominibus, ad augendum erga Franciſci virtutem ſtudium, quàm citiſſimè legendam obtulerint.

In imprimendâ præterea ejus Icone Neapolitanis ipſi etiam præivere. Ejus Imaginis exemplum coloribus expreſſum in ſuos fines ut primùm pervenit, ſuis excuſam Typis extemplò exhibuere, brevi hac Epigraphe ad ornamentum ſuppoſitâ, quæ præcipuas hominis laudes complecteretur; *Venerabilis Pater Franciſcus de Hieronymo Sacerdos Profeſſus Societatis Jeſu, Caritate in Deum, & Proximos, Humilitate, Obedientiâ, Zelo Animarum, cæteriſque Virtutibus inſignis. Obiit Nea-*

Digitized by Google

Neapoli die undecimâ Maji 1716., Ætatis suæ 74., Religionis 46.

Habendarum verò ejuscemodi Imaginum ea passim Populos incessit cupido, ut triennio ab Hominis obitu nondum elapso, multiformium harum Iconum sex millia petentibus tradere opus fuisse probatæ fidei homines inde retulerint. Nec potiundi salubribus ejus reliquiis avida minùs Germania, Franciſci epistolas, Autographa, vestes, vel quicquid lipsanorum loco esse posset, Neapoli ad se transmitti frequentibus summorum etiam Virorum literis postulavit. Eas tùm Viennæ Archiepiscopus S.R.E. Cardinalis de Collonitz, tùm datis ad Jo: Baptistam Cardinalem Ptolemæum literis illustris quidam è Bojariâ Episcopus enixè expetiit; quas scilicet tàm levandis plurium Catholicorum ærumnis, quàm coarguendo, quem hæretici fovent, piarum reliquiarum contemptui perutiles fuisse comperisset. Imò cum apud primarias etiam Cæsareæ Aulæ Matronas invalescere ergà Franciscum studia cœpisse nunciaretur; illuc Neapolitani olim Proregis Wirrici Comitis de Daun perillustris Conjux Franciſci Imaginem cum vestium præsegmine eleganti lipsanothecâ inclusam Augustæ Imperatrici Elisabethæ donodandam submisit.

Hæc prima Germani in Franciscum obsequii rudimenta non ab re dixerim. Subsecutis enim prodigiis, collatisque in supplices beneficiis exinde auctum, non longo post intervallo, usque adeò in ejus Gentis animis studium excrevit, ut Neapolitanorum pietati agglomeratis certatim officiis palmam penè præripuerint Germani. Etenim neque magnificis parcentes nominibus, ut magni à se ejus Sanctimoniam fieri distertiùs exprimerent, nullo expectato Romanæ Curiæ permissu, Venerabilem eum alii, alii etiam Thaumaturgum appellare veriti minimè sunt. Ad hæc, Hannoverianæ Legionis Legati Uxor è Silesiæ Urbe *Brunâ* (ut in schedis scriptum reperio) excusum in monetali Venetorum Officinâ aureum nummum Neapolim misit, in eos Mystas distribuendum, qui in nostræ Professorum Domus Æde Sacris operati de acceptis per Franciscum beneficiis Deo gratias agerent. Ex Regio verò, quod celeberrimum Halæ propè Oenipontum est, Parthenone Maria Eleonora Comes de Herbestein loci Antistita, cum Franciſci vestium contactu plura se impetrasse, ac ter præcipuè

cipuè se ejus ope morbo solutam fateretur; ut perenni aliquâ, & conspicuâ grati animi significatione optimè de se meriti Hominis cineres prosequeretur, argenteum anathema auro perfusum, atque in cordis figuram elaboratum Neapolim deferri eo animo jussit, ut suspensum è tumulo, quod prostare, omniumque oculis patere per errorem arbitrabatur, sui erga tantum Virum obsequii testimonium redderet. Quod sanè tùm fieri fas erit, cum publicum aliquem Francisco cultum Romanæ Cathedræ Oraculum decreverit. Interim, ut par est, cum aliis id genus donariis piæ Antistitæ munus in penitiori Templi Sacrario Æditimus servat.

Ampla quoque, ac singularis judicii, quod de Francisci virtute, ac prodigiis habuit, testificatio ea fuit, quâ nostræ Societatis Sacerdos Vitus Pichler Juris Canonici libros Augustæ Vindelicorum publicam editurus in lucem, non alii eos Mœcenati inscriptos voluit, nisi Francisco, cujus Effigiem in libri fronte variis ad Pontificium Jus spectantibus distinctam Emblematis, hoc brevi quidem, sed officii pleno illustravit Elogio; *Venerabilis P. Franciscus de Hieronymo Societatis Jesu, ante Religionis ingressum Sacerdos, & Jurium Doctor, posteà Zelosissimus in vineâ Domini Operarius, ante, & post mortem prodigiis clarissimus hujus temporis Thaumaturgus. Obiit nuper Neapoli 11. Maj. 1716.*

His porrò, aliisque hujusmodi obsequiis certare in dies cum Francisci beneficentiâ totam, quam latè patet, Germaniam cum satis constaret; non sine arcano Dei nutu hæc fieri ratus est Magnus ille Romani Imperii Princeps Clemens Augustus Bojariæ Dux, idemque Monasterienſis, & Paderbonensis Episcopus. Quare ut & Francisci gloriæ, & suorum pietati suâ auctoritate consuleret; per suum, quem habebat Romæ Theologum, Alexandrum Pollionem Societatis Sacerdotem adiit Romanum Pontificem jussit, ut de rebus Francisci ope mirabiliter patratis, qui legitima conficerent instrumenta, certos destinare homines ne gravaretur. Iis enim postmodùm ritè expensis de facili fore, ut Sanctorum Virorum albo adscribi irrefragabili Romanæ Sedis Judicio tantus Vir authenticè posset. Iis itaque patentibus literis, quibus peculiarem hujusce rei procurationem Pollioni demandat, quàm egregiè de Francisco & ipse sentiat Princeps, amplissimis his verbis exponit.

Cle-

Digitized by Google

Clemens Augustus Dei, & Apostolicæ Sedis Gratiâ Episcopus Monasterienſis, & Paderbornenſis, Coadjutor Colonienſis, Utriusque Bavariæ, ac Superioris Palatinatûs Dux, Comes Palatinus Rheni, Landtgravius Leuchtenbergenſis, Burggravius Strombergenſis, Sacri Romani Imperii Princeps, Comes Pyrmontanus, Dominus in Borckelöe, & Werth. Devotè Nobis dilecto Patri Alexandro Pollioni Societatis Jesu Presbytero, & noſtro in Urbe Theologo.

CUm conſtans biſce in locis, gravibuſque ſuffulta teſtimoniis fama increbreſcat, frequentia, & tantùm non quotidiana, ope V. P. Franciſci de Hieronymo gratias, & miracula patrari; itàque ejus, uti magni Servi Dei, venerationem continuò invaleſcere, ut privatim ejus honori plurima concipiantur vota, varia Devotionis opera exhibeantur: Imagines illius, Reliquiæ, & Reliquiis privatim intinctis ſacrata aqua à concurrentibus circumcirca Fidelibus magno affectu petantur, pluribuſque ſalutaria fuiſſe denuncientur. Adeò, ut nihil ardentius ab biſce Populis expetatur, ac ut Venerabili Patri cultus publicus Pontificiâ Auctoritate decernatur. Id autem Apoſtolica Sedes indulgere haud ſoleat priùs, quàm miracula juridicè ex Apoſtolicâ Commiſſione examinata Romam perferantur, & Sanctiſſimi Domini Noſtri approbationem conſequantur. Hinc eſt, quod Nos, & noſter ſimul in Spiritualibus Adminiſtrator Apoſtolicus te hoc in negotio Procuratorem apud Sedem Pontificiam biſce denominemus, cum facultate alium, ac alios tibi legitimè impedito ſubſtituendi. Omni proinde ſolicitudine te curaturum confidimus, ut porrecto Sanctitati Suæ humillimè ſupplici libello ab eâdem neceſſariam ad Sacrorum Rituum Congregationem Commiſſionem impetres, Remiſſorias ad Judices in partibus pro Diœceſi Paderbornenſi, & Monaſterienſi delegandos, & ſubdelegandos obtineas, requiſitas apud Hos, & Romæ conſtituendos inſtantias pro miraculis ritè examinandis factas, cæteraque omnia, quæ ad hujuſmodi cauſas ſpectant, omni ſolertiâ exequaris: ac demum cum oraculo Pontificio miracula ut verè talia comprobata fuerint, ad Proceſſum Canonizationis, aut ſaltem declarationis Beati inchoandum, proſequendum, & finiendum impigrè ſolicitando incumbas. Quicquid hac in causâ egeris, id Nos

Digitized by Google

ratum, gratumque ſemper habebimus. In quorum fidem hiſce Sigillo noſtro munitis ſubſcripſimus. Monaſterii Weſtphaliæ. 30. Januarii 1723.

Clemens Auguſtus.

Locus ✠ Sigilli.

Hæc pro accelerandis Franciſco ſacris honoribus optimus Princeps. Qui anno deinde ſeculi XXVIII. Romanum ipſum Pontificem Benedictum XIII. ſuis ipſe datis Bonnâ literis pari ſtudio adiit. Quo eodem anno tùm Græcio Carolus VI. Auguſtus Cæſar, tùm Monachio Celſiſſimus Bojariæ Elector Carolus Albertus, Catholicæ Europæ votis gratum ut facerent, eâdem pro re apud Romanam Sedem ampliſſimis ſuis literis inſtitere.

Quæ verò potiſſimùm cauſæ ad tanta hæc in Franciſcum obſequia Germanorum animos tàm brevi tempore excitarint, ſupereſt, ut ſelectioribus quibuſdam apud eos patratis ab ipſo prodigiis paulò enucleatiùs enarratis aperiam.

CAPUT II.

Patratis in utrâque Auſtriâ, eique conterminâ Ditione Prodigiis, in Germaniâ poſt mortem celebratur Franciſcus.

QUemadmodùm Ægyptiis Nili incrementa patent, fons verò multis ſaltem ſeculis latuit: ità Franciſci Beneficentiam admirabilium rerum pleno in Germaniâ decurrentem alveo mirari quidem hactenùs licuit; ejuſdem tamen initia, primoſque prodigiorum progreſſus aptis indidem documentis dignoſcere nulli adhùc, quod ſciam, integrum fuit. Ex quo illud ſcribenti incommodum naſcitur, ut cum res ab origine repeti nequeant, aptus in iis enarrandis temporum ordo ſervari neutiquàm poſſit, ſed alia prorsùs earundem rerum in bono, ut ajunt, lumine collocandarum iniri ratio debeat.

Quem

Digitized by Google

Quem igitur temporum ſeries haud ſuggerit, hunc ego narrationis ordinem ex Perſonæ, in quam beneficium cecidit, dignitate deſumere operæ pretium duco. Ea eſt Sereniſſima Auſtriæ Archidux, & Saxoniæ Dux Maria, Joſephi I. Cæſaris Filia. Acceptæ hæc à Franciſco opis publicum documentum ſuo ipſa Marte lucubratum, Latinèque à ſe conſcriptum Neapolim tranſmittere pro ſuo in Franciſcum ſtudio voluit. Imò ei, quo utitur, è Societate Homologetæ ſuam hac in re operam pro muneris ſui ratione pollicenti ità repoſuiſſe fertur; *Haud ità, Pater: Meum hunc eſſe laborem volo, ut præclarè de me merito homini obſequar magis; neque enim, quæ Deo ſint grates, Latinè ſcribenda narratio negotium mihi ullum faceſſit.* Ipſius igitur Sereniſſimæ Archiducis verbis rem, ut ſe habuit, perſpicuè enarratam legentibus exhibeo.

AD perennem Dei, qui glorificatur in Sanctis ſuis, honorem, ac gloriam, gratamque accepti beneficii memoriam profiteor, ac teſtor, quod anno MDCCXVIII. *ad curandam, quæ mihi tunc ſub linguâ nata erat, Ranunculam, Medicorum, Chirurgorumque conſilium, & opem pluribus menſibus adhibuerim: eodemque tempore, malo pertinaciter reſiſtente, ac identidem recrudeſcente, præter alia medicamenta manum, ac ferrum Chirurgorum non ſemel ſuſtinere coacta fuerim: parata inſuper, quod communi conſilio jam decretum erat, ultimum ab igne applicito remedium experiri: licet nec in hac difficili curâ ſpem, aut certam, aut magnam collocandam eſſe Chirurgi ipſi edixiſſent. Verùm dilatâ in tempus aliud conſilii executione, ſenſi me interiùs commoveri, ut à Deo ſalutis omnis Auctore ſanitatem poſtulem per merita Venerabilis Servi ejus P. FRANCISCI DE HIERONYMO, de cujus Virtutibus Heroicis, ſancto fine, & acceptis ejus interceſſione beneficiis maxima in Terris Auſtriacis fama erat. Quare voto me obſtrinxi annum integrum, inchoando à die ejus emortuali* XI. *Maji, reliquias ejus, ideſt particulam veſtis, & telæ ejus ſanguine tinctæ, quas Authenticas Neapoli acceperam, collo alligatas geſtandi, & quotidie brevi oratione per hujus Venerabilis Viri merita petendi, ut à malo hoc liberer omnium opinione periculoſo. Placuit Divinæ Bonitati preces meas exaudire: nam poſt aliquot hebdomadas, reverſi Medici, & Chirurgi mirati ſunt malum propè evaniiſſe, nulloque medicamine*

indigere; id unum curiosè ſciſcitantes, quid remedii adeò efficacis interim adhibitum fuiſſet? Quibus cum me ullâ humanâ ope intereà temporis uſum fuiſſe negarem, ſtupore pleni abiere. Ego verò beneficium, intercedente Venerabili P. FRANCISCO DE HIERONTMO, deſuper acceptum recognoſcens, non multò poſt citrà ullius naturalis Medicinæ uſum integræ ſanitati me reſtitutam gaviſa ſum, quâ etiamnum Deo gratiæ, ac laudes, conſtanter fruor. In cujus rei fidem manu meâ teſtimonium hoc ſcripſi, ſubſcripſi, ac Sigillo munivi.

Dreſdæ 20. Julii 1722.

Locus ✠ Sigilli.

MARIA
Archid. Auſt. Dux Sax.

Inſigne adeò teſtimonium alia nunc excipiant excerpta ut plurimùm ex Annuis Auſtriæ Provinciæ Literis documenta. Krainburgi in Carniolâ ſub anni MDCCXVII. exitum Thomam Jambſchig animorum ſalutis oppidò cupidum Sacerdotem Colicus dolor repetitis ter cruciatibus adeò afflixit, ut urgente mali vi haud procul à fine abeſſe crederetur. Huic loci Vicarius Franciſci virtutum mentione injectâ lodicis reſegmen tradidit, quâ tectum ejus corpus in extremo morbo fuerat: nec verbis abſtinuit, quæ ad levandi doloris, arcendique interitus fiduciam penè exanimem excitarent. Humaniter, pièque monenti parere non abnuit Thomas, aditoque jam precibus, ut par erat, Franciſco, traditas ſibi reliquias admovit quidem, incertus tamen, an è verâ Franciſci lodice detractum reſegmen manu traſtaret? Sed tamen dubitantem licèt confeſtim deſeruit dolor, eique non ità poſt multò gravis ſuccеſſit ſopor. Conſpicere intereà per eam quietem ſibi viſus eſt Franciſcum hæc prorsùs verba in ſchedio deſcripta ſibi legenda objicientem; *Habe patientiam: nam Chriſtus pro te plura patienter toleravit. Confide in ejus, Divinæque Matris miſericordiâ, & utere reliquiis meis.* Quæ ſanè verba quanquam ſine admiratione prælegere nequiret æger; in extremâ tamen deſcriptæ ſententiæ parte adhùc hæſitans loquentem de ſcripto interpellare his verbis eſt auſus; *Faciam verò, ac lubens: at undenam veras reliquias accipiam?* At verò, *Habes ad manus; genuinæ ſunt*, ſtatim repoſuit, evigilantiſque jam ægri ex oculis raptim abſceſſit Franciſcus.

Digitized by Google

ſcus. Quanti reſegmen illud exinde facere æger cœperit, exprimi verbis haud poteſt. Certè eò fidentius ſibi ſtatim admoto morbum fugavit omnem. Non tamen hic Franciſci in eum beneficentia ſubſtitit. Ei ſiquidem in ſomnum noctu relapſo videndum ſe inter ſoporem iterùm obtulit: ejuſque veluti ſocordiam incuſans manu porrectâ ad impigrè ſurgendum hortatus in pedes ſe erigenti præſtò comiter eſſe non recuſavit. Jam vera ne agerentur, experrectus iterùm dum ambigit Thomas, ſe morbi, ac doloris expertem extrà lectulum agere attonitus animadvertit. Quare reliquum noctis in perſolvendis Deo, ac Franciſco gratiis inſumens, ſanum ſe, ac vegetum primo mane omnibus nuperæ ægritudinis apprimè conſciis gratulabundus oſtendit.

Ibidem eodem anno adhibitis Franciſci reliquiis Puella utroque oculo orba eodem temporis momento lucis uſuram recepit.

Per idem tempus Labaci Iſchiadicis doloribus Aſcetria quædam; duplici verò hernia Toparcha quidam attactis iiſdem ipſanis immunes abiere.

Zagrabiæ, ejus, quo noſtrum Collegium utebatur, Medici Uxor in lactandâ prole ex nimio concreti intùs lactis affluxu dexteram intumuiſſe mammam miſerè adeò doluit, ut triplici ſectione ei malo, ne atrociùs gliſceret, occurrendum quàm citiſſimè duceret Chirurgus. Ità morbo non minùs, quàm ſævi remedii metu cruciatæ exſectus è Franciſci veſte centunculus ad manus venit; quo ipſa mammas conſignans, eum ſibi præſtò eſſe cum fiduciâ optavit. Secundùm verò eas preces, *Miraculum! Revalui*, repentè exclamat. Nec aliud parte inſpectâ fateri Chirurgus valuit, exciſorio ſuo ſcalpro mitiora, ac ſalubriora Franciſci pignora fuiſſe demiratus. Id XVII. Kal. Quintil. anno hujus ſeculi XVII. accidiſſe teſtatus eſt Michael Fait Societatis Sacerdos.

Secuto mox anno ſeculi labentis XVIII. Græcii perillustri Domino Lendlmayr Primo Styriæ Provinciæ à Secretis illud mirabile accidit. De ejus valetudine jam tres deſperaverant Medici: adhibitâ tamen Franciſci Icone, ſtatim reſtitutus, firmâ exinde valetudine uti cœpit. Quare acceptam Neapoli Franciſci Effigiem, ſeu prioris beneficii monumentum, ſeu recipiendæ in poſterum opis pignus, coloribus aptè exprimi, fuiſ-

Digitized by Google

ſuiſque in Ædibus exponi juſſit.

Datis Græcio literis eodem hoc anno x. Kal. Martii hæc ad P. Joannem Baptiſtam Rechpach Neapolitani Proregis Comitis Wirici de Daun per id tempus Homologetam de Sorore ſuâ ſcribit Franciſcus Xaverius Zephyrs noſtræ Societatis Alumnus. Quartum jam menſem conſtanter hæc lecto affixa decubuit ex morbo, qui Medicam prorsùs Artem eluderet. Ei igitur pro depoſitâ habitæ illud piè inſinuatum, ut è ligno Confeſſionalis Subſellii, quo uſus Neapoli fuerat Franciſcus, ſcobis nonnihil ſumendis à ſe pharmacis admiſcere ne gravaretur. Feliciterque adeò conſilium ceſſit, ut inutili antea pharmaco eâ mixtione præſens vis, ac robur acceſſerit. Meliùſque ægra exinde habens paucis diebus non ſine adſtantium admiratione ex integro revaluit.

Non vacuum Franciſci beneficiis, breviter tamen enarratis, annum hujuſce ſeculi XIX. abiiſſe reperio. Ejus enim patrocinio, ac lipſanis periculoſæ febris æſtus duo ex noſtris Sacerdotibus Tyrnaviæ depulere. Clagenfurti Urſulinarum Antiſtita phreneticas convulſiones fregit. Viennæ amiſſæ lucis uſuram recuperavit Adoleſcens. Nec abſimili ſorte Leutſchoviæ Adoleſcens alter ex dyſenteriæ morbo jam penè depoſitus imminentis lethi diſcrimen effugit.

Sequitur annus xx. triplici beneficio in eundem hominem collato inſignis. Illud ex Authentico Autographo, quod in Viennenſis Profeſſorum Domus Tabulario aſſervatur, bonâ fide tranſcribo. Sic igitur habet; *Ego infraſcriptus teſtor ſub Nobili, ac Præſulari fide, quod anno* MDCCXVI. *Junio menſe trium dierum adeò deſperatâ Urinæ obſtructione oppreſſus decubuerim, quod altero mane vel ipſe Medicus vas aliquod corporis internum rumpi, neque minimè ſuperſtitem fore arbitratus ſit. Singularem autem confidentiam, ac venerationem erga Venerabilem P. Franciſcum de Hieronymo, cujus etiam reliquias tùm apud me deportabam, gerens, circà mediam noctem è ſomno excitatus, lethalem hanc Urinæ oppreſſionem ſeipsâ ſolutam, neque ſanitati quaſi plenè reſtitutum expertus ſum. Iteratis deinde evoluto anni circulo tàm periculoſis calculi doloribus denuò afflictus ſum, quòd in magno vitæ diſcrimine exiſtens refugium erga prædictum Venerabilem P. Franciſcum de Hieronymo deportans tantis denuò doloribus erutus ſim, In magno phtyſis deinde*

peri-

Digitized by Google

periculo, Venerabilis hujus Patris præsidio, cui quotidianam Orationem devovi, magnum solamen expertus. Hæc omnia ad augendam magis devotionem erga fidelem, insignem, & Venerabilem hunc Servum Dei propriæ manus subscriptione, & sigilli Præsularis appositione contestor. Dabam ex Monasterio S. Georgii, vulgò Herzogenburg *nuncupatum Can. Reg. S. Augustini in Inferiori Austriâ sito, 12. Febr. 1720.*

L. S.

Wilhelmus Prælatus Herzogenburg.

Tergesti præterea eodem anno Ascetria è sublimi loco in præceps acta, caput, ac dexterum brachium graviter læsum è casu retulerat. Fusis verò statim coram Franciſci Icone ad Deum precibus, ejusdemque numismati, quod è precatoria Deiparæ Corolla pendulum gestabat, oculis piè impressis, amuleti loco, hanc læso brachio per noctem applicuit. Proximoque diluculo incolumis in Odæum pergens, ad persolvendas Summo Numini grates, atque ad prædicandam Franciſci opem lætas æquè, atque improviso spectaculo attonitas incolas ejus loci Virgines excitavit.

Græcii præterea eodem hoc anno ex lethali morbo animam penè nono jam die agebat sacra Deo Virgo, nec Franciſci inscia; quippe quæ ejus virtutes, ac nomen magnificare jampridem consueverat. Ejus verò vicem adhùc anxiæ, dum quid facto opus sit secum reliquæ ejus Parthenonis Virgines deliberant, auctor iis est jam inibi expiraturæ assidens è Nostris quidam, ut tenuissima Franciſci vestium fila in aqua sorbenda ægræ quantocyùs præbeant. Gratum juxtà, atque efficax consilium fuit: ab illo enim potu resoluta in placidum soporem ægra arcanæ vocis admonitu ad augendam in eo rerum articulo in Franciſcum fiduciam excitatur: non ignotam sibi præsentem erga plurimos ejus opem esse; nec novas apud ipsum vicissim suas preces fore; imò nec successu carituras, si de Antistitæ suæ veniâ tanti Viri Effigiem coloribus exprimendam quamprimùm curaret. Ne multa: conclamatæ jam vitæ, aut nullum, aut hunc sibi duntaxat Vindicem fore. Non frustrà sibi hæc in mentem venisse, discusso sopore, statim agnovit Virgo: resolutâ enim repentè morbi vi, quam vix brevissimo temporis spatio superfore censuerant Medici, allatâ cœlitùs ope, defunctam morbi, ac mortis periculo jam esse demirari eodem die debuere. Si-

Digitized by Google

Simile periculum in Styrenſium Suburbio, quod Campus Wiſeranus vulgò dicitur, puellæ cuidam poſt trimeſtrem decubitum repetitæ ſæpè ſæpiùs Phreneticæ convulſiones creaverant. Toto jam triduo frons, oculi, vultus lethum ſpirabant: jamque Campani æris pulſus de ſupremâ ejus luctâ vicinam de more admonuerat. Intereà, qui morienti aderat, Noſtratium quidam repentino quodam inſtinctu Franciſci ei nomen inſinuat: hunc maximo illo in diſcrimine propitium ei facilè fore. Paruit monenti, ut poſteà revaleſcens retulit, nondum plenè deſtituta ſenſibus Puella: repetitiſque aliquoties cum fiduciâ precibus, abactam convulſionem, ac recuperatas vires experta ad priſtinam valetudinem ſenſim rediit, in Cœleſtis ſui Æſculapii laudes impensè, ut par erat, effuſa.

Viennæ etiam aquâ Franciſci nomine expiatâ cum tenuiſſimo ejus veſtium filo epotâ, amiſſam decem, & ampliùs dies vocis uſuram Virgo quædam recepit, quam Artis remediis redituram cæteroqui deſperaverat.

Diverſo quidem tempore, ſed eodem, eoque violentiſſimo Maniæ morbo Caſſoviæ in Hungaria duo laborabant. Utriuſque capiti clàm applicitæ Franciſci Reliquiæ præſenti adeò remedio fuere, ut præſente adhùc, qui præſtò utrique fuerat, noſtro Sacerdote, mentis uſuram ex integro recuperarint.

Klagenfurti in Carinthiâ admotas Franciſci exuvias triplex eodem hoc anno beneficium commendavit. Primò enim, poſtquàm difficillimo partu triduum laboraverat, earum adminiculo ſolutam ſe gratulata eſt Puerpera quædam. Prætereà cum nobili cuidam Viro provocatum olim cauterio in pede ulcus Thermæ obduxiſſent; cumque propterea inhibitus humor pedem diù, noctùque vexaret; moleſtiam inde omnem, ac motus difficultatem adhibitæ eædem reliquiæ abſtinuere. Denique Epileptico morbo plures jam annos exercitus illuſtris Adoleſcens, ubi poſt promiſſas quotidianas preces iis ſeſe lipſanis attigit, nullam ab eâ luc moleſtiam expertum ſe fuiſſe poſt annum teſtatus eſt.

Adoleſcens Paſſavii tertium ætatis luſtrum nondum egreſſus, cæteris, quibus conflictabatur, moleſtiis illam acceſſiſſe angebatur, quod è purulentâ, quæ colli muſculos inſederat, ſanie putreſcere jam Epiglottidem, malèque Laryngis muſculo extimam linguam cohærere experiretur. His porrò ad calamitatis

Digitized by Google

catis cumulum miserabilius illud quodam die adjici contigit, quòd pituitam è pectore majori vi ejicere conatus, loco motam primùm, mox etiam egestam à se Epiglottidem ipsam fuisse animadvertit. Depositum hunc esse, magnisque, ut ajunt, itineribus ad vitæ metam contendere, visâ eâ re, nemo non credidit. Qui ergo, tùm supremis morientium Sacris, tùm consuetis Ecclesiæ verbis ad proximam eum luctam confirmet, Nostratium quidam quàm celerrimè accitur. Morientis hic animo præcipuè consulendum ratus; ne corpori tamen, quatenùs posset, suâ operâ deesset, impetrandæ per Franciscum vitæ spe eum erigit: simulque hujus Vitâ, ac lipsanis ei relictis tandem recedit. Monenti auscultasse ægrum non piguit: altero quippè die, quo efferendus dicebatur, & facilius respirare, & distinctius loqui valuit. Firmius etiam ita progredi occepit, ut quinto post die nostri Collegii gradus nullâ interpositâ requie superare valuerit: ex quo redituræ ex integro valetudinis omnibus rei conscii spem fecit.

Possegâ, seù Basianâ in Urbe è primoribus Aulici Quæstorii Senatoribus quidam Fistulam in lævo pede biennio perpessus, in eo penè jam erat, ut accedente Sacro, quem vocant, Igne penitùs extingueretur. Vix verò admotis Francisci lipsanis, tumore, atque inflammatione abactâ sanitas ei ex integro rediit.

Frequentibus, iisdemque sævissimis in lævo inguine rupturæ doloribus annos undecim conflictabatur Vindobonæ nobilis Vir Josephus Franciscus à Sole, quin ullam ei opem, nisi fortasse ab acerbo incisionis remedio consulti per vices sponderent Chirurgi. E' prælectâ hic tamen, anno hujus seculi XXI. Francisci Vitâ, ac prodigiis, in depellendi à se quoque morbi spem ejus patrocinio erectus, quotidianas ei preces, ac publicum receptæ sospitatis testimonium, si valesceret, pollicitus, effectæ parti ejus Iconem, cubitum noctù discessurus, fidenter admovit. Nec imploratæ eum opis pœnituit: primo enim mane evigilans, nullâ se urgeri molestiâ usque adeò sensit, ut proximè secutis novem diebus, nullo ligaminum subsidio liberè vagari totâ Urbe valuerit. Verùm, ut labilis accepti citò beneficii memoria est; cum id alicui è Nostris testari, prout receperat, hic intermisisset, revocasse sibi suâ negligentiâ veterem morbum decimo die animadvertit. Merito proinde supplicio plecti se fassus, quod unicè inter doloris intemperias potuit, in

Digitized by Google

genua provolutus, emiſſum anteà votum ferventiùs inſtaurat: placabilemque adeò prolatis vix denuò precibus eſt nactus Franciſcum, ut eodem temporis puncto rediiſſe in ſuum locum inteſtina gratulatus, tertio poſt die Franciſco Molindes, Vindobonenſis Domus Probationis ad Sanctam Annam Rectori, rem totam voti reus apertum iverit. Ex eoque tempore uſque ad XII. Kal. Majî anni MDCCXXX., quo die de ſcripto hæc retulit, morbi, ac moleſtiæ perinde immunem ſe egiſſe teſtatus eſt, ac ſi nunquam id genus ærumnis conflictari ei obtigiſſet. Imò nil unquam à Franciſco ſe dèinde petiiſſe addidit, quin valuiſſe ſuas apud eum preces è felici rerum eventu didicerit.

Judenburgi in Stiriâ, XXII. hujus ſeculi, anno Puellam eò ardentis febris æſtus adduxerat, ut morientium Sacris jam ritè ſuſceptis, nil niſi lethum opperiri debere videretur. Huic opinione prolixiùs ſupremos inter anhelitus vitam trahenti, Parentum rogatu aderat quidam è Noſtris tertiæ Probationis Sacerdos, cui valeſcere eam poſſe injecta ſæpè mens eſt, modò deſperatæ à Medicis vitæ vocatus ſuppetias veniret Franciſcus. Recurrente itaque anniverſariâ ejus obitûs luce, vehementiùs ad id ſe impelli expertus, allatâ ſecum ejus Icone, Parentes (ægram enim mentis jam impotem haud poterat) ad fiduciam cohortatus, hominis reliquiarum aliquid ab eâ glutiendum curavit. Elapſoque vix biduo, remittere uſque adeò ea febris cœpit, ut ſoſpitatis non alium auctorem Puella cum Parentibus agnoverit, præter eum, cujus reliquias extremi remedii loco ebiberat, Franciſcum.

Styra Superioris Auſtriæ ampla, ac frequens admodùm Urbs eſt, ſuisque mercibus totâ Germaniâ celebris. In eâ Adoleſcentulum, probis, ſed egenis parentibus ortum, Sutrinæque artificio ad vitam ſuſtentandam propterea addictum anno à V. P. MDCCXXII. id genus faſcini occupaverat, ut cum promptus, atque alacer cætera obiret, ad auditum tamen duntaxat Virginis Deiparæ nomen, aut cognominem alium Titulum, vel ad viſam Effigiem, non ſine vicinîæ ſtupore, vultu fœdè contorto totis artubus exhorreſceret, ac demùm animo linqueretur. Adductus hic quidem à miſerato ejus vicem Magiſtro Germani candoris homine ad piorum hominum plures non ſemel fuit: ſacris tamen amuletis, atque Indigetum lipſanis arcano Dei conſilio nihil effectum. Ad noſtri tandem Styrenſis Collegii

Re-

Digitized by Google

Rectorem Andream Leittner deductus, Deiparæ mentione ab hoc inter colloquendum injectâ, contrahi statim Adolescens, obrigescere, viribus, atque animo destitui, nec nisi post quartam circiter horæ partem sibi restitui. Rogatus, quid secum eo tempore actum fuisset, quave de causâ caput aliò sub extremum flexisset? Secutum se oculis, respondit, ingentem splendorem qui è fenestrâ immissus, lentèque per summum lacunar circumactus sese demùm indidem extulisset. Mox demirantibus factî insolentiam adstantibus, cum Cœli Reginæ nomen cuidam excidisset, ereptus sibi denuò, ac semianimis conspectus est Puer. Idemque incunctanter factum, ubi in ejusdem Virginis Imaginem oculos conjicere est jussus. Gravius Rectori id negotii visum, quàm ut expediri eo die posset. Quare dum ad conciliandam sibi majorem à Deo lucem in aliud tempus prolatandam rem censet; ne vacuum, & indonatum à se Puerum dimitteret, Cæsareæ monetæ genus, quam *Groſſam* dicunt, donare abeunti parabat. Magistri tamen Sutoris admonitu prudentiùs abstinuit, ne nummo impressa Deiparæ Effigies in Pueri oculos incurrens consuetas ei molestias rursùm crearet. Dum aliud igitur puerilis munusculi genus inter membranaceas, quas habebat, Imagines fortè perquirit, nulla opportunior ei visa, quàm Francisci Icon. Quâ Puero hilarè exhibitâ intimo animi instinctu in tanti Viri prodigiorum narrationem delabitur. Se ejus ope è lethi faucibus subductum: Laicum Adjutorem alibi Dominicam precationem, & Angelicum Ave recitare ter jussum, admotis ejus Reliquiis, lethales calculi dolores è vestigio effugisse. Verùm ad hæc vix dicta alienatus animo, ac sensibus jam quartùm expalluit Puer. Imaginis interim reverentiæ ut caveret, eam è fatiscentis manu evellere anxius contendebat Magister: sed frustrà. Tenaciùs quippè digitis insertam adeò retinuit æger, ut sui licèt impos, manum tamen cum Icone sensim eò usque attolleret, dum vertici ea immineret. Efficax porrò ad pestem ab eo amoliendam amuletum illud ità adhibitum fuisse nativæ temperiei statim redditus, atque à præstigiis liber ostendit Puer: qui Deiparæ Matris Imaginem præterea venerari, eamque Angelicâ salutatione colere absque ullâ exinde molestiâ valuit. Quò vero testatiùs, simulque Puero memorabilius insigne hoc Francisci beneficium in posterum foret, circumacto vix anno, inter Opificii labores, veteri morbo con-

Digitized by Google

cuti ex improviſo hic cœpit, animi jam haud compos, colloque, ac membris miſerandum in modum retortis. Et quoniam ſub recrudeſcentis ærumnæ initium Franciſci ab eo nomen inclamari præſentes audierant, eâ voce exciti, Icone capiti impoſitâ ſubveniendum ægro, nec irrito eventu, cenſuere domeſtici. Eâ enim admota, quanquam mox rediturum, extemplò tamen malum evanuit. Etenim dum novo infortunio exterritus Paterfamilias eidem Collegii Rectori ægrum iterùm ſiſtit, ac ſingula ex ordine enarrat, è compoſito, ac valente poſt breve ſpatium in priſtinas calamitates relapſum Puerum conſpexit. Ei verò dum auctâ fiduciâ, Franciſci Icone capiti de more applicitâ, ſe dicto citiùs conſuluiſſe obſervat Rector; quò novis Inferni hoſtis incurſionibus aditum perpetuò præcluderet, è Franciſci veſte præſegmen laboranti inſuper attribuit, quod Mariano Scapulari aſſutum, nec unquam è collo dimotum præſenti præſidio foret. Quod ſanè ad unguem exequi haud cunctatus Puer, veteris moleſtiæ immunem ſe ex eo tempore egiſſe etiamnum Deo, ac Franciſco gratus enarrat.

Klagenfurti Nobilis Fœmina graves, quibus plures continenter dies jactata fuerat, aſtuum convulſiones, ſolo Franciſci reliquiarum attactu intrà quartam horæ partem eodem hoc anno fugatas penitùs ſenſit.

Alia item Græcii, quæ magnam ætatis partem lectulo affixa inter ægritudines duxerat, eodem amuleto tum ex acerbiſſimis, quos tunc patiebatur, cruciatibus, tùm ex aliis morbis momento convaluit.

Idem Leobii, Chirurgis ſtupentibus, altero poſt die cuidam accidiſſe memorant, quippè quem morbi vis ad extremam vitæ metam adduxerat.

Perilluſtrem Regiorum Vectigalium Trenchinii Exactorem ex geminâ Pleuritidis, & Catharri peſte extinctum indubiè iri prædixerant Medici. Sed Medicis omnibus potior ſuâ huic ope conſuluit Franciſcus: vix enim vocatus, & meliùs in dies ægrum habere juſſit, & priſtinam valetudinem ex integro reddidit.

Prodigii præterea loco Viennæ habitum, quod quaternos Infantes à Medicis deſtitutos mœſtis Parentibus Franciſci lipſana ſoſpites reſtituerint.

Denique dum Paſſavio Schardingam Bojariæ Oppidum No-

Digitized by Google

Noſtratium quidam excurreret, in Puerum ex magici, ut jactabant, faſcini fraude ad extrema deductum offendit. Parentibus in ejus levamen pium aliquod amuletum poſcentibus Franciſci ipſe rerum particulam attribuit. Ceſſitque ex voto conſilium: eo ſiquidem pignore admoto, ſimulque Pueri Societatis veſte induendi voto à Parentibus nuncupato, & ſomnum, quo deſtituebatur, & cibos, quos anteà faſtidiverat, capere ſanitati redditus Puer occœpit.

In *Planſtorff* Pago, qui Judenburgo Boream verſus quarto ferè lapide disjungitur, anno ſeculi labentis XXIII. correptam aliquot jam menſibus lentâ febri Puellam, atque ex adhibitis remediis in deteriùs ruentem cum magico affectam maleficio ſuſpicarentur Parentes, ad loci Curionem notæ probitatis hominem rem detulere. Bonoque animo ab eo eſſe juſſi, ſericâ in Bullâ, in quâ pulviſculi aliquid è Beati Joannis Nepomuceni ſepulcro latebat, Franciſci reliquias accepere, cujus nempè fidei, ac patrocinio Puellæ vitam, ac ſalutem permitterent. At verò è laborantis collo vix primùm ea pependit Bulla; cum ſubitò (quod nunquam aliàs obſervatum in eâ fuerat) fanaticæ inſtar è lectulo ſe illa attollere, convolvi, vociferari, angi, Matrique aliquandiù validè adeò obſiſtere, ut ad ejus impetus compeſcendos alieno ſubſidio opus fuerit. Aliquot quidem horas vehemens ille æſtus tenuit: mediâ verò circiter nocte in placidum ſoporem deflexus moleſtiam ei ullam creare penitùs deſiit. Immunis certè veneficii, ac febris jam inde à primo mane Puella, ubi paucis poſt diebus repetentem ſacra illa pignora Curionem aſpexit; quanquam optimè de ſe merito homini blandè arriſerit, ea tamen à ſe avelli ægrè admodùm tulit.

Græcii Apoplectico ſtupore novem, & ampliùs horas proſtratus ità quidam jacuerat, ut nullum ſuperſtitis vitæ indicium explorantibus exhiberet. Vix verò in patulum ſemianimis os immittere Franciſci reliquiarum particulam licuit; cum non ſine ſpectantium admiratione lethalem veternum ſtatim, & morbum deinde omnem ex toto diſcuſſit.

Styræ cum ex inflicto cuidam vulnere manantem aſſiduè ſanguinem nulla remedia inhiberent; in eoque proinde res foret, ut cum ſanguine hic vitam relinqueret; papyracea Franciſci Icon in ſaucii manus ut primùm venit, & ſupprimendo ſtatim ſanguini, & obducendo deinde vulneri præſentiſſimo remedio eſſe viſa eſt.

Duas

Digitized by Google

Duas prætereà Fœminas eodem hoc anno Cremiſium in Auſtriâ exhibet. Alteram ex acutiſſimo, quo plures jam menſes laboraverat, capitis dolore, admotis fronti Franciſci reliquiis è veſtigio perſanatam. Alteram non multò poſt eodem remedio id genus morbo ſolutam, qui, cum è pharmacis vires ſumere videretur, ultrà dimidiam anni partem jacere ægram lectulo miſerimè affixam coegerat. Addunt Fluminenſes tertiam, cui faucium tumor veſcendi, imò, & reſpirandi facultatem ademerat. Proximi tamen lethi à Medicis damnatæ præſtò fuit Franciſcus, ad cujus Reliquiarum contactum evaneſcere primùm cœpit dolor, nec multis poſt diebus moleſta illa faucium peſtis abſceſſit.

In eâdem Cremiſii Urbe anno ſeculari MDCCXXV. Matronam à partu recentem cùm ob frequentia animi deliquia, tùm eo potiſſimùm nomine Medici depoſuerant, quòd ſeptimum jam diem ſomni prorsùs expers ageret. Franciſci tamen veſtium centunculo, non ſine impetrandæ opis fiduciâ, cervicali ſuppoſito in ſoporem ſoluta optatæ valetudinis beneficio ſe donatam ſenſit.

Triplex hoc item anno in tres Fœminas ex vocato cum Divis Ignatio, & Xaverio in patrocinii conſortium Franciſco profluxiſſe beneficium memorat Vindobona. Ubi enim tribus hiſce Catholicæ Religionis Heroibus ſingulæ conceptis ſe obſtrinxere votis; tùm pertinacem ſanguinis fluxum, qui membrorum omnium motu deſtitutæ linguæ duntaxat uſum reliquerat, tùm partus perquàm difficilis moleſtiam prima exarmavit. Periculoſo oculorum vitio, breviſſimo temporis intervallo occurrit altera nobili loco nata, quæ evolutis jam annis è Medicorum ſectionibus, atque uſtionibus nil niſi acerrimi doloris ſenſum ad eam diem retulerat. Imò recrudeſcentis iterùm morbi infortunium, variante aeris temperie, deinde ſubverita, ut pleno, conſtantique recuperati viſus frueretur beneficio nonniſi inſtaurare ferventiùs preces, ac vota neceſſe habuit. Tertia infelici Puerperio, Dyſenteriâ, Paralyſi, Amentiâ, ac Furore ſeptendecim hebdomades conflictata, vicinique jam interitus peritorum judicio propterea damnata, ubi tantiſper ſibi reddita, eoſdem ſibi conciliare Patronos nuncupato valuit voto, confertam hanc malorum Iliadem brevi tempore diſcuſſit.

Tres pariter Franciſci patrocinio è lethi faucibus ereptos, ſecu-

Digitized by Google

ſecuto hoc anno MDCCXXVI. exhibet celeberrima Hungariæ Urbs Buda. Primò enim ex acerrimo lateris dolore, qui latentis ulceris ſuſpicionem Medicis faceret, cum Senatoris Filia decumberet, conclamatum ibi de ejus vitâ jam erat. Mortem propterea in horas opperienti, qui morienti aderat, quidam è Noſtris Auctor fuit, ut omnem vitæ ſuæ ſpem ſecundùm Deum in Franciſci ope reponeret. Nec monentis voces reſpuens ægra, certa inſuper pietatis penſa, ſi revaleſceret, ſeſe quotannis perſoluturam recepit. Sejuncto in Conclavi ægræ interim Genitor juſtæ magnitudinis Effigiem ſe curaturum, ſi Filiæ ſanitatem exoraret, eidem Franciſco tunc ſponte ſuâ vovebat. Mirum verò dictu! Sacratam hominis veſtium particulâ vix aquam ebibit, cum veterno veluti diſcuſſo, conſopitiſque doloribus moribunda evigilat, præſentes alloquitur, optimè ſibi jam eſſe rei novitatem indagantibus reſpondet. Quid multa? Poſt productum ad plures horas ſomnum, incolumis adeò è ſtrato proſiluit Adoleſcentula, ut quominùs noſtrum in Templum illicò gratulabunda convolaret, ſevero Medicorum imperio abſtineri debuerit. Manifeſtum idcircò prodigium attonitus ut vidit Pater, obligatam voto fidem liberare minimè diſtulit. Tantæ porrò rei fama ad moribundæ alterius fœminæ aures perlata, quemadmodùm pari fiduciæ, ità & non diſpari eventui viam munivit. Hauſtâ enim ſimili, ut optarat, aquâ, & dolores imminui, & priſtinam ſibi rediiſſe incolumitatem non valdè abſimili prodigio demirata eſt. Denique depoſitus ibidem à Medicis jam Puer, ubi conſultantem cum domeſticis de funeris ſui pompâ Matrem audiit, id unum ab eâ, extremum veluti ſolatium, expetiit, ut quando adultiorem ſe in Societate vivere præmatura mors minimè ſineret, in ejuſdem Ordinis habitu mori, ac tumulari ſaltem ipſa permitteret. Jam verò tàm benè animati erga Societatem Pueri poſtulata ut audiit præſens, qui aderat, Noſtratium quidam, miſeram ejus vicem dolens, ſperare meliora eum jubet, ſi Sancto Ignatio Societatis Parenti, ejuſque Filio Franciſco de Hieronymo ſoſpitem ſe certo tempore in Societatis veſte inceſſurum promittat. Promiſit cum Puero & Mater, proſpero adeò promiſſionis fructu, ut non multò poſt præter omnium ſpem redditam ſibi confirmatis, ut anteà, viribus ſobolem mirari, Deoque gratulari læta debuerit.

Eo-

Digitized by Google

Eodem hoc anno Cremiſii inſtituto in noſtris Scholis Adoleſcentulo, cui, nequicquam obnitentibus Medicis, vehementior in dies febris acceſſus, mentis delirium, certumque vitæ periculum intenderat, Franciſci reliquias petiiſſe adeò profuit, ut ſolo earum attactu leniter ſopitus, imminutos febris calores primùm evigilans, paulòque poſt penitùs extinctos expertus, priſtinum robur, ac vires ejus amuleti ope recuperarit. Celeriùs Goritiæ in duos ſimili morbo afflatos ejuſdem remedii beneficium profluxit. Abſimili quippè reliquiarum attactu febris æſtus in utroque ſtatim deferbuit. Nec diſpar Viennæ tùm nobilis cujuſdam, tùm etiam alterius hominis felicitas. Etenim ad arcendum gravem, quo vexabatur, morbum, ingentes, quos incaſsùm profuderat ſumptus, unico, quod Franciſco nuncupavit, voto redimere prior valuit. Ejus quippè exuviis collo appenſis, diuturni, ac moleſti morbi calamitas in totum evanuit. Poſterior verò Medici incuriâ in cœcitatis periculum adductus, implorată ſolummodò Franciſci ope, propulſatum à ſuis oculis malum fuiſſe gaviſus eſt.

Anno hujus ſeculi XXVIII. Judenburgi conclamatam fœminæ cujuſdam vitam cum Medici juxtà, atque adſtantes ominarentur; Franciſcum duntaxat Medicum ſupereſſe noſtrarum cauſarum Actor languenti ſuadet: jamque iniri propemodùm expiraturæ ejus Iconem cum fiduciâ admovet. Atque ab eo attactu triduo ea prorsùs revaluit: redintegrataſque nullo alio remedio, quibus etiamnum utitur, vires, ac vitam acceptam ſe uni Franciſco referre deprædicat.

CA-

Digitized by Google

CAPUT III.

Beneficia in Bohemiæ Regnum pari Incolarum admiratione à Franciſco collata.

IN florentiſſimum item Bohemiæ Regnum hæc mirabilium rerum permeavit fama : incenſique experiendæ opis cupiditate Incolæ hæc ſe potiſſimùm Franciſci patrocinio accepiſſe ampliſſimis verbis teſtantur.

Pragæ, in præcipuâ ejus tractus Urbe, ingenua Virgo, quàm cenſu pauper, tàm virtutibus dives, malum Dæmonem, quem cæteroqui pluries fortiter anteà vicerat, infeſtum adeò ſentire exinde cœpit, ut ſermone explicari vix poſſit. Annum enim, eòque ampliùs permoleſtè, ac nullâ ferè moleſtiæ intercapedine ab eo vexata, compulſiſque ad apertam defectionem animi cupiditatibus ex rebellantium affectuum tumultu caligare adeò mentem, animique vigorem retundi experiebatur, ut pertinacia, atque improbitas ſedem in eâ fixiſſe viderentur: niſi quod ſedatis per intervalla tot animi fluctibus, ac ſibi reddita, Tartarei Aggreſſoris fraude invitam ſe in malum rapi, patique potiùs infanda, quàm agere cum lacrimis proteſtabatur. In amentiam, aut deſperantis animi furorem miſeræ Virginis calamitatem facilè deſituram rei conſcius nonnemo credidit; præſertim cum capitis labor, atque ex longo angore virium debilitas ad augendam eam ſuſpicionem accederet. Sed tamen in ipſo imminentis naufragii periculo infelicem Fœminam deſeri, indignum enimverò id ejus Homologetæ viſum. Quocircà, ut ſui muneris partes expleret omnes, poſt alia, atque alia in ejus levamen adhibita incaſſum remedia, ubi de Franciſci virtute, ac prodigiis Pragæ fama percrebuit, opportunum vexatæ Virginis animo, & corpori ejus patrocinium fore confiſus, ut parem & ipſa fiduciam conciperet ſedulò effecit. Nec utriuſque ſpem ſecutus ſtatim fefellit eventus. Franciſci quippè veſtium præſegmine vixdum accepto, meliùs ægræ Virgini eſſe ità cœpit, ut proſilire è lectulo confeſtim valuerit. Ad ejuſdem verò

Digitized by Google

Effigiem poſt paulò conſpectam animo repentè mutata è maximis illis rebellantium affectuum procellis in priſtinam ſerenitatem relabi viſa eſt : manifeſtâque Franciſci ope ea interim pacatiſſimè in Dei obſequium efficere potuit, quæ paulò ante ne auſuram quidem fore ſpes cuiquam fuiſſet. Undecim ferè dies optata hæc tranquillitas tenuit : ſed juſſa ab Homologetâ inſigne hoc Franciſci beneficium coram Socio edicere ; cum ſeù fœmineâ verecundiâ, ſeù mali Dæmonis aſtu auſcultare momenti pertæſum eam eſſet, parùm æquæ tergiverſationis, ac taciturnitatis pœnas extemplò dedit. Agitari iterùm animo eodem die cœpta, poſtridie ad eos animi motus adacta impotentiùs eſt, ut ni delinitus precibus Franciſcus tantam ab eâ calamitatem, ſeù per ſe, ſeù per Tutelarem Fœminæ Angelum abſtinuiſſet, in Moldavæ aquas, veluti Furiarum ardentibus tædis acta, ex efferato animi impetu ſeſe indubiè præcipitaſſet. Ità (quemadmodùm deinde ſibi reddita teſtata ipſa eſt) infanda, atque atrocia omnia lymphatus animus agitabat. Ingrati animi vitium meritò ità plecti diſcuſſo pauliſper mentis turbine tandem agnovit ; ac recrudeſcentis ærumnæ ſupplicium multo cum gemitu deprecata, placabilem Franciſci precibus Deum nacta, è tenebricoſis illis mentis vorticibus emergere iterùm cœpit. Ac ſi quam exinde offundi identidem animo caliginem ſenſit, ſocordiæ id ſuæ, imminutæque in Franciſcum fiduciæ adſcribendum id eſſe & ipſa cenſuit : cum nonniſi in conſtanti erga ipſum obſequio conſtantis, quam optabat, malaciæ ſpem reponendam eſſe minimè ambigeret. Hæc Pragâ datis à ſe literis nunciavit Societatis Sacerdos Franciſcus Barbi VIII. Id. Maj. anno Repar. Sal. MDCCXVII.

Eâdem in Urbe occultâ corporis lue, quam Medicis prodere ingenuus pudor prohibuerat, integrum jam annum exercitus quidam (Vir, an Fœmina ? incertum) non ſine moleſtiâ fuerat. Quàm igitur à quæritandis humanæ artis præſidiis abhorruerat, tàm præſentem à Franciſco opem expoſcere non dubitavit. Quare fomentis omnibus conſultò repudiatis, tribus eum noctibus, antequàm cubitum ſecederet, ſibi conciliare ardenter aggreſſus, morbum omnem triduo evanuiſſe teſtatus eſt; idque jurisjurandi fide interpoſitâ, ſi opus foret, ſeſe confirmaturum pollicitus eſt.

Ibidem Religioſus Sacerdos piæ, honeſtæque vitæ per ſe

cæte-

Digitized by Google

cæteroqui cupidus, hominum judicia, censuras, offensionem se plus æquo vereri quandoque experiebatur. Id cum non levi ad virtutem impedimento & esse, & in posterum fore animadverteret, preces ad Franciscum fudit: brevique post tempore se rerum omnium, ac personarum respectum in explendis muneris sui partibus de facili abscidisse gratulatus est.

Schwidnicii in Silesia binis Matronis mirâ ope subvenit Franciscus. Harum prima Anna Nibnetin fuit, Domini Notarii Leodicensis Uxor. Graviter hæc ægrotans Leobergâ Schwidnicium valetudinis in paternâ domo curandæ spe proficiscens, ipso in itinere exanimem, imò & corruptum enixa est fœtum, abortu adeò infausto, ut linguæ, ac mentis usuram infelix inde puerpera amiserit. Ità novis, oppidòque gravioribus morbis obnoxia Schwidnicium advecta terrore, ac luctu paternam domum implevit. Adfuere laboranti Medici; horum tamen præsidiis nec linguæ, nec menti subventum. Opportunè interim ad ægram nostri Collegii Rector accessit, atque in ejus levamen secum Francisci lipsana, atque Effigiem attulit. At elinguem, ac mentis impotem quî ad fiduciam excitaret? Domesticis potiùs ire in preces jussis, tenuissimum usurpatarum à Francisco vestium præsegmen ægræ glutiendum porrexit, cæteris interim Reliquiis cum Icone ex ejusdem collo suspensis. Mirumque dictu! Ea salubris amuleti vis fuit, ut utriusque morbi pertinaciam extemplò exarmarit. Etenim locuta repentè Fœminâ recuperatæ & linguæ, & mentis fidem omnibus fecit: proximoque Dominico die (XI. post Pentecosten eo anno hic erat) Parentibus non minus lætitiâ gestientibus, quàm rei admiratione attonitis Nostram in Ædem ad Sacram Synaxim, atque ad agendas Deo grates, Franciscique merita prædicanda conferre sese incolumis valuit.

Anna Felix Ludovici Felicis Senatoris Uxor Matronarum altera fuit. Infelicem hæc sibi partionem ex non inanibus indiciis ominabatur: transversâque reapsè in utero sobole, iis conflictari doloribus plures debuit dies, ut conclamatum ejus vitæ passim omnes edicerent. Adesse & huic debuit idem, qui memoratam nuper alteram inviserat, nostri Collegii Rector, idemque ejus loci Curio David Berger nomine. Qui postquàm expiatam Pœnitentiâ ægram Cœli Viatico munit, ut in Francisci, Sanctique ejus Parentis Ignatii fidem, & clientelam &

Digitized by Google

ipsa concederet, non difficilè persuasit. Quare Francisci vestium particulâ, quam aquâ dilutam ebiberet, eidem relictâ, seu Collegii, seu Paræciæ res curaturus discessit. Pium verò dilutum vix sumpsit Puerpera; cum motus in utero fœtus, caput cum nequiret, brachium exseruit; quod ubi Baptismo Obstetrix, ut par erat, lustrasset, in maternum uterum repentè reduxit. Deficere ad hæc sensim Puerpera, atque ab extincto, ut jam senserat, post Baptismum fœtu imminens & sibi funus non ex vano metuere. Hinc, qui supremo morientium Oleo eam ritè inungeret, iteratò adesse ei debuit Rector: qui antequàm sacro se operi accingeret, Francisci, Sanctique Parentis Ignatii opem in ægræ memoriam ardentiùs reduxit. Mox ubi Sacræ Unctura manum primùm admovit, à penè exanimi Matre extinctum ex toto marem editum jam esse miratus est. Actæ proinde propitio in Francisci gratiam Deo tùm ab ipso, tùm à Puerperæ domesticis, tùm etiam à præsentibus Hæreticis Matronis in genua provolutis debitæ pro admirabili beneficio grates. Quod quidem profectum à Francisco fuisse, ex iis, quæ ad se rediens, ac veluti leniter alicui arridens Puerpera ultrò deinde Rectori retulit, colligere evidentiùs licuit. Visum nempè sibi inter angores Venerabilem Virum Societatis habitu indutum; ab eoque audisse, ut metu depositò meliora speraret; fore enim, ut benè, atque ex voto procederent omnia. Se proinde fausta nuncianti leniter ideò arrisisse. Hæc ipsa, quæ paucis post diebus omninò incolumis sibi æquè, ac soboli eodem tempore Franciscum plenissimè providisse prædicavit: quippè qui ut mortalem sibi prorogasset vitam, ità proli Baptismo maturè suscepto Æternam, eamque oppidò feliciorem suis precibus impetrasset. Hæc Nonis Augusti anno à Virg. Par. MDCCXVII. David Berger in Schwidnicensi Collegio Rector, & Parochus.

Eodem anno Litomericio ad P. Maximilianum Smerowsky Cæsareæ Legionis Neapoli Curionem hæc IV. Non. Octob. scribit Societatis Sacerdos Ludovicus Siebert. Libochowicii gravem contraxerat morbum Celsissima Princeps Gualteri de Dietrichstein Uxor: peritorumque judicio conclamatum ejus vitæ penè jam fuerat. Hinc ad eam evocatus memoratus nuper Ludovicus & confitenti aures præbuit, & Cœlesti Epulo ægram refecit. Præsentem tamen Francisci opem feliciissimè experiri huic etiam obtigit. Ejus enim prodigiorum celebritate occupa-

Digitized by Google

cupatus Celsissimi Viri Principis animus (quæ nimirùm Viennensibus Typis haud ita pridem in lucem edita legerat) in ejusque laudem facundè cum Sicberto effusus, ubi certissima hominis pignora penès hunc esse audiit, eorum citò habendorum, quam ipse conceperat cupiditatem, in Uxorem statim transfudit. Vestis igitur, atque indusii frustulo potitus, illud, delapsum veluti è Cœlo munus, laboranti vix attulit; cum eodem momento meliùs ei esse cœpisse, jurisjurandi fide interpositâ, si opus foret, asscruit. Recuperandæ ab eâ celerrimè valetudinis faustum inde præsagium, eventu non irrito, sumpsit. Etenim ad eam triduo post invisendam cum sui Collegii Rectore regressus Sicbertus, morbi immunem & mensæ assidere, & Rei Divinæ in Sacello interesse non sine admiratione deprehendit.

Æquè admirabile & illud est, quod ad eundem Maximilianum XIII. Kal. Octobr. anno labentis seculi XIX. suis literis è Regino-Hradensi Collegio nunciat Franciscus Starzhsky Societatis Sacerdos. Quartam hic anni partem ex vomicâ in pectore, atque è splenis, renumque obstructione decubuerat. Quare Medicorum omnium judicio depositus Supremis morientium Sacris procuratus jam erat. Imploratâ tamen Franciſci ope, nuncupatoque ei voto, contrà omnium spem eò mirabiliùs revaluit, quòd cum è nimiâ puris ejectione, quæ quinque hebdomadas non sine suffocationis periculo tenuerat, corruptos jam pulmones conjicerent Medici, difficilis adeò morbi ne vestigium quidem expertus in se ipse postmodùm fuerit.

Longè verò majorem faustorum hujusmodi eventuum copiam, jam inde ab anno R. S. MDCCXXII. hujus mihi Societatis Provinciæ Tabularium suppeditat. Nam præter minoris momenti plurima, quæ Kuttenberga, Lignicium, Novadomus, Schwidnicium, Uratislavia, ac Znoyma memorant; prætereundum silentio non est acceptum Oppaviæ à prænobili Dominâ Rosinâ Xakolianâ beneficium. Acerrimis quippè hæc Apostematis doloribus interdiù, noctùque vexata, uno Franciſci pignorum attactu omnem cum morbo molestiam penitùs discussit. His tamen re, & numero potiora ea sunt, quæ Reginæ-Hradecii mirari eodem hoc anno licuit. Vix quippè imploratâ Franciſci ope, alius gravem pedum dolorem eodem die majori ex parte pulsum: pectoris tumorem alius, & sanguinis ejectionem non sine ingenti Familiæ solatio discussum sensit. Fuit & qui Dominicâ

pre-

Digitized by Google

precatione, atque Angelico Ave recitatis, morbum, ac mortem, à quâ Medicorum judicio proximè aberat, ex inſperato evaſit. Ibidem denique cum è lactentis Pueri uberculis aſſiduè lac noctu venefica quædam exſugeret; Noſtratis cujuſdam hortatu non alio amuleto teneræ ſobolis periculo conſuluit Mater, quàm Sancti Ignatii lipſanis, ac Franciſci Effigie ejus collo appenſis. Munitumque reapsè horum pignorum præſidio Infantem nocturna Strix nacta, quam in Filio nequiit, in Matre ultionis cupida ſævitiem exercuit. Ejus proinde manum, ac pedem acribus adeò morſibus læſit, ut cruenta infixorum utrobique dentium veſtigia omnium oculis patuerint. Munitâ nihilominùs iiſdem piis adminiculis etiam Matre, malefica illa hirudo exſugendi lactis, & ſanguinis vim in ea domo prorsùs amiſit.

XXIII., qui proximè ſecutus eſt, labentis ſeculi anno, & ſolutos, peracutis calculi doloribus nobiles duos vidit Glogavia Major, ac redditum membris capto motum Oegra. Kuttenbergæ prætereà plures jam hebdomades ex infelici Puerperio fœmina quædam iis dilaniata cruciatibus, qui eam ad inſaniam, ac penè ad deſperationem adigerent; nuncupato tamen in Franciſci obſequium voto, epotiſque in aquâ ejus reliquiarum particulis, ab omni propè doloris moleſtiâ feriata per triduum eſt, meliùſque ei eſſe exinde cœpit. Duo inſuper Novæ-Domi fuere, quorum alter, quæ quatuordecim annos eum vexaverat, herniam; alter phreneticam convulſionem, quâ ad vitæ metam adductus jam fuerat, pii hujuſce Archiatri beneficio feliciter diſpulere. Pragæ ad Sanctum Clementem denique perilluſtris Vir Norbertus Mladota cum ex periculosâ prolapſione ingentem ſanguinis copiam (tres facilè menſuras Bohemicas ſuo judicio æquantem) ex ore ejectaſſet; cumque humana proinde remedia incaſſum adhiberi perſpiceret; nono à decubitu die, nuncupato priùs voto, dein Franciſci reliquiis cum aquâ hauſtis, poſt novendialem inſomniam, inediamque, meliùs illicò habere exorſus eſt. Sacrâque Homologeſi peractâ ex integro jam ſoſpes, quam voto obligaverat, fidem gratus exolvit.

Ex alto item Pragæ, ad Sanctum Ignatium, inſequenti anno ſeculi hujus XXIV., quidam alius decidens confractum, quod inde retulerat, femoris os cum difficilè coiturum iterùm fore à

Me-

Digitized by Google

Medicis didicisset, efficax malagma in unis Franciſci reliquiis eſt nactus. Unico quippè earum contactu vegetum corporis robur ſpe, atque opinione celeriùs recepit. Eodemque remedio ibidem alter, Pragæ verò ad S. Nicolaum alter lethali morbo ad vitæ confinium ambo propè deducti, vitæ, ut optabant, uterque proſpexerunt ſuæ. Similia de ſuis Civibus Briga, Ziczinium, & Nova-Domus refert. Matronam addit Hirſchberga, quæ aureâ circumornatam coronâ, quam pingi curaverat, Franciſci Effigiem, accepti à ſe inſignis cujuſdam beneficii teſtem, in Templo exponi cupidè voluit. Poſteà verò quàm publici cultus ſpeciem hanc Eccleſiæ Legibus prohiberi intellexit; privatâ erga Franciſcum hunc pietate contenta, Franciſco alteri, nimirùm Xaverio, argenteum cor publici, ac legitimi obſequii anathema obtulit. Poſtremò piè deceſſiſſe è noſtri Ordinis Sacerdotibus eximiè Franciſco addictum Ernestum Geyer Telczium nunciat. Huic reliquis religioſi hominis virtutibus apprimè claro ejuratos errores, Catholicæque Religionis lucem centum ſexagintaquinque debent, variarum anteà Sectarum aſſeclæ. Cæterùm in extremo vitæ articulo ſcitatum eum ex præſentibus fuiſſe perhibent; *Quiſnam ille è Noſtratibus eſſet, qui ad genuale cubiculi pulvinum flecteret? Non abſimilem Franciſco de Hieronymo ſibi eum videri.* Inanes-ne rerum imagines moribundo illuſerint; an ſui amantiſſimo adeſſe in ſupremo conflictu verè voluerit Franciſcus? cum nemo è præſentibus quicquam viderit, non multò poſt decedens in medio reliquit Erneſtus.

Eâdem in Urbe ſecuto Jubilæi anno MDCCXXV. poſtquàm novendiale precum penſum ad implorandam Franciſci opem quædam perſolvit Mater, ſurdæ jam Filiæ aurium impetravit uſum. Adhibitiſque prætereà ejuſdem lipſanis ſibi, ac fœtui vitam alia infelicis partionis doloribus tantùm non exanimata obtinuit puerpera. Novæ-Domi item poſt partum alia affectis periculosè mammis à ſimili duntaxat remedio lenimem illicò ſenſit. Kuttenbergæ pariter alia quædam è lethali Hydrope revaluit. Abactus etiam Znoymæ nuncupato ei voto diuturnus ſanguinis fluxus: ſimilique obſequio Schwidnicii Virgo quædam è Sanctæ Urſulæ Parthenone conclamatam peritorum judicio vitam recepit. Olomucii inita à nonnullis religioſæ vitæ conſilia, adſcito in tàm illuſtris cauſæ patrocinium

Digitized by Google

nium Franciſco, feliciter ceſſere : cujus nempè ope ſacratum Familiarum Candidatis ad optata Aſceteria facilis aditus patuit. Giczinii demùm ſuccenſus in ſylvæ cujuſdam meditullio ignis ſerpere, debacchari, atque incendium vulgare ità cœperat, ut ſopiendum eum fore deſperarent jam accolæ, Sed eò accurrens cum ſociis, qui Sacris Miſſionibus tùm fortè vacabat Noſtratium quidam, atque in genua provolutus ad Divæ Joannæ patrocinium confugit, ſimulque expertam aliàs Franciſci opem implorat. Mox Divæ illius grano, Franciſcique lipſanis injici in ignem juſſis, coercitum illicò, objectis veluti repagulis, incendium reſediſſe, immunemque proinde reliquam ſilvæ partem agere Deo in ſuis famulis ſemper mirabili gratulatus eſt.

Eâdem in Urbe ſecuto dein anno præterlabentis ſeculi XXVI. tùm felix fœminæ partus, tùm depulſum ab alio imminens à febri vitæ periculum Franciſci patrocinio adſcripta. Idemque ſe eodem præſidio impetraſſe Pragæ ad Sanctum Clementem è Noſtris Junioribus quidam eò lætiùs expertus eſt, quòd aliis Medicorum Alexipharmacis ad expugnandam febrim adhibitis operam luſerat. Hirſchbergæ perſanatum è perioloſa lue Infantem ut Franciſco deberi planum facerent Parentes, Societatis habitu indutum incedere eum juſſere; quò ſeù Orthodoxis, ſeù Heterodoxis inſoliti amictus cauſam ſcitantibus, Franciſci ope è lethi faucibus ereptum eum fuiſſe liberè reponerent.

Secuto dein anno ſeculi fluentis XXVII. Franciſci reliquiis unum aliquem Pleuritide liberatum exhibet Niſſa; alterum verò Reginæ Hradecium memorat, quem penè ad extremam vitæ metam deductum nuncupatum eidem Franciſco votum, corporique applicita ejus lipſana meliùs abſque morâ habere, tandemque ex integro revaleſcere non ſine inſignis beneficii admiratione juſſere.

Iglaviæ è Senatorio Ordine unus aliquis, cum biennio ante Hydropico pedum dolori Franciſci reliquias optimè proſpexiſſe animadvertiſſet; rursùm anno hujus ſeculi XXVIII. tumorem eundem à gravi ægritudine ad pedes defluxiſſe ſenſit. Ac peſſum non iviſſe ſuſas olim ad Franciſcum preces edoctus, ejus Reliquiarum adminiculo eò mirabiliùs, quò citiùs depulſum à ſe morbum eſſe gratulatus eſt: tumidos quippè veſpere pe-

Digitized by Google

pedes ex toto detumuisse postero mane suspexit. Pragæ item ad Sanctum Clementem à nostri Collegii Rectore morientium Sacris ritè munito secuturam Medicorum judicio intrà paucas horas mortem idem Francisci patrocinium abstinuit. Vix enim æger persolvendum quotannis pium quoddam pensum spopondit; cum in Medicorum unius mentem Chirurgus quidam venit, cujus operâ conclamata salus facilè rediit, ac beneficii deinde Rector apprimè memor, & Francisci Interulam, quam gestaverat æger, pretiosâ lipsanothecâ inclusit: & ejusdem Vitam à Carolo Stradiotti conscriptam, quò hominis virtutum fama latiùs manaret, Typis denuò subjiciendam curavit.

Eâdem Interulâ sequenti dein anno seculi xx rx. Pragæ ad Sanctum Nicolaum Nostratium Sacerdotum quidam vitæ consulere valuit suæ. Humanâ quippè destitutus ope, ad Divinam confugit; infirmoque pectori vix memoratum pignus cum fiduciâ admovit; cum convalescere se extemplò cœpisse demiratus, vitam Francisco se acceptam referre etiamnum testari non dubitat. Nec his dissimilia de Fœminâ quadam valetudini reddita refert Iglavia: deque duobus aliis spe non fraudatis suâ Reginæ Hradecium nunciat.

CAPUT IV.

Impensi in Franciscum studii in Inferioris Rheni Provinciâ lætissimi successus.

QUemadmodùm effusis in Franciscum obsequiis nulli Germanorum Provinciæ, aut Regno; ità & acceptis vicissim per eum beneficiis nec ulli vastissimæ ejus Regionis Genti concedere eos arbitror, quos in inferiori ripâ Rhenus alluit, è cujus decursu sparsis in eo tractu Societatis Collegiis, ac Domibus Provinciæ Rheni Inferioris apud nos inditum nomen. Ac, primus, quod sciam, ità faciendi Auctor jam inde ab anno hujus seculi xvii. iis fuit Bruno Roelen domesticus Adjutor, idemque Colonienſis Collegii Apothecarius, qui Romam venienti ad Procuratorum Comitia P. Schitman itineris comes additus, quas à Neapolitanæ Provinciæ Procuratore

Digitized by Google

Patre Antonio de Angelis plurimas ibi accepit, Franciſci reliquias ſecum Coloniam referens, Sacrarum Excurſionum miniſterio addictis Patribus potiſſimùm diſtribuit. Ex quo tantus brevi tempore in toto ejus Provinciæ ambitu omnium Ordinum exercvit in Franciſcum amor, ut ad eum ſibi conciliandum alii ejus reliquias, alii, ubi in ære inciſam ejus Iconem à Brunone ſervari percrebuit, ejuſdem Imagines ab ipſo turmatim petitum penè quotidie acceſſerint. Ac præter illuſtres magno numero Viros, Matronaſque, qui hominis Effigiem coloribus ſibi depingi curarunt (ex quo ingens pecuniæ compendium celebri Colonienſi Pictori Van-Damm obveniſſe perhibent) quinquaginta, atque his ampliùs ejuſmodi telas aliò, atque aliò mittendas picturâ exprimi unus ipſe mandare debuit memoratus Collegii Apothecarius: ut papyraceas Effigies Coloniæ diſtributas reticeam, quas viginti millium numerum exceſſiſſe nunciarunt. Germanica etiam ejus Vitæ Epitome Coloniæ, & Moguntiæ apud Johannem Mayer eodem anno MDCCXVII. impreſſa: biennioque poſt eadem ex Italico P. Stradiotti in Germanum verſa Auguſtæ Vindelicorum prodiit apud Georgium Schluter, & Martinum Happach MDCCXIX. Adeò hominis virtutum exiſtimatio, implorandæque opis fiducia in eorum incolarum animis opinione celeriùs inſedit.

Quàm proſperè verò ibi tùm Brunoni ipſi ſua in Franciſcum ſtudia, tùm eorum plurimis ſua ceſſerit ſpes, è mox ſubjiciendis mirabilium rerum documentis nullo negotio deprehendere per ſe quiſque jam poterit. Principio enim apud non immemorem ſua hæc officia collocaſſe viſus penè ſtatim eſt ipſe Franciſci gloriæ buccinator, de quo ſuperiùs memini, Bruno Roelen. Cum enim ſurdaſter aliquot jam annis egiſſet, in Circumforaneum quendam Medicum feſtâ D. Magdalenæ luce incidit, qui aurium vitio maturè corrigendo remedia pollicitus, hominem è ſubſurdo ſurdum adeò reddidit, ut nec clamores maximos, nec vicinum Campani æris ſonitum perciperet: jamque non tàm verbis, quàm nutibus agendum cum eo foret. Hujuſce Jatraliptæ ſeù inſcitiæ, ſeù fraudi pro viribus ut occurrerent, bini adfuere Medici. Verùm cum luſuros ſe operam difficillimâ in re ſatis cernerent, extremi ſolatii loco, hanc nil penitùs audienti legendam de ſcripto ſententiam obtulere; *Melior eſt ſurditas, quàm cæcitas*. Perpetuæ igitur ſurditatis hoc peritorum judi-

Digitized by Google

judicio damnatus, ad longè præstantiorem Medicum Franciscum confugere Bruno statuit. Atque non dubiâ spe experiundæ opis erectus, impetratâ priùs à Moderatoribus veniâ, si aurium usum ex parte saltem reciperet, annuum Francisci obitus diem pridiano jejunio quotannis præmisso, se sacrâ Synaxi celebraturum spopondit. Ejus deinde pileolo obstructis auribus cum fiduciâ sub cubitus horam applicito, ubi manè primùm evigilavit, audiri à se omnium voces, seque nonnisi surdastrum, qualis antea sine molestiâ fuerat, Francisci ope iterùm evasisse animadvertit. Recuperato igitur, ut optarat, aurium usu, lætus ad Odæum repentè processit: Hymnoque Ambrosiano pientissimè ibi recitato voti per Franciscum compos Divinæ Benignitati grates persolvit: Nostrorum plurimis mirabilis rei eventu attonitis, mistasque gaudio lacrimas haud continentibus. Totam hanc rem Bruno ipse tùm Patri Francisco Fernandez, tùm Patri Adolpho Niertz Theologiæ studiis Neapoli tunc occupato VI. Id. Februar. anno Rep. Sal. MDCCXXI. datis Coloniâ literis significavit, utrumque obtestatus, ut adito Francisci tumulo plurimas eidem suo nomine gratias agerent. Augendæque ejus gloriæ cupiditate Neapolitanorum nulli deinde secundus, uti petitis Neapoli aliis ejus reliquiis, imaginibus, rerumque à Francisco gestarum notitiâ Germaniam, ità accuratâ patratorum apud Germanos prodigiorum cognitione Neapolitanæ Provinciæ Tabularium ditare, quòad vixit, quàm qui maximè studuit. Decessit hic anno hujus seculi XXIII. cum Francisco extremos inter anhelitus de non protrahendâ diutiùs vitâ amicè expostulans. Sed cum precibus nihil promoverit, optabiliorem vitâ ei mortem esse, indicio apud Nostratium plurimos fuit.

Post hunc, patratarum ibi per Franciscum admirabilium rerum idoneus, ac locuples testis meritò habendus est P. Scholer Sacrarum Missionum ministerio suâ in Provinciâ addictus. Hoc igitur impetrandæ per Franciscum opis Auctore, hominis è lethi faucibus erepti authenticum hoc exstat testimonium. Joannes Henricus Leumeyers Falkenagensis ex Pago *Woderfelt*, ætate quatuor ac viginti annos natus Adolescens, Religione Catholicus, professione Agricola, tertiâ Paschatis Feriâ, anno Christianæ Æræ MDCCXVII. domum à nuptiis redux secutis diebus in fœdum, nec facilè auditum incidit morbum. Ex coarctatâ enim acerbis doloribus alvo cum dies quatuordecim nil egessis-

Digitized by Google

set, ad dexteram ventris inferioris partem è sponte ruptis hiatibus tribus saniem, ac purulentas excernere corporis sordes, nec non unum, alterumque vermem molestissimè occœpit. Annum, ac dies undeviginti pertinax ea illuvies tenuit, medentium remediis usque eò non inhibita, ut potiùs artem humanâ majoram ad ejus morbi sævitiem exarmandam opus esse ingenuè fateri Medici non erubescerent. Ad hominis interim pro deposito jam habiti aures Franciſci prodigiorum rumor pervenit, simulque à Patre Scholer Falkenagæ eâ ætate in Sacris Missionibus versante ad conciliandum sibi tanti Viri patrocinium aliorum exemplis & ipse incitatus, ter Dominicam precationem, Angelicamque salutationem recitare quotidie exeunte ejus anni Junio instituit; seque ab his precibus haud unquam in vitâ destiturum perpetuo firmavit voto, recuperandæ nimirùm eo obsequio valetudinis, si modò è re suâ, atque è Dei Gloriâ id foret, fiduciâ magnoperè illectus. Ità ad insecuti proximè anni Februarium constanter agere cum perrexisset, è donatâ sibi papyraceâ Franciſci Icone recipiendæ ex integro valetudinis primam veluti voluptatem prælibare exorsus est. Etenim cereo privatâ pietate coràm Icone ardere interdiù jusso, noctu sibi consueto pacatiùs in somnum soluto coivisse ex improviso duo ulcera manè evigilans animadvertit. Suas proinde preces, ac vota in tàm difficili re valere apud Deum cœpisse è felicibus ipse primordiis secum reputans, auctâ fiduciâ, posse se voti ex integro compotem æquè facilè fieri speravit. Ac sub Quadragesimalis Jejunii exitum gestati olim à Franciſco indusii præsegmine accepto, antequàm residuo ulceri id ex ejusdem Patris Scholer præscripto piè admoveret, recurrentem Franciſci obitus annuum diem Sacrâ Homologesi, ac Synaxi, Cerei præterea dedicatione, ac jejunio sese perpetuò honoraturum spopondit. Mirumque dictu! Cubitum discessurus, præsegmine illo vix læsæ parti applicito, coaluisse inter dormiendum tertium illud, quod supererat, ulcus evigilans manè miratus eò magis est, quòd ejus molestias non secùs, quàm anteà, nullâ vicini levaminis spe expertus pridie fuerat. E' lectulo igitur, nec magno nisu repentè prosiliens, ad Matrem hilaris advolat; sanum se, atque incolumem hilarè exclamat; *Pertinax enim*, inquit, *mihique, ac tibi hactenùs molestum ulcus meis æquus votis hac nocte obduxit Franciſcus. Vin' plura at nunc stadia con-*

Digitized by Google

contento cursu conficiam? Quo dicto discursare liberè domi, expeditisque hàc, illàc gressibus certam curationis suæ fidem toto die facere haud renuit. Postridie verò ad satis procul disjunctum Falkenagense Templum, unde annum, & ampliùs ægritudinis causâ abfuerat, pedes concessit, Servatori Deo restitutæ per Franciscum valetudinis beneficium gratulaturus. Eum porrò à Medicis lethi damnatum, ne cicatricum quidem vestigiis relictis, agresti labori idoneum tàm citò esse potuisse, mirabile adeò, ac prodigii plenum est visum, ut de eo per literas à Falkenagensis Residentiæ Superiore Mauritio Rhuman certior factus Paderbonensis Collegii in Westphaliâ Rector, apud Paderbonensem, ac Monasterienſem Episcopum, ac S. R. I. Principem Franciscum Arnoldi enixè institerit, ut eâ super re publicum, ac legitimum Instrumentum ejus jussu, atque auctoritate conficeretur. Ac ritè confecto Paderbonæ III. Id. Maj. anno à Virg. Par. MDCCXIX. subscripsere.

Franciscus Gaspar Philippus de Harthausen, Canonicus Capitularis Ecclesiæ Cathedralis, & Vicarius Generalis in Spiritualibus.

Præterea & à Paderbonensi Synodo legitimi Quæsitores constituti.

F. Liborius Molitor Ordinis S. Benedicti in Abdinghoff Professus Sac. Theol. Lector.

F. Franciscus Hildesiensis Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum Sac. Theol. Lector.

F. Beda Wiederholt Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Stricktiori Observantiâ Sac. Theol. Sobolasticæ Lector.

F. Godefridus Sture Ordinis Fratrum Minorum de Stricktiori Observantiâ Sacræ Theol. Scholasticæ Lector.

Christophorus Zurhoven Societatis Jesu Sacræ Theol. Doctor, & Professor Ordinarius.

Fridericus Munch Societatis Jesu Sacerdos Sac. Theol. Doctor, & Professor Ordinarius.

Medici demùm.

Joannes Henricus Osterfman.

Be-

Digitized by Google

Nec minoris momenti ea ſunt, quæ ſubnectam, eodem P. Scholer Adminiſtro geſta. Ad Cosfeldienſis Collegii Templum, auditâ Franciſci prodigiorum famâ, binis ſuſtentatus grallis quidam acceſſit. Has eum abjicere, admotis reliquiis ut primùm attigit, juſſit P. Scholer; *Ecce*, inquit, *ſanus factus es, vade in pace*. Cruribus verò ſuis timentem adhùc, eòque imperata exequi dubitantem, ereptis vi grallis incedere compulit Pater. Nec aliâ re opus fuit, ut pedum debilitate diſcuſſâ ſoſpes, ac firmatis cruribus domum repeteret.

Ad eundem P. Scholer Calviniana Mater Filium adduxit, cui gravis Epiphora brachium fœdè diſtorſerat. Rogata, *An Sanctorum invocationi cum Catholicis ſubſcriberet?* Cum protervè negaſſet, abire juſſa confeſtim eſt. Matre verò domi relictâ, regreſſus ad eum clàm Filius paratum ſe ex animo ad ejurandum errorem aſſeruit. Ad tangendas ideò Franciſci reliquias admiſſus (quemadmodùm VII. Id. Sextil. anno MDCCXXII. Coloniâ ſcripſit Bruno Roelen) reſolutâ illicò lue, omnem è brachio morbum, ac deformitatem excuſſit, Evangelici illius dicti felicitatem expertus; *Fides tua te ſalvum fecit*.

Ineunte Aprili anno hujus ſeculi XXII. Monaſterii in Weſtphaliâ Virginem quandam Apoplecticus ſtupor ſævè adeò corripuit, ut nervis convulſis, ac ſuam verſus originem contractis, ad horrendos artuum motus maximos inter cruciatus miſerrimè adigeretur: ac vincente morbo remedia, adhibitæ Medicorum ſuppetiæ fruſtrà prorsùs jam fuerant. Monaſterii fortè per id tempus agere P. Scholer habuit: ac de miſerrimæ Virginis calamitate admonitus, revaleſcendi per Franciſcum fiduciâ ei opportunè inſinuatâ, ebibendam ei cum aquâ hominis veſtium particulam præbuit. Id verò pharmaci vix Ægra ſorbuit, cum compreſſis repentè motibus, perfectè revaluit. Quod quidem eò mirabiliùs accidit, quòd tempore eodem non in corpus duntaxat, ſed in Virginis item animum piî ejus hauſtus efficacia ſeſe ultrà petita protendit. Cum enim aſſiduis ſcrupulorum moleſtiis anxiè ad eam diem agitari ea conſueviſſet; iis ſe levatam poſtmodùm, imò & omninò ſolutam ſenſit. Hac porrò re Monaſterii nunciatâ, Civium plures exciti turmatim poſtri-

Digitized by Google

ſtridie cum ardentibus Cereis noſtram in Ædem confluentes Deum in amplificandâ ſuorum Famulorum gloriâ admirabilem plenis vocibus prædicarunt.

Si verò uſpiam prodigiorum magnitudine, ac numero Franciſci nomen in Germaniâ increbuit, id certè Bulcholdiæ fuit. Equidem quæ ejus Reliquiis in loco magnâ ex parte Acatholico geſta fuere, non aliis referenda hìc verbis exiſtimo, quàm quibus Bernardus Wiechert Bulcholdiæ Sacellanus, ac Vicarius, ad Patrem Nicolaum Monckin Societatis ExProvincialem, ac Primarium Theologiæ Doctorem datis Coloniam literis expreſſit. En ejus Epiſtolæ exemplum fideliter tranſcriptum.

Admodùm Reverende, & Eximie in Chriſto Pater.

Bucholdiæ 20. *Julii* 1722.

DEmiſſâ, quâ par eſt, reverentiâ Eximiam Dignitatem ſuam, & ſalutatam, & noviſſimorum, eorumque præcellentium, quæ hìc acciderunt, mirabilium participem volo: Si placuerit, plura, æque ſtupenda additurus in poſterum.

Mira refero, & veris veriora, quæ ad Dei ter Opt. Max. Gloriam, ad Vener. P. Franciſci de Hieronymo, & Societatis Jeſu ſplendorem mirificè conducunt. Res ſic habet. Divinâ, quæ in ſui diſpoſitione non fallitur, Providentiâ factum eſt, ut ad nos accederet Rev. P. Joannes Schuller S. J. ex Collegio Coſtfeldienſi, deferens ſecum Reliquias Ven. P. Franciſci de Hieronymo, quas ſub finem Maji Virgini cuidam perquàm devotæ febri hecticâ ultrà annum laboranti, & jam à Medicis depoſitæ in ipſo paroxyſmo adhibuit: eodemque momento morbum depulit, ut paucis poſt horis Virgo, è lecto dicam, an letho? conſurrexerit, & cum totius Familiæ ſtupore, & gaudio Cœnæ interfuerit, largè comederit, biberit, atque ex integro convaluerit. Hoc initium tàm copioſorum, quæ Optimus Deus operari dignatus eſt, miraculorum, mediante potenti Ven. P. Franciſci Interceſſione. Cum itaque dictus P. Joannes Schuller obtinendi à Magiſtratu authentici teſtimonii causâ VIII. *Julii ad nos reverſus fuiſſet, jamque de miro hoc prodigio rumor permanaſſet; primò quidem clàm ab uno alteroque languido requiſitus, ad eorum Ædes acceſſit, Reliquias.*

Digitized by Google

liquias Ven. P. applicuit, ad collocandam in Thaumaturgo Patre fiduciam hortatus eſt, & conſanavit.

Crevit fama non fictis, ſed veris miraculis: & jam non annus, aut alter, ſed turmatim Cives, & ex circumjacentibus locis, item ex partibus Cliviæ, Weſalia, Reſa, Embrica, ex partibus item Hollandiæ, ac Geldriæ tantâ cœperunt affluere multitudine, ut neceſſum fuerit etiam duos è præſidio ante fores Ædium conſtituere Vigiles. Diverſatus autem fuit P. Schuller apud probatiſſimam Viduam quamdam, eidemque ego à primo ingreſſu ad abitum uſque ferè aſſiduus adſtiti; neque ego tantùm, ſed & R. D. Parochus, aliique è Clero. Quid dicam, Eximie Pater? Dico, quæ oculis vidimus, & auribus audivimus, & quæ manibus noſtris contrectavimus de verbo ſalutis, quod annunciatum eſt nobis. Spatio decem, aut undecim dierum parata ſunt hìc in minimâ Urbe noſtrâ (Deus ſcit, quia non mentior) ad quinquaginta probatiſſima Miracula. Veriſſimè adimpletum fuit illud Chriſti ad Diſcipulos Joannis reſponſum; Euntes renunciate Joanni, quæ vidiſtis &c. Cœci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt &c. *Quinimò tanta diffuſa eſt in nos Divinæ Bonitatis abundantia, ut propè, quibuſcunque detinerentur infirmitatibus, Cœcitate, Surditate, Hydrope, membrorum tremore, Paralyſi, Languore diuturno, & incurabili &c. ad quinquaginta, inquam, vel eâdem horâ meliùs habere cœperint, aut paucos intrà dies convaluerint, & adhùc omni horâ convaleſcant.*

Doleo, Eximie Pater, quod tempus me deficiat enumerare ſpecialia quædam, aut magis illuſtria prodigia. Ipſe interfui, quando Wilhelmus (id Adoleſcenti nomen erat) ætatis tredecim annorum à nativitate ſurdus, & mutus, aurium, & linguæ uſum recepit, primaque, quæ protulit, verba (ipſo Zeloſiſſimo, ac verè Religioſo P. Schuller id promovente) ore balbutiente hæc fuerunt; Jeſus, Maria, Joſeph. *Adoleſcens iſte, cùm Dankenam veniſſet, in teſtimonium lætitiæ, debitamque Deo gratiarum actionem, ab univerſo Clero, & Populo ſolemniter cum pulſu Campanarum, & Miſſâ quoque ſolenni habitâ in Eccleſiam introductus fuit. Præter ipſum adhùc quadraginta Bonkenſes efficacem Ven. Patris Franciſci, & Cœleſtem opem experti ſunt. Ego pro meo modulo eas ſumam partes, ut quæ ab initio adventus iſtius R. P. Schuller (quo Deus tanquam idoneo utitur*

in-

Digitized by Google

inſtramento) contigerunt, literis conſignata Societatis Jeſu amatoribus communicem: quos inter, ſi gratum fuerit officium meum, in primis Eximiam Dignitatem veſtram numerabo, eique quæ geſta ſunt, quantum licet, ſingula communicabo. Sed interim unum illud dolemus, unum illud condolenter referimus, in medio fervore, ac zelo, & accurſu maximo confluentium in dies magis, magiſque omni ex parte languentium per fatales non dicam, ſed obedientiales Patris Miniſtri in abſentiâ Rectoris Koſsfeldienſis literas nobis Zelator iſte honoris Venerab. P. Franciſci auſertur, cum incredibili non tantùm heri, quò diſceſſit, ſed etiam hodiè adventantium externorum dolore. Inconſolabiles ſunt tot afflicti, & morbis, & defectibus obnoxii, quia reverà Spiritus Domini erat ad ſanandum eos. Neceſse jam non erat ſingulis adhibere Reliquias, ut ab initio facere conſueverat; ſolus, & unicus hauſtus aquæ (tanta erat fiducia ſanari cupientium) cui intinctæ Sacræ fuerunt Reliquiæ, ſanabat oppreſsos. Scribo iſta de certâ ſcientiâ: & cum Venerabilis Pater Franciſcus de Hieronymo à Sacrâ Sede nec Beatificatus, nec Canonizatus ſit, primùm quidem aquam benedictam per attactum Reliquiarum R.P. Schuller in Ædibus meis confecit; nunquam palàm, aut in Templo cautelæ causâ: nec inſciis Curatis quicquam attentare voluit providus iſte R.P. Schuller, ne . . . . Certè hujus aquæ ſalutaris decem dolia computari debent, quæ ei conficienda erant. Erit pro Divinâ Glorià, erit pro augendo Cultu Venerab. Patris Franciſci de Hieronymo, erit pro laude æquâ Societatis veſtræ, ſi ad nos Reverendus iſte Pater vel unâ quindenâ reverſus fuerit. Et quis novit ſecreta Altiſſimi, quem demum in finem tot, & tanta hìc facta ſint prodigia? Merces veſtra, Eximie Pater, erit copioſa in Cœlis, ſi ad hoc opem ſuam conferre dignabitur.

Benedictus Wiechert Sacell.
& Vicarius Bulcholdiæ.

Nec minùs feliciter earum reliquiarum amuleto uſis Noſtratium aliis ſucceſſit. Coloniæ anno hujus ſeculi xx. Februario menſe vicennis Virgo Margarita Anſen apoplectico Rheumate obruta, quanquam eo paulatim remittente, vires recepiſſet, linguæ tamen uſum ad ſemeſtre ſpatium ex integro amiſerat. Huic quarto morbi menſe Pater Bernardus Mayer, quo.

Digitized by Google

ipſa utebatur Homologetâ, auctor fuit, ut in Franciſci clientelam & ipſa concederet: eâque de re recens excuſam Teutonicè ejus Vitam quotidie legeret, ejuſque Reliquias è collo pendulas geſtare haud unquam deſiſteret. Paruit monenti Virgo; nec ſuæ eam fruſtrata eſt ſpes. Etenim XIX. Kal. Septembr. ad Confeſſionalem Bernardi Sedem concedens, ſuas ei noxias expeditiſſimè retulit; exindeque loqui optimè morbi totius expers non ſine familiæ admiratione perrexit, ut tùm Bernardi ipſius, tùm Henrici Colendahl Societatis pariter Sacerdotis teſtimonio liquet.

Embricæ prætereâ intercutis aquæ morbo Sacra Deo Virgo adeò intumuerat, ut proximi interitus Fidem jam ſpectantibus faceret. Conceptâ tamen Noſtratium cujuſdam ſuaſu in Franciſcum fiduciâ adhibitam olim ab eo telam, nuncupato inſuper voto, corpori admovit ſuo: & intercutem aquam continuò defluere gratulata, quâ frui ſoſpes perrexit vitam, ejus patrocinio in acceptis retulit. Ejuſdem pariter ope Hildeſii pertinax febris à Matre, ſimulque à lactente Filio pariter depulſa. Et Matri quidem Euchariſticæ Dapis anniverſario Franciſci obitus die adeundæ propoſitum pro amuleto fuit: Filio vero ſuſpenſa è collo lipſana incolumitatem eodem temporis momento reddidere.

In Monte Sancti Mauritii in Saxoniâ Inferiore, vitæ ſpe deſtituta mulier quædam peregrinos illos, proboſque quos viderat Patres (hoc nomine Societatis homines in Sacris Miſſionibus illic verſatos ſimplex fœmina indicabat) adeſſent ut morituræ ſibi percupidè ingeminabat. Nec eam ſolari vocatus renuit è Noſtris quidam, ejuſque animum ad ſupremum iter Homologeſi, ut par erat, parare. Sed tamen ut Franciſci ſe clientelæ, ac patrocinio permitteret ei auctor fuit; eventu adeò non pœnitendo, ut altero mane abnormis magnitudinis lumbricum per os egerens ægra, meliùs habere exinde cœperit, nec multò poſt revaluerit. Recuperatæ porrò ab eâ valetudinis oculatus teſtis loci Curio ad id ſuo etiam teſtimonio firmandum paratum ſe exhibuit.

Haud minoris momenti eſt, quod de perhoneſtâ aliâ Colonienſi Virgine Cæcilia Hackenbroichs teſtatus Idib. Mart. eſt, anno Rep. Sal. MDCCXXI. Antonius Hudigh Societatis item Sacerdos. Ex Hydrope hæc, aliiſque pluribus Medicorum judicio

Digitized by Google

cio insanabilibus morbis duodecimum jam annum decumbens lectulo continenter affixa jacuerat. Ac linquente præterea plusquàm tercenties inter dolores animo, jam inibi moritura, imò merum cadaver jam esse totidem vicibus visa plurimis fuerat. Vulgato interim Coloniæ Francisci nomine, ejusque prodigiorum famâ ad Ægram perlatâ, ubi ejus Vitæ Epitomen sedulò perlegit, propitiam & sibi tanti Viri opem fore confidit. Servatam igitur nostro in Collegio ejus Vestium partem afferri ad se cupidè voluit. Allatam vero simul corpori in Crucis formam pientissimè admovit, melius extemplò illi esse; sensimque detumescere venter ità cœpit, ut ab eo attactu veteris morbi pertinaciam post mensem ex toto profligatam senserit. Eam porrò exinde nostrum in Templum ad persolvendas Deo, ac Francisco grates incolumem concedere, omnes, quotquot ipsam anteà persæpè ægram invisérant, eâ in Urbe attonitos habuit.

Rusticus Hildesii Adolescens, dum pascenti in campis pecori advigilat, repentinâ morbi vi in terram prostratus, & sanguinem ubertim evomens, viribus ut erat destitutus, vicinas in ædes deportari ægrè potuit: evocatusque ad ipsum intempestâ nocte è nostris Sacerdotibus quidam semivivum extremis Mysteriis quàm celerrimè muniit. Postero verò die nondum extinctum nactus, Francisci Icone exhibitâ, de implorando ejus patrocinio hominem admonet. Oblatam porrò Imaginem deosculatus cum fiduciâ æger, receptæ vitæ beneficium Pœnitentiæ, atque Eucharistiæ Mysteriis ritè obitis sese quotannis celebraturum constituit. Simplicis adolescentis fiduciam haud fefellit eventus: secuto quippè mane depulsam morbi vim adeò sensit, ut ad pascendi pecoris munus viam sospes relegerit.

Monasterii in Westphaliâ depellendo à se morbo salutaria Francisci pignora expertus quidam è Nostris; cum ejusdem implorandi auctor, ut voverat, aliis foret, se tribus aliis eodem amuleto profuisse testatus est. In Falkenagensi Missione moriturum propediem perillustris Fœminæ Infantem non temerè præsagiverant Medici: ignotus quippè morbus invalescere remediis potius, quàm remittere videbatur. Sed prædem pro Filii in Franciscum fiduciâ sese interposuit Mater: conceptoque de genibus voto diem v. Id. Maj. (profecti scilicet ad Superos Francisci anniversarium diem) à se, & Filio inter festos perpetuò habendum spopondit. Nec spe fruſtratâ liberare fidem ver-

Digitized by Google

tente anno vix primùm cœpit, cum Sobolem ægritudine penitùs liberatam, quàm læta, tàm admirabunda ſuſpexit.

Haud intermiſſi patrocinii ſpecimen præterea inſequenti anno hujus ſeculi XXII. duæ in eâ Provinciâ Societatis Miſſiones exhibent. Ex Paderbonenſi enim mulierem nunciant, quæ ex atrocis morbi vehementiâ linguam mordendo penè conſumpſerat; quæ tamen nonniſi unico ſimilium reliquiarum attactu opus habuit, ut creſcente linguâ loquelæ idonea iterùm foret. Majus fortaſſe eſt, quod Falkenagenſis Miſſio refert. Infeſtam infernorum Lemurum ſtrepitu domum, ac ſemet etiam rebelli Genio inſeſſam ex vehementi artuum omnium dolore cum quædam alia conjectaret mulier; conſuetis Eccleſiæ Exorciſmis malum in extremos digitos propulſum quidem ſenſerat, non verò, ut optabat, expulſum. Sed appenſæ ejus collo Franciſci reliquiæ, ſacratâque ejus nomine aquâ reſperſa domus mulierem utriuſque moleſtiæ immunem ex toto reddidit.

Coloniæ præterea ſecuto mox anno ſeculi labentis XXIII. contractam ab ipſo ortu aurium ſurditatem à ſe ut pia quædam Virgo depelleret, quotidianis precibus Deum per Franciſci merita ſibi conciliare aggreſſa eſt. Tertiâque hebdomade vix evolutâ incognitus Peregrinus ad ædium fores adeſſe conſpectus eſt, qui reſtituendi auditus beneficium laboranti pollicitus ad eam admiſſus libentiſſimè fuit. Vix verò è ſinu extractum neſcio quid affectis auribus inſeruit; cum recuperati auditus compotem eam è veſtigio reddidit. Nullo dein pretio, aut operæ ſuæ præmio poſtulato hic Peregrinus abſceſſit, nec eum uſpiam videre cuiquam poſtmodùm licuit. Non alium proinde niſi Franciſcum ſub eâ Peregrini ſpecie ægram inviſiſſe conjectum eſt, qui ad ſuorum Clientium opem ſub ignotâ imagine terras ſubinde reviſere non gravetur.

Secuto dein anno Chriſtianæ Æræ MDCCXXIV. è Conſfeldienſi Societatis Collegio Franciſci reliquias quantocyùs ad ſe mitti quidam poſtulavit. Ejuſque fiduciæ proſper adeò reſpondit eventus, ut in manus vix traditas febrim à ſe depuliſſe profiliens è lectulo gratulatus fuerit æger, id in ſe beneficii ab iis duntaxat reliquiis promanaſſe teſtatus.

Eodem anno in Miſſione ad Viſurgim Artis præſidiis diù incaſſum adhibitis, ſanguinis fluxum, quò pluribus conflictabatur annis, honeſta quædam Catholica mulier amoliri à ſe haud-

Digitized by Google

haudquaquam valuerat. Ecclesiastici tamen cujusdam Viri suasu Francisci vestium præsegmen clàm Viro Hæretico sibi vespere admovit. Manèque evigilans (uti jurati asserere, si opus sit, plures rei conscii non dubitant) inhibitum omninò sanguinem, morbique pervicaciam exarmatam penitùs reperit.

Omissis nunc aliis, quæ secutis post annis nunciant Trevirense, atque Embricense Collegium; memorabile in primis est, quod anno ejusdem seculi XXVIII. Coesfeldiæ accidisse memorant. Ubi cum aliis, aliisque vario morborum genere oppressis Francisci lipsana saluberrima accidissent; unus præ cæteris octennis Puer fuit, linguæ usu destitutus, cui fandi copiam unius secundùm Deum Francisci patrocinium reddidisse, non uni è Nostratibus ad Collegii Januam beneficii memores retulere Parentes.

CAPUT V.

Patrata tùm in Germaniæ Superioris Provinciâ, tùm in Belgio à Francisco post mortem Prodigia.

FOecunda pariter ex imploratâ Francisci ope in Germaniâ Superiori beneficiorum pullulavit seges. Viginti & ampliùs annis Orthopnœa, seù Asthmate sicco laboraverat Georgius Henlin Dilinganus Civis, & Chirothecarum Opifex; seque ex redeunte ferè quot mensibus ducendi spiritus difficultate suffocandum non semel crediderat. Medicorum pluribus in consilium adhibitis, cum ne hilum quidem proficeret; eorum arte damnatâ hanc sibi vivendi methodum suopte ingenio præscripsit, ut noxios sedulò vitaret cibos, rejectisque pharmacis aliis, redacto duntaxat in pulvisculum Sulphuri copiosiùs quotidie indulgeret. Quindecim ità annis ægrè traductis, ab Uxoris fratre Joanne Mayr Lavingæ propè Dilingam nato, qui in Tigeanæ Legionis desultoriis Equitibus Neapoli militaverat, atque ad novum militem conscribendum missus Stockachium erat, de ingentibus Francisci prodigiis, quorum oculatus ipse testis fuisset, certior fit: simulque ad exposcendam ejus opem

tùm

Digitized by Google

tùm affinis hortatu, tùm recurreatibus inter prandendum lautiùs eo die in hoſpitis gratiam ſolito gravioribus morbi intemperiis opportunè excitatur. Cumque compreſſis faucibus ſe mox extinguendum cenſeret Georgius, ad prædicatam ſibi Franciſci beneficentiam ſpei plenus confugit: ſimulque circumligatam manibus ab affine precatoriam Deiparæ Corollam, quæ viventem Franciſcum attigerat, ut poteſt, ſtringit. Mirumque dictu! Eodem temporis puncto, laxatis faucibus, periculo ſuſpirioſus æger defungitur. Receptæque contrà omnium ſpem valetudinis poſt annum memor, rem totam Margaritæ Henlin Uxoris, prænobilis item Archiatri Joannis Georgii Stiegler, quatuorque inſuper probatorum hominum teſtimonio firmatam, primum coràm Mariano Joſepho Reiffinger Dilingano Tabellione; dein Joannis Gotthardi Vohlin à Frichenhauſen Dilingani Vicarii juſſu coràm Gulielmo Eberardo Rees Collegiatæ ad Sanctum Petrum Eccleſiæ Canonico, ac Decano, & Aureliano Soſtenſi Dilingani Capuccinorum Cœnobii Moderatore, Septembri menſe anno à Virg. Par. MDCCXXII. grati animi ergò juratus expoſuit.

Bina prætereà collata in Noſtrates beneficia Ingolſtadium in Bojariâ exhibet. Primò enim ibi Sacræ Theologiæ Profeſſor Franciſcus Moſue, ſive è nimio litterarum ſtudio, ſive aliâ de causâ, viribus langueſcere, capiteque potiſſimùm debilitari adeò cœpit, ut cum Artis remedia fruſtrà jam eſſent, à gravioribus ſtudiis penitùs amovendum eum eſſe cenſerent Medici. Simul verò ac Franciſci veſtium oblatum ſibi centunculum capiti applicuit, veteres tùm capitis, tùm cæterorum artuum vires poſtliminio redire poſt paulò expertus eſt. Profeſſoris proinde, ac Præſidis in Sodalitio Mariano Academico munus repetere ſanus, atque integer nullo negotio valuit.

Ibidem prætereà Mauritius Chardon Theologiæ inter noſtros Juniores Auditor, acerbiſſimo calculi cruciatu ſingulis ferè menſibus recurrente conflictatus, Medicorum conſiliis, ac pharmacis uſus operam luſerat. Ingenti tamen fiduciâ induſii, quo uſus fuerat Franciſcus, particulam corpori admovit; eoque attactu faceſſere ſtatim dolor juſſus: ſemeſtrique ſpatio, eoque ampliùs jam evoluto, redeuntis quot menſibus morbi moleſtiâ ſe ne pertentatum quidem fuiſſe teſtatus eſt.

Præterverò hanc Germaniæ partem, non expers Franciſci

Digitized by Google

ſci beneficiis & Belgium fuit. Ruremundæ Mulier quædam Noſtratium ductu animum regere edocta, difficili ex morbo ſex jam hebdomadas preſſa à vitæ metâ haud procul aberat. Medicorum itaque præſidiis, ac narthecîis omninò deſtitutæ ad Franciſci opem ut confugeret is, qui ei à Confeſſionibus erat, opportunus auctor fuit Ludovicus Toebaſt Societatis Sacerdos. Eam porrò Mulier concepto priùs voto ut primùm imploravit, fiduciæ plena, hominis Iconem pectori adhibuit: quartâque horæ parte vixdum evolutâ, veſtibus repentè arreptis è lecto ſe proripit, ad faſtidium diù cibum hilarè, imò avidè redit. Demùm ut Coloniâ ſcripſit Bruno Roelen IV. Kal. Mart. anno MDCCXVIII. ità omnis revaluit, ut non levem curationis tàm ſubitæ admirationem tùm Medicis, tùm aliis periculoſæ ægritudinis conſciis creaverit.

Gratum æquè legenti hoc aliud, opinor, erit, quod in iiſdem memorati nuper Brunonis literis legitur. In eo Ciſtercienſis Familiæ Cœnobio, quod in Mariano nemore eſt, atque ad Juliacenſem Ditionem ſpectat, ea domeſticæ diſcordiæ ſemina inter Monachos jecerat Tartareus Nebulo, ut iis evellendis humana omnis induſtria, atque auctoritas impar jam foret. Componendi propterea diſſidii, paciſque inter domeſticos ſanciendæ ſequeſtrum delegit Franciſcum Religioſus Vir Dominus Schweils loci Antiſtes. Proſperèque ſibi ex implorato hominis patrocinio rem ceſſiſſe inde potiſſimùm conjecit, quod v. Id. Maj., ipsâ nimirùm recurrente Franciſci obitus luce, coaluiſſe tandem optatam inter ſuos pacem viderit. Mortalem non multò poſt pius hic Antiſtes vitam deſeruit: felicis tamen ſucceſſus, quem Franciſco acceptum retulit, memor, Coloniam ex voto Hiſpanicum aureum cuidam è Noſtris mittendum curavit, in eos inſumendum ſumptus, quibus Franciſci in Beatorum Ordinem adſcriptio, ſi Romanæ Cathedræ Oraculo aliquando impetraretur, celebrari magnificentiùs poſſet.

Plura etiam de Franciſco, Belgarumque ergà ipſum obſequio Antuerpiâ Neapolim ſcripſit domeſticæ rei Adjutor Guilielmus Thiry. Franciſcum hic optimè norat, addituſque ei Miſſionum Socius, dum Neapoli degeret, non ſemel fuerat. Jam inter alia illud in ſuis literis Prid. Non. Sextil. anno MDCCXXII. potiſſimùm retulit. Cujuſdam è Noſtratibus ſoror, enatâ in imo gutture anginâ

Digitized by Google

ginâ vexata, Franciſci patrocinio morbum evaſit. Etenim dum ſive ad augendam fiduciam, ſive ad fallendas morbi moleſtias in prælegendâ ejus Vitâ ſe exercet; purulentum ſanguinem ex repentino motu evomit: morbique causâ diſcuſsâ ad priſtinam incolumitatem incolumis redit. De aliâ item Matronâ Mechlinienſis noſtri Tyrocinii Fundatrice addidit, pedis eam ulcere quadriennio divexatam Franciſci lipſanorum attactu meliùs extemplò habuiſſe. Viſamque à ſe cicatricem, in eâdem epiſtolâ ſubjecit, non quidem obductam, ſed ità reductam, ut integræ curationis ſpem facere videretur.

HÆc de Franciſci rebus, quæ cum fide referrem, hactenùs habui. Similia, aut his fortaſſe illuſtriora, quæ ſuccedentes per intervalla ſuppeditabunt anni, alii poſt me ornatiùs, ac luculentiùs ſcribent. Dei Opt. Max. in me interim inexhauſta Benignitas faxit, ut non tàm otioſus, ac deſes tanti Viri prodigiorum admirator, quàm ſtudioſus præclariſſimarum ejus Virtutum æmulator egregias ejus laudes vitâ potiùs, quàm calamo exprimere ſatagam. Ità profectò fiet, ut ſi minùs (quod de Divo Bonaventurâ S. Franciſci Aſſiſiatis Vitam ſcribente dixiſſe olim fertur Angelicus Doctor Divus Thomas) ſi minùs, inquam, *Sanctus pro Sancto laboravit*; amare ſaltem, ac moribus Sanctitudinem exprimere demum incipiam, qui pro Homine Sanctimoniæ apprimè dedito non quidem pro rei dignitate, at pro modulo laboravi.

Sanctæ, & Individuæ Trinitati omnis Honor, & Gloria.

Digitized by Google

AD TYPOGRAPHUM.

Luscus ego, fateor: sed quo te nomine dicam,
A lusco qui nec σφάλματα visa vides?

Pag.	Lin.	ERRATA	CORRIGE
In Ep. ad Lect. Pag. 3. Lin. 20.		todidem	totidem
6	1	Æconomo	Oeconomo
20	26	fullonis	fullonis
23	35	frequentissimum	frequentissimum
29	21	Franciscus	Franciscus
34	28	conseverat	consueverat
39	37	sudar loſi	sudarioli
47	32	evocat lo-	evocatio
54	1	ſ upplex	supplex
60	37	Franciſco	Franciſco
61	4	ſlagitial	flagitia
	5	n	ni
63	24	officla	officia
65	20	atque	atque
68	13	hactenus	hactenus
70	8	injurias	injurias
71	23	viſu	niſu
73	9	decreturſ	decreturi
74	16	eventis	eventis
77	12	recuſantes	recuſantes
80	8	adoloſcentiſ	Adoleſcentiſ
82	18	juri, ac	juris, ac
85	31	Franciſei	Franciſci
86	5	adiunctum	adjunctum
	26	fine	fine
90	24	preges	greges
97	32	ex	ex
200	21	calamitum	calamitatum
	35	vetæ	Vitæ
201	21	Hæc	Hæc
205	30	admonuerit Nonneminem	admonuerit Nonneminem
206	15	acceſſeris	acceſſeris
212	11	ſubtractus	ſubtractum
216	6	feriari, ut	feriari ut
221	22	vitioque	vitioque
223	17	ingemitus	ingemitus
225	17	evertendam	avertendam
230	3	*in hoc*	*in hos*
235	19	Franciſcum	Franciſcum
239	22	præſenſionem	præſenſionem
270	15	fuit	fuerit
271	32	diligencius	diligentius
273	31	nullum	nullum,
275	37	qnam	quam
280	18	quidam	quidem
284	23	amplectendam, impulſum	amplectendum impulſum
	32	omittit,	omitti;
286	13	ſunambulis hiſtrionibus	funambulis, hiſtrionibus
293	37	dapes;	dapes,
294	10	ſiti	ſiti
299	35	ad Hiſpano	ab Hiſpano
300	25	Aliàs	Alias

Pag.	Lin.	ERRATA	CORRIGE
204	20	ſine	ſine
245	8	Cœſarem	Cæſarem
248	37	ſui	ſuæ
253	39	temea	tamen
265	27	prodeſſe	prodeſſe
268	34	idcirco, prohibita	idcirco prohibita
274	in Tit.	Vaticino ſpiritus	Vaticini ſpiritus
275	29	ſignificavit	ſignificavit
277	39	qualis ea eſſet aperiendum	qualis ea eſſet, aperiendum
280	29	inſanabalis	inſanabilis
281	31	medicem	medicæ
282	8	Præſentiſſimam	Præſentiſſimam
	16	cupiditatæ	cupiditate
283	37	diis	dies
298	21	a'hæſiſſe	adhæſiſſe
317	27	exaruiſſe	exaruiſſe
321	25	heſternaque	externaque
326	26	Utriuſvam	Utriuſnam
328	4	angoribns	angoribus
329	18	jem	jam
354	17	deceſſiſſe, miratus eſt Dominicus	deceſſiſſe miratus eſt. Dominicus
	18	Profeſſor ;oculatus	Profeſſor oculatus
355	36	Neapolim	Neapoli
363	30	reditet	redierit
365	in fronte pag.	) Liber IV	Liber V
371	19	Victoria	Victoriæ
	24	diploſa	diſploſa
384	11	cnm	cum
387	28	Etruriæ	Etruriæ
388	19	ſenſim	ſenſim
393	25	ſingulari	ſingulari
394	1	breviſſimſ	breviſſimæ
395	2	eomprecarſ	comprecari
401	24	ſraude	fraude
405	19	affixæ	affixæ
406	10	flammæ	flammæ
410	17	conſilium	conſilium
412	3	ſuperſuit	ſuperſuit
415	16	exturbandam	exturbandum
417	34	præterendum	præterendum
422	14	excita, pragnans	excita pragnans
435	10	evexit	avexit
	13	in itio	initio
447	39	eſſecit	effecit
454	9	præpopera	præpropera
	37	Soeietatis	Societatis
462	12	pbarmaco	pharmaco
463	10	ſublimſ	ſublimi
466	12	Seculi, anno	Seculi anno
477	in fronte pag.	Liber V	Liber VI.
	9	aſſeruit	aſſerit
491	4	fnerat	fuerat
493	8	qnod	quod
496	5	incolumis	ſoſpes

His pejora legens ſi forte offenderis, ultrò
Ignoſce: hæc luſco num patuiſſe parum eſt?

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google